M. MICH. RANFTII
V. D. M.

CORPVS
DOCTRINAE EVANGELICO-LVTHERANAE,

SEV

COMPENDIVM
THEOLOGIAE THETICO-POLEMICAE,

IN DVAS PARTES DIVISVM.

CVM PRAEFATIONE
DOMINI
CHRIST. GOTTLIEB IOECHERI,
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LIPS.
PROFESS. HISTOR. PVBL. ORD.

ACCEDVNT
INDICES NECESSARII.

LIPSIAE,
APVD IOH. SAM. HEINSII HAEREDES.
M DCC LV.

CHRIST. GOTTLIEB IOECHERI

PRAEFATIO.

Non egent profecto externis præſidiis & ornamentis ſacra diſcipulorum Chriſti oracula atque petita inde recte ſentiendi de ſanctioribus rebus, & honeſte pieque vivendi præcepta, ſed ſua radiant luce, ac propria ſibique inſita vi veritatis, ſempiternæ felicitatis cupidos flectunt, atque ad ſuſcipiendas doctri-

nas divinitus patefactas, moremque iisdem gerendum, vehementer impellunt. Multum tamen ad ſolidiorem earum cognitionem intereſſe, quo ordine quaque ratione illæ proponantur, nemo facile negabit. Habet, hoc enim me non latet, ſtudium illud, effata hominum divino ſpiritu afflatorum eo ordine, quo in tradendis artibus utimur, digerendi, copulandi & nexus habita ratione diſponendi, quod ſyſtemata condere, eaque juvandæ memoriæ cauſa in compendium redigere dicimus, ſuos ſubinde oſores. Sed qui ſiniſtre judicant ea de re, ſunt illi, qui naturæ humani ingenii non ſatis periti, quantum ſolida ſcientia, quæ a principiis ad ea, quæ inde conſequuntur, progredi ſolet, tumultuaria præſtet & confuſa cognitione, non ſatis intelligunt.

Peccatur omnino, non eo inficias, non nunquam ab altera parte, quando qui ad docendos alios accedunt, methodos nimium artificiales adhibent, & dum sublimiora sanctæ disciplinæ oracula dilucidare conantur, ea magis involvunt & tricis apinisque implicant; quod iis nostra ætate contingere fere videtur, qui mathematica, ut præ se ferunt, methodo, traditas a Christo & alumnis ejus doctrinæ senenttias explicare student & illustrare. De quorum integritate & mente non mala, etsi bene spero, tamen de eo quandoque dubito, an methodi, quam jactant, satis sint omnes periti, an ejus rationem & leges accurate perspexerint, an si per spexerint, aliquo earum rerum polleant usu. Utinam boni hi homines secum reputarent, ad certam grassari

ſari & firmam cognitionem, nil gratis aſſerere, ſed cuncta rite probare, ut laudi ducatur; ſic in vitio eſſe laſcivientem demonſtrandi pruritum, pluſque incommodi afferre quam utilitatis demonſtrationes loco haud opportuno adhibitas. Utinam cogitarent, ea quæ auctoritate & teſtimoniis nituntur, vix admittere demonſtrationes, philoſophari in re ſacra non eſſe quidem prorſus incongruum, ſed ſobrie id faciendum, & ſi quo alio loco, hoc profecto paucis eſſe agendum: nihil graviores in ſacris cœtibus turbas excitaſſe, quam inconſideratam & temere ſuſceptam ſententiarum nonnullis philoſophorum ſcholis ſolennium, cum cœleſti doctrina permiſtionem & confuſionem. Utinam ſacrorum quidam interpretes, ſi vel maxime mathema-

thematicarum rationum ſtudio & amore ducantur, nomine methodi earum, multis, merito an immerito non diſputo, ſuſpecto atque ut videtur invidioſo abſtinerent.

Sed cuncta hæc non ita accipi velim, ut ſi eos reprehenderem, qui meliori & accuratiori œconomia, quam a multis hoc factum eſt, ſublimioris ſapientiæ præcepta exponere allaborant. Quin eorum curam & ſtudium vehementer probo & laudo, qui in his explicandis, methodo quam dicimus naturalem procedunt, quæ recte ratiocinandi arte continetur; quaque ab eo, quod eſt planum & cognitu facile, ad difficilius pergimus, a cognito & perſpecto, ad eruendum id quod eſt obſcurius, tendimus, a principiis, ad id quod

inde derivatur, concludimus, atque ſic efficimus, ut auditores & lectores, quomodo ex altero nectatur alterum, perſpiciant. In promtu ſunt commentarii præſtantiſſimorum hominum, qui hac via & ratione alumnorum divinæ ſapientiæ commodis egregie conſuluere. Exemplum eis præivit immortalis memoriæ theologus MARTINUS CHEMNITIUS; qui ut ipſe fuit mathematicarum artium apprime gnarus, ſic in exaſciato opere, *Loci theologici* inſcripto, eis qui puriora ſacra ſequuntur, ſyſtema longe præſtantiſſimum exhibuit. Veſtigiis ejus cum laude inſtitere bene multi noſtratium, quos inter hac quidem ætate GEORGIUS HENNICUS RIBOVIUS, IOHANNES PETRUS REUSCHIUS, ISRAEL GOTTLIEB CANZIUS,

ZIUS, IOHANNES ERNESTUS SCHUBARTUS, IACOBUS CARPOVIUS, viri celeberrimi eminent, quibus e Calvinianorum cœtu IOHANNES FRIDERICUS STAPFERUS & DANIEL WITTENBACHIUS ſuo merito adjunguntur.

Quodſi vero tot egregii proſtant, tot politi rei ſacræ conſultorum commentarii, qui myſteria religionis, tam accurate, tam feliciter expoſuerunt: quid juvat, nova eorum ſyſtemata, nova compendia adornare? Nonne inanis putanda eſt hæc opera? nonne ſuperfluum haberi debet omne hoc ſtudium? Neutiquam ut opinor. Piaculum foret, præter ea, quæ de ratione & modo gratiæ divinæ & conſequendæ poſt hanc vitam felicitatis, in ſacris

tabulis legimus consignata, novi aliquid comminisci, illudque his, quæ credi a nobis debent & agi, addere. Non repugno. Possunt tamen nonnulla clarius explicari, quædam validiori ratione confirmari, aliqua ordine magis convenienti tradi, multa ita jungi sibique innecti, ut consensus & consecutio commendatarum nobis cœlitus doctrinarum facilius & rectius percipiantur. Hoc qui saxum volvunt, bene mereri de cœtu sacro, nemine ut puto obnitente, existimantur.

Quæ cum ita sint, non possum non consilium & operam reverendi hujus *corporis doctrinæ evangelico-lutheranæ* auctoris probare & commendare. Postquam enim doctissimus RANFTIUS in rebus historicis maxima sua cum laude per

aliquot lustra versatus, atque editis ingenii & doctrinæ suæ monumentis bene multis, plausus bonorum & non mediocrem famam consecutus est; animum appulit & calamum ad condendum opus, quo christianæ doctrinæ capita apte inter se connexa exhiberet, cujusque pars prior jam ante annum quo nunc vivimus & quod excurrit, typis fuit descripta, altera nunc sequitur. Cuncta quæ auctor in eo propinat, e limpidis sacrarum literarum fontibus sunt hausta, quibus consentiens librorum cœtus nostri evangelici symbolicorum suffragium subjunxit, gravissimos nostratium theologorum, antiquorum æque ac recentiorum, testes frequenter excitavit, atque omnia sic conformavit, ut non tam tironibus quam adultioribus prodesse hoc compendium queat, qui post

exant-

exantlatos academicorum studiorum labores, aut ad sacrum munus obeundum se parant, aut ei jam admoti sunt, & quæ olim didicerint, ruminare constituerunt. Faxit D. T. O. M. ut hic commentarius eis, quorum usibus cumprimis sacer esse debet, conducat, alios etiam in veritate cognoscenda, & cognitæ usu sic confirmet, ut ista cognitio iis sit ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας τῆς κατ' ἐυσέβειαν. Dabam Lipsiæ die 20 Septembris. A. R. G. MDCLV.

CORPVS DOCTRINAE EVANGELICO-LVTHERANAE,

OMNIA CONTINENS,

QUÆ

DE REBVS FIDEI THEOLOGIAE CVLTORI SCITV NECESSARIA SVNT.

PARS POSTERIOR.

VIRO ILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
HANS GOTTHELF
DE GLOBIG,
DYNASTAE
IN WÜSTERMARCK ET GROSWIG ETC.
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS AC ELECTORIS SAXONIAE
ACTVALI CONSILIARIO AVLAE ET
IVSTITIAE,
NEC NON
PROTO - SYNEDRII ECCLESIASTICI
DRESDENSIS PRAESIDI VICARIO
DIGNISSIMO.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

VIR ILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME,

DOMINE GRATIOSISSIME,

Etiamſi eximiæ animi TVI dotes, præclaraque TVA in rem publicam merita non ubique perſpecta forent, TE tamen in ſpem & ſalutem patriæ genitum eſſe, ex eo ſatis cognoſcere licet, quod POTENTISSIMVS POLONIA-

RVM REX ET ELECTOR SAXONIÆ TIBI nuper munus demandavit, quod viros ætate & uſu doctiſſimos, multaque pruden-tia, ſapientia & exercitatione præditos requirit. Venerabili & a diuturnis laboribus jam ad otium devexæ ætati ILLVSTRISSIMI COMITIS DE HOLZENDORF non melius conſulere potuit Auguſtiſſimus Princeps, quam quod ad hujus celeberrimi Miniſtri, de univerſa Saxonia Electorali immortaliter meriti, latus TE, VIR ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME, ita conſtituerit, ut in dirigendis rebus eccleſiaſticis languescentes Ejus humeros vividiſſimi animi & ingenii TVI vigore ſuffulcias. Ex amore patriæ, cujus dulcedine captus ſum, non poſſum non de auſpicatiſſima hac re & TIBI, VIR ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME, & toti Saxoniæ ex animo gratulari, totoque corde optare,

optare, ut ſub Illuſtriſſimi Holzendorfii auſpiciis porro omnia in terris Saxonicis ad eccleſiæ evangelicæ emolumentum & incrementum ita ſuccedant, uti pietas, dexteritas & experientia eorum, penes quos ſumma rerum eccleſiaſticarum eſt, ſemper ſperare jubent. Valde gaudeo, me occaſionem accepiſſe, hoc in hiſce paginis publice celebrandi, doleo autem, ingenii mei fructus non ita comparatos eſſe, ut ſine rubore ILLVSTRE AC EXCELLENTISSIMVM NOMEN TVVM opellæ huic præmittere queam. Interim de ſumma TVA humanitate ſatis edoctus non dubito, quin leve hoc ſtudiorum meorum ſpecimen, quod TIBI jam demiſſe conſecro, gratioſiſſime accepturus, me ipſum vero & ſtudia mea PATROCINIO TVO dignaturus ſis. Cæterum non deſinam, Summum, quod omnia moderatur, Numen precibus meis efflagitare,

 ut

ut omnibus TVIS cœptis & consiliis benignissime annuat, eademque in salutem patriæ & ecclesiæ succedere sinat, TE ipsum autem cum tota Generosissima Gente in exoptatissima valetudine constanter conservet. Ex sincero animo precatur hoc,

VIR ILLVSTRIS
ET
EXCELLENTISSIME,
DOMINE GRATIOSISSIME,

NOMINIS TVI EXCELLENTISSIMI

Gros-Stechaviæ,
ipsis Idibus Sept,
1755.

devotissimus cultor & apud Deum
deprecator
M. MICHAEL RANFT.

Lector Benevole.

Exſolvo jam, quod præterito anno, cum Priorem opuſculi mei Partem in lucem ediderim, promiſi. Spero, Poſteriorem hanc Partem Priori haud viliorem eſſe. Ego ſaltem omnem operam & induſtriam eo intendi, ut non modo hæc Altera Pars in omnibus Priori æqualis ſit, ſed eadem etiam perſpicuitate ac methodo inclareat, quam in Prima Parte approbaverunt benevoli Cenſores. Id, quod maxime mihi dolet, ſunt errata typographica, quæ in utraque Parte me abſente in textum irrepſerunt. Quædam facile ab unoquoque lectore corrigi poſſunt, quædam verò ita comparata ſunt, ut ſenſum valde corrumpant & eum obſcurum reddant. Operæ pretium hinc eſſe judicavi, circa aliqua opuſculi hujus loca quædam hic monere, & eadem a ſiniſtra interpretatione vindicare.

In *Parte Priori p. 75.* de ſenſu Scripturæ S. myſtico agitur, qui per *attinentiam* ſenſus literalis deſcribitur. Sed neſcio, quis vocem hanc inſolitam & obſcuram ſubſtituerit? Verba in MSto ita ſonabant: Quia vero iſte (ſcilicet ſenſus literalis) interdum ad varias res & perſonas ductu ipſius Spiritus S. ſpectat, *ſenſus myſticus* inde ortus eſt, qui eſt accommodatio ſenſus literalis ad aliud, quod Spiritus S. iisdem verbis ſimul indicare voluit.

In eadem *Parte p. 58.* ſenſus valde corrumpitur per ridiculam hanc ſcriptionem *ſuam & virtute.* Ita ſcribi debebat de libris canonicis: *ſuamet virtute* divinam originem eos indicare per internam convictionem.

Pag. 198. dubitatur, cometas variorum malorum prænuncios eſſe, ubi autem l. 23. verba hæc omiſſa ſunt: *quod tamen non tuto aſſeri poteſt.*

Pag. 588. agitur de merito Chriſti, quod ita deſcripſimus, ut multis lectoribus verba mea non ſatis perſpicua viſa ſint. Commovit me hoc ad variandum totum Caput & ad iſtud denuo imprimendum.

In *Parte Poſteriori p. 129.* diſtinctio inter vitam fidei & vitam credentis, de qua jam antea p. 114. actum eſt, repetitur, ubi autem Chriſtus *vita fidei* & ipſa fides *vita credentis*

voca-

vocatur. Sed ex incuria hæc contradictio facta est. *Vita fidei* est spiritualis activitas regeniti hominis, quam Spiritus S. per media gratiæ operatur, *vita credentis* vero est ipse Christus per fidem apprehensus, Gal. II, 20.

Pag. 185. ejusdem Partis admodum obscura sunt verba, quæ occurrunt de necessitate bonorum operum, quæ obscuritas autem tollitur, quando verba juxta MStum ita ponuntur: Neganda omnino est quæstio de necessitate bonorum operum, si de ea, (scilicet necessitate,) quæ ad salutem æternam spectat, sermo est.

Pag. 113. agitur de mediis fidei, ubi autem deleta est quæstio hæc: *quomodo infantes fidei participes fiant?* Sed nescio, cur non salva orthodoxia dici queat, fidem in infantibus a Spiritu S. immediate per gratiam prævenientem virtute universalis meriti Christi, cujus respectu Deus omnium hominum miseratur & in iis salvificandis serio occupatus sit, produci, cum idem jam p. 306. dictum & probatum fuerit?

Pag. 299. lin. 17. sensus per particulam *&*, quæ loco *ei* ponitur, valde obscurus redditur.

Pag. 301. sensus per omissionem vocis *repræsentat* valde corrumpitur. Docetur enim, fœdus baptismale per quotidianam pœnitentiam,

tiam, quam immersio aquæ repræsentet, conservari.

Pag. 361 seq. distinguitur *ecclesia* in visibilem & invisibilem, nescio autem, cur verba ita inversa sint, ut *invisibili* forma externa & *visibili* forma interna tribuatur; cum potius *invisibili* forma interna & *visibili* forma externa adscribenda sit?

Pag. 344. lin. 25. vox *impugnat* pro *pugnat* sensum valde corrumpit.

Nil jam addere scio, quam B. L. enixe rogitare, ut omnia æqui bonique consulere & studiis meis favere velit. Cæterum faxit Deus, ut omnia, quæ in usum studiosæ juventutis hic scripsi, in nominis divini gloriam vergant.

AUTOR.

CON-

CONSPECTUS
HUJUS POSTERIORIS PARTIS.

LIBER VIII.
DE GRATIA ET ELECTIONE DEI.

SECTIO I.
De Gratia Dei.

SECTIO II.
De Electione Dei.

Cap. VIII.

SECTIO III.

De Vocatione Dei.

LIBER IX.

De Regeneratione et Conversione.

SECTIO I.

De Regeneratione.

SECTIO II.

De Conversione & Pœnitentia.

Cap. IV.

LIBER X.

De Fide et Justificatione.

SECTIO I.

De Fide.

SECTIO

SECTIO II.

De Justificatione.

LIBER XI.

DE SANCTIFICATIONE ET BONIS OPERIBUS.

SECTIO I.

De Sanctificatione.

SECTIO II.

De Bonis Operibus.

Cap. III.

LIBER XII.

DE VERBO DEI.

PROLEGOMENA
De Verbo Dei in genere.

SECTIO I.
De Lege.

SECTIO I.

De Evangelio.

LIBER XIII.

De Sacramentis.

SECTIO I.

De sacramentis in genere.

SECTIO II.

De Sacramentis V. T.

SECTIO III.

De Baptismo.

SECTIO IV.

De Sacra Cœna.

LIBER XIV.

De Ecclesia.

LIBER

LIBER XV.

De Ministerio Ecclesiastico.

LIBER XVI.

De Magistratu Politico.

LIBER XVII.

De Statu Domestico.

LIBER XVIII.

De Resurrectione Mortuorum et Judicio Extremo.

SECTIO I.

De Resurrectione mortuorum.

Cap.

Cap. IV. *De Subjecto resurrectionis mortuorum.*
V. *De Materia resurrectionis mortuorum.*
VI. *De Forma resurrectionis mortuorum.*

SECTIO II.

De Judicio Extremo.

Cap. I. *De Judicio extremo in genere.*
II. *De Tempore judicii extremi.*
III. *De Signis judicii extremi.*
IV. *De Judice ejusque adventu.*
V. *De Subjecto & Loco judicii extremi.*
VI. *De Objecto judicii extremi.*
VII. *De Norma & Processu judicii extremi.*
VIII. *De Interitu mundi.*
IX. *De Chiliasmo.*

LIBER XIX.

DE BEATITUDINE ÆTERNA.

Cap. I. *De Beatitudine æterna in genere.*
II. *De Auctore beatitudinis æternæ.*
III. *De subjecto beatitudinis æternæ.*
IV. *De Loco & Statu beatitudinis æternæ.*
V. *De Forma beatitudinis æternæ.*
VI. *De Beatitudine æterna quoad intellectum.*
VII. *De Beatitudine æterna quoad voluntatem.*
VIII. *De Beatitudine æterna quoad corpus.*
IX. *De ipsa fruitione beatitudinis æternæ.*
X. *De Gradibus beatitudinis æternæ.*

LIBER

LIBER XX.

DE DAMNATIONE ÆTERNA.

LIBER VIII.

LIBER VIII.

DE GRATIA ET ELECTIONE DEI.

Cum doctrina *de Gratia Dei erga homines* decretum Electionis s. Praedestinationis simul comprehendat, jure meritoque *fidei articuli de Gratia Dei* & *Praedestinatione* conjungi possunt, etsi Theologi nostri istos fere semper separent. Ut vero eo distinctius omnia, quae huc spectant, tractem, *tres* constituam *sectiones*, quae agent, 1) *de Gratia Dei*, 2) *de Electione Dei* & 3) *de Vocatione Dei.*

* *

SECTIO I.

DE GRATIA DEI.

CAPUT I.

DE GRATIA DEI IN GENERE.

Vox *gratia* partim a *gratis*, partim a *gratus* s. *acceptus* derivatur. Significat igitur proprie ejusmodi propensionem animi, qua libere & absque ullius compensationis respectu nos erga alterum benevolos beneficosque præstamus.

In scriptura S. *gratia* multiplicem habet significationem. Denotat 1) studium alteri gratis & sine merito benefaciendi, Rom. XI, 6. 2) tempus manifestationis Christi in carne, Tit. II, 11. c. III, 4. 3) donum gratuitum, Act. XI, 23. Eph. IV, 7. 4) favorem, Luc. II, 52. Act. II, 47. 5) gratiarum actionem, 1 Cor. X, 30. Luc. VI, 32. Col. III, 16. 6) gratificationem, Act. XXIV, 27. c. XXV, 9. 7) eleemosynam, 2 Cor. VIII, 4. 19. 8) jucunditatem, Eph. IV, 29. 2 Cor. I, 15. Luc. IV, 22. 9) statum gratiæ, Rom. VI, 14. 15. & 10) gaudium, Phil. v. 7. Tob. VII, 18.

In sensu ecclesiastico, si *gratia* de Deo usurpatur, duplicem significatum habet. Significat enim 1) studium, gratis & sine merito hominibus benefaciendi eosque salvos faciendi, & 2) ope-

2) operationem Dei ſpiritualem in animabus hominum.

Prior ſignificatio eſt hujus loci, poſterior vero pertinet ad doctrinam de converſione hominis, ubi diſtinguitur in gratiam Dei prævenientem, operantem & cooperantem. Scholaſtici hanc operationem parum apte *auxilium Dei* vocant, quia errorem de excitandis viribus naturalibus in opere converſionis fovent.

Pontificii ad gratiam Dei ſalutarem ſuas quoque *qualitates infuſas* & *inhærentes* referunt, de quibus ſuo loco pluribus agetur.

Gratia Dei erga peccatores *duplex* eſt, forenſis & medicinalis. *Gratia forenſis* juſtificat, *gratia medicinalis* vero regenerat & ſanctificat. Secundum priorem agit Deus tanquam judex reconciliatus, & ſecundum poſteriorem tanquam medicus.

Gratia forenſis medicinali viam parat. Illa verſatur circa malum culpæ & hæc circa malum damni. Forenſis in tollendo reatu & tranquillanda conſcientia, medicinalis vero in tollendo damno inhærente & anima confortanda occupata eſt. Illa tranquille, hæc vero ſancte nos vivere jubet. Ultraque continetur verbis Pſ. CIII, 3. ubi Deus nobis omnia peccata remittere & cunctas infirmitates ſanare dicitur.

Optime *gratia Dei ſalutaris* deſcribitur per efficaciſſimum ſtudium, hominum lapſorum ſaluti conſulendi, eosque vitæ æternæ participes

reddendi, quantum ſcilicet ſine læſione juſtitiæ divinæ fieri poteſt.

Inde patet, quod gratia Dei per ſe quidem univerſalis, ob certas tamen circumſtantias ſimul limitata ſit.

CAPUT II.
DE
FUNDAMENTO GRATIÆ DIVINÆ.

Fundamentum gratiæ divinæ eſt *Dei amor erga homines*, tanquam ſuas præcipuas in terra creaturas, Joh. III, 16. 1 Joh. IV, 9. Eph. II, 4. Rom. V, 8.

Amor ad eſſentiales Dei proprietates, quatenus ſumme bonus eſt, Matth. XIX, 17. pertinet, 1 Joh. IV, 16. Sicuti vero bonitas Dei non modo abſoluta, ſed etiam relativa eſt, ita etiam Dei amor.

Amor Dei *relativus* reſpicit *omnes creaturas*, Sap. XI, 25. quæ propterea *opificium* ejus vocantur, Pſ. IV, 7. Pſ. CII, 26. ad quod ſpeciatim etiam homines pertinent, Hiob. XXXIV, 19. Jeſ. LXIV, 8.

Amor relativus eſt inclinatio animi ad id, quod nobis placet ſ. voluptatem creat. Cum igitur cuique ſuum opus placeat, Deus etiam non poteſt non animum inclinare ad creaturas ſuas.

Quo pulchrius & perfectius autem opus eſt, eo major etiam eſt inclinatio animi ad iſtud. Cum ergo *homo* inter omnes creaturas terreſtres

ſtres nobiliſſimum & pulcherrimum Dei opus ſit, dum non modo rationalem animam, ſed etiam imaginem divinam & immortalitatem tam animæ quam corporis acceperat, Deus maximam etiam animi inclinationem in hominem conjecit. Inde orta eſt φιλανθρωπία Dei, Tit. III, 4. quæ omnem Dei amorem *erga* cæteras in terra creaturas ſuperat.

Omnis *amor incipit a ſe ipſo*, Epheſ. V, 29. Hinc etiam Deus ſe ipſum præ omnibus aliis rebus amat, quia non ſolum extra ſe nil nobilius & perfectius novit, ſed etiam natura amoris hoc requirit. Quicquid igitur Deus extra ſe amat propter ſemet ipſum amat, quatenus iſtud vel magis vel minus *ad capiendam animi* voluptatem aut promovendam ſui ipſius gloriam confert.

Hac ratione etiam *hominem* Deus propter ſemet ipſum amat, quia non modo ex ejus ſimilitudine imaginis ſuæ *magnam* dulcedinem capit, ſed etiam ſuum honorem per eum promovere poteſt.

Jam vero per lapſum amiſſa non modo eſt hominis perfectio, ſed etiam eius facultas, Dei honorem promovendi. Hoc autem cum damnum reparabile fuerit, non potuit non Deus ex ſummo ſuo amore erga homines de iis reſtituendis in priſtinum ſtatum conſilium capere. Et hoc eſt fundamentum gratiæ Dei, quo ſaluti hominum ita conſuluit, ut iterum ejus

honorem promovere eique per justitiam Christi fide apprehensam placere queant.

Sicuti vero omnis amor cum *studio benefaciendi* conjunctus esse solet, ita etiam Deus non solum beneficiis suis homines cumulat, sed eos etiam post mortem in vitam æternam recipit, quippe quam omnibus hominibus paravit, si modo secundum præscriptum ordinem salutis obsequium ei præstant.

Et hæc est ea ipsa gratia Dei, quæ ex affectu amoris se diffundit in omnes homines.

CAPUT III.
DE
CAUSA IMPULSIVA GRATIÆ DIVINÆ.

Datur omnino causa impulsiva gratiæ divinæ, quæ est *misericordia Dei.*

Misericordia dicitur affectus ille, quo animus super miseria alterius ita movetur, ut ad ejus sublevationem se inclinet.

Proprie non in Deum competit misericordia, quia species humanæ imbecillitatis est. Pugnat quodammodo cum justitia, si super miseria alterius, quam sibi ipsi petulanter per mala opera contraxit, commoveor.

Deo igitur non nisi ἀνθρωποπαθῶς misericordia tribuitur, etsi inter ejus attributa vere referatur, Ps. LXXXVI, 15. Ps. CIII, 8. Joel. II, 13. Ps. LI, 3. Dan. IX, 9. 18. Eph. II, 4. 1 Petr.

1 Petr. I, 3. Luc. I, 50. Jac. V, 11. Deusque sibi ipsi eam tribuat, Jer. III, 12. c. IX, 24. Hos. XI, 8. Exod. XXXIV, 6.

Intelligitur autem per *misericordiam Dei* ipse amor ejus, quatenus ad lapsorum hominum sublevationem inclinat. Differt illa a *misericordia humana*, quæ in sola commiseratione consistit, quatenus scilicet animus ad alterius miseriam ita trahitur, ut *posthabita* ratione causæ magnum inde dolorem capiat.

Apud Deum perfectum datur *temperamentum inter justitiam & misericordiam* ejus. Secundum istud misericordiam suam Deus sine ulla læsione justitiæ suæ exercet. Hinc etiam Deus hominum non aliter misereri potuit, quam in Christo, qui justitiæ divinæ satisfecit.

Ipse Dei Filius propterea miseri hominis naturam & formam induit, ut in eo se Deus eo magis misericordem præstare possit, Hebr. II, 17. 18. c. IV, 15.

Meretur autem misericordia Dei *magna* nuncupari, Num. XIV, 19. 2 Sam. XXIV. Ps. LI, 3. Jes. LIV, 7. Dan. IX, 18. 1 Petr. I, 3. quia 1) inter Deum & homines summa inæqualitas est, Ps. CXLIV, 3. 4. Hiob. VII, 17. 2) status miseriæ humanæ naturalibus viribus non reparari poterat, Ps. XLIX, 8. 9. 3) Deus sui ipsius filii non pepercit, sed pro nostra salute in mortem dedit, Rom. VIII, 32. & 4) nullam remunerationem propterea accipit, Hiob XLI, 2. Ps. CXVI, 12. Rom. XI, 35.

Jure meritoque hinc Deus *dives misericordiæ*, Eph. II, 4. & *Pater misericordiæ*, 2 Cor. I, 3. vocatur.

Hæc misericordia eſt cauſa, cur Deus hominum ſaluti conſuluerit, eosque e ſumma miſeria eruerit, Hoſ. XI, 8. 9. Per σπλάγχνα ἐλέους, h. e. per *viſcera miſericordiæ* ſuæ id feciſſe teſtatur Zacharias, Luc. I, 78. Illuſtrari poteſt exemplo miſericordis Samaritani, miſerentis illius hominis, qui in latronum manus ceciderat, Luc. X, 33. 34. nec non exemplo Domini, populi ſui Iſraelitici miſerentis, Jer. XXXI, 20. Ezech. XVI, 6. Pulchre per hæc duo exempla depingitur miſericordia divina, qua totum genus humanum amplexus eſt Deus.

Hæc cum ita ſint, Dominus Zebaoth rectiſſime חַנּוּן, h. e. *gratioſus*, Exod. XXII, 27. c. XXXIV, 6. Pſ. XIII, 6. Pſ. LXXXVI, 5. 15. Pſ. CIII, 8. nec non *Deus omnis gratiæ*, 1 Petr. V, 10. vocari, eique *opulentia gratiæ*, Eph. I, 7. 8. c. II, 7. tribui poteſt, quia gratia ejus plane nullum dignitatis aut alicujus meriti ex parte noſtri reſpectum habet. Et cum hæc gratia nobis ad omnia utilis ſit, Deo propterea adſcribitur χρηστότης, qua quis ſe alteri utilem præſtat, Tit. III, 4. 1 Petr. II, 3. imo πλοῦτος χρηστότητος, Rom. II, 4. h. e. tanta benignitas, quæ nunquam exhauriri poteſt. Deus itaque fons omnis noſtræ ſalutis & benedictionis jure meritoque dicendus eſt, Pſ. XXXVI, 10. Eph. I, 3.

A CAPUT

CAPUT IV.
DE
OBJECTO GRATIÆ DIVINÆ.

Hoc sunt *omnes* ac *singuli homines*, qui per peccatum sibi contraxerunt temporalem & æternam mortem. Per se odit Deus iniquitatem & omnes, qui eam operantur, Ps. V, 5. 6. Ps. XLV, 8. ex misericordia autem singulari decrevit peccatoribus auxilium ferre, eosque ab æterno exitio liberare.

Est propterea *gratia Dei* erga lapsos homines *universalis* dicenda, & quidem tam respectu extensionis, quam intentionis. Probatur hæc universalitas divinæ gratiæ 1) *ex universali Dei misericordia*, qua non delectatur morte ullius improbi, Ezech. XXXIII, 11. sed vult, ut salvi fiant omnes homines, 1 Tim. II, 4. nec ullus pereat, 2 Petr. III, 9. quapropter etiam omnes sub peccatum conclusit, ut omnium misereatur, Rom. XI, 32. Apparuisse hinc dicitur gratia Dei salutaris in Christo omnibus hominibus, Tit. II, 11. ut salvos faciat omnes peccatores, 1 Tim. I, 15. Joh. III, 16. Matth. XVIII, 11. Rom. V, 18. 1 Joh. II, 2.

Probatur universalitas gratiæ divinæ 2) *ex universali merito Christi*, quo pro omnibus hominibus mortuus esse, Deoque satisfecisse legitur, 2 Cor. V, 14. 15. Joh. XII, 32. Jes. LIII, 6. 1 Tim. II, 6. c. IV, 10. Rom. VIII, 32. Joh. I, 29. 1 Joh. II, 2. 2 Petr. II, 1.

Probatur ista denique 3) *ex universali vocatione hominum*, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 20. Rom. X, 18. Col. I, 23. 28. Act. XVII, 30.

Maximi hujus doctrinæ hostes sunt *Calviniani*, qui vel universalitatem ipsius gratiæ divinæ erga homines, vel saltem ejus sufficientiam universalem negant.

Provocant 1) ad Rom. IX, 30. Sed h. l. Esavus & Jacobus non παραδειγματικῶς, ut exemplum, sed τυπικῶς, ut typis rejectionis Judæorum, in quorum locum ethnici assumti sunt, adducuntur. Vox *odisse*, h. l. etiam idem significat ac minus amare, Luc. XIV, 26. coll. Matth. X, 37.

Provocant 2) ad Hebr. XII, 17. ubi autem non de reprobatione quoad salutem æternam, sed quoad primogenituram agitur. Vox *pœnitentiæ* h. l. etiam ad *Isaacum* referenda est, quæ hic non in sensu Theologico, sed forensi sumitur.

Provocant 3) ad Rom. IX, 15. ubi vero non de misericordia Dei generali, sed tantum speciali, qua misereri vult credentium, sermo est.

Provocant 4) ad Rom. IX, 18. ubi Deus dicitur indurare, quos velit. Sed tantum de voluntate Dei consequente intelligendus est hic locus, qua permittere vult indurationem ob antegressa peccata; hæc induratio etiam magis ad temporalem, quam æternam perditionem respectum habet.

Pro-

Provocant 5) ad Rom. XI, 7. ubi tamen non τὸ ζητεῖν, sed ἐπιζητήσεως modus improbatur; & 6) Ad Rom. XI, 33. ubi autem exclamatio non super Dei decretum de salvandis hominibus, sed tantum super modum salvificationis hominum fit.

Neutiquam autem universalitas gratiæ divinæ simul ad *lapsos angelos* spectat. Horum enim Deus non misertus est, quia 1) auxilii divini non participes fieri potuerunt, Hebr. II, 16. & 2) non ex seductione, sed ex libero arbitrio a Deo defecerunt, Joh. VIII, 44.

CAPUT V.
DE
FOEDERE GRATIÆ DIVINÆ.

Ut de gratia sua salutari homines certos redderet Deus, cum iis *fœdus* iniit, in quo sub certis conditionibus gratiam suam omniaque temporalia & æterna bona promisit.

Deus statim post creationem cum hominibus fœdus pepigit, quod a Theologis *fœdus operum* vocatur, quia ejus conditio in certis operibus consistebat, quæ secundum voluntatem Dei præstari debebant, Gen. II, 16. 17. 24. Promissio divina erat perfectior & amplior beatitudinis gradus, comminatio vero mors, Gen II, 17. c. III, 3.

Fracto hoc fœdere operum Deus cum hominibus aliud pepigit, quod a *gratia* nomen acce-

accepit, quia Deus non solum ex gratia istud iniit, sed etiam ex gratia servat.

Fœdus hoc gratiæ a fœdere operum non respectu promissionis & finis differt, sed tantum 1) *respectu Dei*, qui hic non ut legislator, sed ut pater spectatur; 2) *respectu mediatoris*, qui hic requiritur; 3) *respectu indolis*, quæ ei formam testamenti dat, in quo ad voluntatem testatoris omnia redeunt, quæ tamen per testatoris mortem demum valorem suum consequuntur, & 4) *respectu conditionis*, quæ hic est fides in Christum.

Fundamentum fœderis gratiæ est decretum de redimendo genere humano, quod Deus jam in paradiso statim post lapsum hominum declaravit.

Partes contrahentes sunt Deus & homines. *Deus* fœdus iniit ex gratia, & *homines* id inierunt officii & suæ salutis causa.

Conditio fœderis gratiæ consistit in fide in Christum, Joh. III, 16. 36. c. VI, 40. 47. c. XI, 25. 26. c. XX, 31. Act. XVI, 31. Rom. III, 25. 26. Gal. II, 16. c. III, 26. tanquam mediatorem inter Deum & homines, 1 Tim. II, 5. Eph. II, 16. 2 Cor. V, 19.

Promissiones fœderis gratiæ sunt ex parte Dei ζωὴ καὶ περισσὸν, Joh. X, 11. h. e. *gratia* in hac, & *gloria* in altera vita; ex parte hominum vero *fidelitas* erga Deum in præstandis officiis Christianismi.

Ad hoc fœdus omnes homines jus habent, si modo conditioni subscribere, eandemque servare volunt.

Dantur autem pro diverso ecclesiæ statu *tres* fœderis gratiæ *œconomiæ*, 1) patriarchalis, 2) Mosaica & 3) christiana.

Patriarchalis prima erat fœderis gratiæ *œconomia*. Durabat a tempore lapsus usque ad promulgationem legis Mosaicæ. Nomen habet a *patriarchis*, qui ante hanc promulgationem vixerunt. His Deus fœdus gratiæ, quod jam in paradiso panxerat, constanter servabat, novis promissionibus confirmabat, sigillo circumcisionis obsignabat & sic ad posteros propagabat. Fideles tunc cum Deo in maxima familiaritate vivebant, iisque voluntas divina immediate revelabatur.

Mosaica œconomia fœderis gratiæ ea erat, quæ a tempore promulgationis legis Mosaicæ usque ad adventum Christi duravit. Ob operosas præstationes legum ceremonialium, quibus doctrina fœderalis adumbrabatur, schema habuit status servilis, Gal. III, 23-25. c. IV, 3. Fideles sub hac œconomia pertinebant ad πολιτείαν τῶν Ἰσραὴλ & ad διαθήκας τῆς ἐπαγγελίας, h. e. ad jura civitatis Israëliticæ & ad fœdera divinæ promissionis, Eph. II, 12. Hæc promissio spectabat quidem præcipue ad possessionem terræ Canaan cum omnibus emolumentis, sed adumbrabat simul possessionem cœlestis Canaan s. vitæ æternæ, Gal. IV, 24-26. quæ propterea

nova,

nova, sancta & cœlestis Hierosolyma nuncupatur, Apoc. III, 12. c. XXI, 2. 10. In hac œconomia alterum dabatur fœderis divini sigillum, scilicet agnus paschalis Exod. XII.

Christiana denique fœderis gratiæ *œconomia* nomen habet a *Christo*, qui tunc in mundum venit & statum servilem in liberum & filialem mutavit, Gal. III, 25 sq. c. IV, 1-7. Incepit hæc œconomia tempore Christi & durabit ad finem mundi. Sigilla hujus œconomiæ sunt baptismus & cœna S.

Fœdus gratiæ etiam *testamentum* dicitur, quia in eo aliquid quasi legatur hominibus, quod morte s. sanguine legatoris valorem accipit, Hebr. IX, 16. 17.

Orta hinc est distinctio in *Vetus* & *Novum Testamentum*.

Vetus Testamentum spectat ad tempora ante Christi adventum. Comprehendit œconomiam tam patriarchalem quam Mosaicam, obstringitque fideles ad servandam legem ceremonialem, quapropter etiam *fœdus legale* nuncupatur.

Novum Testamentum vero ad tempora post Christi adventum spectat. Obstringit fideles ad audiendum evangelium s. doctrinam de Christo, fide apprehendendo, quapropter etiam *fœdus evangelicum* appellatur.

Vetus testamentum sanguine brutorum per Mosem stabilitum est, Exod. XXIV, 8. Hebr. IX, 18 - 22. *novum* vero *testamentum*, Jer. XXXI, 31 - 34.

31-34. sanguine ipsius Christi obsignatum est, Matth. XXVI, 28. Hebr. IX, 14. 15.

CAPUT VI.

DE EFFICACIA GRATIÆ DIVINÆ.

Quicquid Deus vult, serio vult, alias non sincere cum hominibus ageret, nec verax dicendus foret. Si serio aliquid vult, vult & finem & media, alias voluntas ejus otiosa esset, quia sine mediis nullus finis obtinendus est.

Cum itaque Deus omnium hominum salutem velit, & quidem serio, non potest non etiam media suppeditare & adhibere, quæ ad consequendum hunc finem apta & idonea sunt, dummodo non pugnant cum ejus sanctitate & justitia.

Inde sequitur, gratiam Dei erga universum genus hominum consistere non in otiosa aliqua complacentia, qua tantum delectetur in iis, eorumque salutem optet, sed simul in seria inclinatione ad conferendum iis omnia, quæ ad eorum salutem pertinent.

Errant hic valde *Calviniani*, qui gratiam Dei universalem per se efficacem esse negant, quia Deus omnium quidem hominum salutem velit, non vero media ad hunc finem obtinendum apud omnes adhibere cupiat. Tribuunt propterea Deo respectu eorum, apud quos gratia ejus inefficax est, affectum simplicis complacen-

tiæ,

tiæ, qui excludat ſtudium adhibendi media gratiæ, ſine quibus divina gratia per ſe inefficax ſit. Provocant propterea ad eas gentes, quæ in ſua cæcitate ſine mediis gratiæ relinquantur. Horum multi converterentur, ſi Deus gratiam ſuam velit in iis eſſe efficacem, ut exempla Tyriorum & Sidoniorum, nec non Sodomitarum, Matth. XI, 21.23. doceant.

At nos diſtinguimus inter *efficaciam gratiæ per ſe* & inter *efficaciam effectuum gratiæ*. Per ſe gratia divina nunquam inefficax eſt, alias non foret ſeria. Vult enim Deus non tantum, ut omnes ſalvi fiant, ſed etiam, ut ſimul media ſalutis apud omnes adhibeantur, 1 Tim. II, 4. Verum cum gratiam hanc multi homines malitioſe reſpuant, & mediis gratiæ pertinaciter reſiſtant, in ſemet ipſis gratiam Dei reddunt inefficacem, quæ inefficacia autem magis effectui, quam gratiæ ipſi adſcribenda eſt.

Gratia Dei etiam diſtinguitur in *ordinariam* & *extraordinariam*. *Ordinaria* eſt, quæ per ordinaria gratiæ media, & *extraordinaria*, quæ vel per miracula vel alio extraordinario modo præſtatur. Hæc *abundans*, illa vero *ſufficiens* vocari poteſt. Prior non eſt univerſalis, ſed tantum poſterior.

Ad exempla *Tyriorum* & *Sodomitarum* reſpondemus, quod non gratiæ Dei inefficaci, ſed circumſtantiis temporis intermiſſio converſionis eorum tribuenda ſit. Miracula Chriſti enim, per

per quæ convertendi forent, non alio, quam Christi tempore, fieri potuerunt.

CAPUT VII.
DE
CONDITIONIBUS GRATIÆ DIVINÆ.

Etsi gratia Dei-secundum voluntatem ejus antecedentem universalis sit, non tamen absolute, sed *conditionate* universalis est.

Pugnaret oum Dei sanctitate, si omnes homines absolute velit salvos facere. Petulanter enim ab eo desciverunt homines nomenque ejus sanctissimum peccatis suis ita offenderunt, ut salva sua justitia & sanctitate nemini ignoscere potuerit, nisi ipsi satisfactum sit.

Hac de causa gratia Dei universalis *meritum Christi* fide apprehensum comprehendit. Hujus respectu omnino gratia Dei universalis est, quia meritum istud non modo pro omnibus hominibus præstitum est, sed Deus etiam pro omnibus id vult efficax esse. Efficacia autem meriti Christi depêndet a *fide*. quam Deus omnibus hominibus per media gratiæ suæ largiri vult, ut suo loco pluribus ostendemus. Sicut autem fidem in nobis impedire, eamque abnegare & amittere possumus, ita etiam in nosmet ipsos redundat causa, si gratiæ Dei universalis non participes simus.

Fides itaque *in Christum*, mediatorem nostrum, conditio quasi est, sub qua Deus nos gratia sua

amplecti vult. Recte hinc Paulus scripsit: *Sine fide impossibile est, Deo placere*, Hebr. XI, 6. & Habacuc testatur, *justum vivere sua fide*, Hab. II, 4. Rom. I, 17. Hebr. X, 38. Ipsum auxilium, quod Christus olim miseris hominibus præstitit, eorum fidei tribuit, Matth. IX, 22. c. XV, 28. Luc. VII, 50. c. VIII, 48. c. XVII, 19. c. XVIII, 42.

Inde patet, cur Deus Filium suum nobis dederit in mediatorem? Factum est ex singulari ejus gratia & amore. Voluit Deus, ut omnes, qui credant in eum, salventur, Joh. III, 16. Quapropter etiam Johannes evangelium suum in hunc finem scripsisse dixit, scilicet ut *credamus, Jesum fuisse Christum, Filium Dei, & ut per fidem in eum vitam consequamur æternam*, Joh. XX, 31. Hac de causa quoque Paulus, postquam 1 Tim. II, 4. dixerat, *Deum velle omnes salvos fieri*, non modo addit: *& ad cognitionem veritatis perduci*, sed etiam de Christo, tanquam unico mediatore, simul testatur, *ipsum dedisse pretium redemptionis pro omnibus*, 1 Tim. II, 5. 6.

Ex gratia itaque Deus omnes homines per fidem in Christum, mediatorem nostrum, justos, felices & æterne beatos facere vult.

SECTIO

* *

SECTIO II.

DE ELECTIONE DEI.

CAPUT I.

DE ELECTIONE S. PRÆDESTINATIONE DEI IN GENERE.

In doctrina de electione f. prædeftinatione acerrimi noftri adverfarii funt *Calviniani*, qui docent, Deum ex abfoluto decreto homines vel falvos facere vel damnare velle. Quia vero inter fe non omnes conveniunt, diftinguuntur in Particulariftas & Univerfaliftas.

Particulariftæ nomen habent a voce *particularis*, quia perhibent, Deum certos tantum homines particulariter falvare, cæteros vero damnare velle ex abfoluto decreto. Hi iterum dividuntur in *fupra*- f. *ante*-*lapfarios* & *infra*- f. *fub*-*lapfarios*.

Supralapfarii funt, qui abfolutum Dei decretum prædeftinationis fupra f. ante decretum de permittendo lapfu hominum, *Infralapfarii* vero, qui iftud infra decretum de permittendo hominum lapfu ponunt.

Univerfaliftæ opponuntur Particulariftis. Sunt vel Categorici vel Hypothetici. *Categorici* nobifcum fere confentiunt, *Hypothetici* vero, qui

 a *Mofe*

a *Mose Amyraldo*, auctore, etiam *Amyraldistæ* vocantur, concedunt quidem ex Act. XIII, 48. Deum omnes homines sub conditione fidei salvare, sed fidem ipsam ex absoluto decreto non omnibus dare velle.

Inter adversarios nostros in hac doctrina etiam numerari merentur *Sociniani*, qui inter *prædestinationem* & *electionem* distinguunt. Primam ab æterno respectu omnium hominum, alteram vero in tempore respectu certorum hominum factam esse docent. Confundunt itaque vocationem & electionem. *Electi* iis sunt, qui secundum præscriptum evangelium vitam instituunt, *credere* vero iis idem est, ac præcepta divina sub spe vitæ æternæ servare.

Doctrina de *prædestinatione* ad magnum *schisma* in ecclesia Reformatorum occasionem dedit. Ortæ enim sunt ex doctrina hac partes Arminianorum & Gomaristarum, quarum auctores fuerunt *Jacobus Arminius* & *Franciscus Gomarus*, Professores & Collegæ in Academia Lugdunensi seculo XVI. viventes. Prior opposuit se doctrinæ de absoluto Dei decreto in negotio salutis nostræ, posterior vero istud contra illum strenue defendit. Prioris asseclæ s. *Arminiani* a libello supplice, *Remonstrantia* dicto, *Remonstrantium*, posterioris vero asseclæ s. *Gomaristæ*, qui Calvini doctrinam sequuntur, *Contra-Remonstrantium* nomen acceperunt.

Arminiani primum doctrinæ nostræ evangelicæ accedere videbantur, postea vero cognosceba-

ſcebatur, eos vocem *fidei* cum Socinianis per præceptorum divinorum obſervantiam interpretari.

Propter hoc ſchiſma an. 1618. *Synodus Dordracena* habebatur, quæ duram doctrinam de abſoluto prædeſtinationis decreto confirmavit.

Calviniani plerumque duas faciunt prædeſtinationis ſpecies, *electionem* & *reprobationem*. Sed errant, quia vox *prædeſtinationis* in ſcriptura S. nunquam de reprobis uſurpatur, Rom. VIII, 30. 1 Theſſ. V, 9. 10. Locus Act. IV, 27. 28. quem nobis objiciunt, huc non quadrat, quia non de Pilati & Herodis prædeſtinatione ad æternam damnationem, ſed de divina directione permiſſi eorum facinoris agit.

Pluribus genuinam de electione & reprobatione doctrinam expoſituri nunc demonſtrabimus, Deum quidem omnes homines ſalvare velle, at non tamen omnes ad vitam æternam eligere poſſe.

CAPUT II.

DE DECRETO ELECTIONIS.

De decretis divinis alibi jam ſatis egimus. Sunt actus liberrimæ Dei voluntatis.

Quicquid Deus vult, ut fiat, aut non fiat, dicitur *decretum*. Si abſolute aliquid vult, aut non vult, *decretum abſolutum*, ſi cum conditione aliquid vult aut non vult, *decretum conditionatum* ſ. *hypotheticum* vocatur.

 Omnia,

Omnia, quæ Deus vult, ab æterno vult, quia in Deo non datur ſtatus & temporis viciſſitudo. Jure meritoque hinc decreta Dei *æterna* dicenda ſunt. Quicquid igitur ex Dei voluntate in tempore fit, ab æterno Deus decrevit.

Sic decrevit etiam Deus ab æterno, iſtos homines propter meritum Chriſti fide apprehenſum ſalvos facere, qui juxta voluntatem ſuam meritum Chriſti in hac vita vera fide apprehendunt.

Dicitur decretum hoc *electio Dei*, quia Deus tales homines ad vitam æternam quaſi eligit aut prædeſtinat, & quidem ab æterno, Matth. XXV, 34. Eph. I, 4. 2 Tim. I, 9.

Electionis vox diverſimode ſumitur, & quidem 1) *generaliſſime* pro æſtimatione rei eximiæ, 2) *generaliter* pro ſelectione ad certum uſum, e. g. Pſ. LXXVIII, 70. Luc. VI, 13. Joh. VI, 70. 3) *ſpecialiter* pro receptione integræ nationis in populum Dei, Deut. IV, 37. c. VII, 6. 7. Pſ. CXXXV, 4. & 4) *ſpecialiſſime* pro electione ad vitam æternam.

Prædeſtinationis vox accipitur 1) *ſtricte*, & ſic denotat decretum divinum de certis hominibus ſalvandis, 2) *late*, & ſic ſignificat decretum divinum de toto negotio noſtræ ſalutis & 3) *latiſſime* & *improprie*, quando certi eccleſiæ Patres per eam intelligunt divinam hominum deſtinationem vel ad vitam vel ad mortem æternam. In prima ſignificatione vox prædeſtinationis convenit cum electione, quamvis *electio* magis

magis ſeparationem ad certum finem, *prædeſtinatio* vero deſtinationem ad certa media, ad hunc finem idonea, denotet.

Decretum electionis igitur & *decretum prædeſtinationis* ſunt unum idemque. Utrumque ſignificat propoſitum Dei, certos homines propter meritum Chriſti fide apprehenſum ſalvos faciendi.

Hoc *decretum* autem non *abſolutum* dicendum eſt, quia Deus non abſolute, ſed conditionate, certos homines ſalvare vult. *Reſtrictivum* potius ſ. *conditionatum* aut *hypotheticum* vocare poſſumus iſtud, quia ſub certa conditione Deus homines ſalvos facere decrevit. Et hæc conditio eſt *fides*, meritum Chriſti apprehendens, quæ quidem nondum adfuit, cum Deus decreverit, nos eligere, at in prævifione divina tamen præſens fuit, 1 Petr. I, 2. Neutiquam autem inde ſequitur, hominem jam in Chriſtum credidiſſe, antequam Deus eum elegerit. Eſt enim fides non noſtrum, ſed Dei opus.

Decretum electionis vero non modo *immutabile*, ſed etiam *particulare* eſſe, infra pluribus docebimus.

CAPUT III.
DE
VERA RATIONE DECRETI ELECTIONIS.

Vt rationem decreti electionis recte cognoſcamus, diſtinguere ſolent Theologi noſtri

voluntatem Dei in antecedentem & *consequentem.*

Voluntas antecedens est, qua Deus omnes homines serio vult salvos facere, & *voluntas consequens*, qua eos tantum homines salvare vult, qui in vera fide moriuntur.

Antecedenter Deus omnium hominum salutem cupit, quapropter etiam Filium suum omnium redemptorem esse voluit, omnesque ad regnum suum gratiæ vocavit. Quia vero non nisi sub hac conditione homines salvare voluit, ut in Filium suum usque ad vitæ finem credant, illos autem, qui in fide usque ad mortem permansuri sunt, ex omniscientia sua accuratissime novit, dicere hinc consuevimus, Deum per immutabile decretum certos homines ad vitam æternam elegisse, cæteros vero reprobasse.

Voluntatem Dei & antecedentem & consequentem optime indicat Paulus, dicendo, *Deum omnes homines salvos fieri velle* (scilicet per voluntatem antecedentem) *& ad cognitionem veritatis pervenire*, (nempe per voluntatem consequentem) 1 Tim. II, 4. Idem Christus declarat dicendo: *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, (quod fit secundum voluntatem antecedentem) *& ut omnes, qui credant in eum, non pereant, sed salvi fiant*, (quod fit secundum voluntatem consequentem,) Joh. III, 16.

Voluntas

Voluntas Dei antecedens complectitur totum conſilium divinum de redimendo genere humano per Filium ſuum. Pertinent huc 1) dilectio Patris univerſalis, Joh. III, 16. 1 Tim. II, 4. Ezech. XVIII, 32. 2 Petr. III, 9. Act. X, 34. 35. 2) meritum Chriſti univerſale & 3) operatio Spiritus S. univerſalis.

Comprehendit itaque voluntas Dei antecedens *tres actus*, 1) Patris dilectionem, 2) Filii redemptionem & 3) Spiritus S. vocationem.

Indicatur voluntas Dei antecedens in Scriptura S. quoties mentio fit *propoſiti* & *conſilii divini*, e. g. Act. XX, 27. Rom. VIII, 28. Eph. I, 11. c. III, 11. 2 Tim. I, 9. quod etiam εὐδοκία τοῦ θελήματος αὐτοῦ vocatur, Eph. I, 5. 9.

Voluntas Dei antecedens nominari etiam poteſt *generalis*, & habet reſpectum ad applicationem ejus, quam præcedit. Differt a *voluntate conſequente* ita, ut Deus ſecundum illam aliquid velit in certo ordine, ab hominibus applicando, ſecundum hanc vero aliquid velit in ordine, ab hominibus applicato.

Maximi adverſarii in hac doctrina ſunt *Calviniani*, qui decretum electionis ſ. prædeſtinationis *abſolutum* pronunciant. Hoc autem a nobis negatur, quia decretum iſtud ad voluntatem conſequentem pertinet, quæ reſpectum habet ad antecedentem, interveniente prævisione Dei.

Factum itaque eſſe dicitur hoc decretum ſecundum πρόθεσιν, Rom. VIII, 28. Eph. I, 11.

& πρόγνωσιν. 1 Petr. I, 2. In προθέσει fides supponitur, Marc. XVI, 16. in προγνώσει vero prævidetur. Hinc dicitur Deus nos eligere ἐν πίστει, 2 Theff. II, 13. & ἐν Χριστῷ, vera fide apprehenso, Eph. I, 4.

Qua ratione πρόθεσις f. *propositum*, πρόγνωσις f. *prævisio*, & προορισμὸς f. *prædestinatio* in decreto electionis divino inter se differant, patet ex sequenti syllogismo.

Πρόθεσις est: *Quicunque in Christum finaliter credet, eum salvabo.*

Πρόγνωσις est: *Petrus & Paulus in Christum finaliter credent.*

Προορισμὸς est: *Ergo Petrum & Paulum salvabo.*

Optime igitur definiri potest *Electio* f. *Prædestinatio* per decretum voluntatis divinæ consequentis, quo Deus ante jacta mundi fundamenta ex mera sua gratia ad vitam æternam omnes homines in Christum finaliter credituros ad nominis sui gloriam in Christo elegit.

CAPUT IV.
DE CAUSA ELECTIONIS.

Causa *efficiens* electionis nostræ est ipse *Deus*. Ab eo dependet nostra existentia, nostraque salus, Act. XVII, 28. Est quidem electio actus voluntatis. Sicut autem in Deo omnes actus tam intellectus, quam voluntatis ab ejus essentia non sejungendi sunt, ita etiam Deus ipsa causa eligens & prædestinans vocari potest. Adscri-

Adscribitur quidem electio soli Patri, Eph. I, 5. sed non exclusis cæteris Deitatis personis, quæ non modo unam essentiam, sed etiam unam voluntatem habent. Datur autem in citato loco singularis respectus eligentis ad eum, in quo electio fit.

Quod Deum movet ad aliquid faciendum, vocatur *causa impulsiva*. Hæc respectu nostræ electionis *duplex* est, vel interna vel externa.

Interna est singularis Dei amor erga homines, secundum quem propensus fuit, ad eorum miserendum, iisque opem in miseria ferendam, Joh. III, 16. Quia hunc amorem non merebantur homines, jure meritoque Deus nos ex mera *gratia amavisse* dicitur, Eph. I, 6. Gratiæ hujus magnitudinem, universalitatem, efficaciam & alias proprietates jam supra satis monstravimus.

Potest etiam per causam electionis internam omne id intelligi, quod ad voluntatem Dei antecedentem spectat.

Externa causa impulsiva electionis nostræ est vel principalis, vel minus principalis.

Causa principalis, quæ Deum ad electionis decretum movet, est meritum Christi, sine quo non datur salus, Act. IV, 12. Dicitur propterea Deus nos elegisse ἐν Χριστῷ h. e. propter Christum, Eph. I, 3-6.

In tempore nobis datus est Christus, ut pro nobis præstet, quod nosmet ipsi præstare debebamus, Joh. III, 16. Rom. VIII, 3. Gal. IV, 4. 5.

4. 5. Quia vero electionis decretum ab æterno factum est, quæritur: *num Christi meritum in tempore præstitum causa hujus decreti æterni impulsiva dici queat?* Si perpendimus prævisionem Dei, qua futura coram ipso præsentia sunt, non potest non meritum Christi, etsi in tempore præstitum sit, respectu æterni Dei decreti rationem habere causæ impulsivæ, uti Petrus & Paulus expresse testantur, 1 Petr. I, 20. Eph. I, 4. Ex qua igitur causa Deus in tempore nobis salutem confert, ex ea etiam nos ad salutem elegit.

Causa minus principalis, quæ Deum ad decretum electionis movet, est *fides* in Christum finalis, Act. XIII, 48. Matth. XXIV, 13. Apoc. II, 10. Hæc quia non habet meritum proprium, sed merito alius, scilicet Christi, nititur, non causa impulsiva principalis nostræ electionis ejusque decreti divini primaria dici potest. Est tamen revera, licet certo respectu, *causa principalis*, at *secundaria s. minus principalis*, nominanda, quia sine fide meritum Christi non applicari potest. Etsi itaque fides non per se Deum ad electionem hominum moveat, respectu tamen meriti Christi ipsum ad eam movet.

Quidam nostratium Theologorum *fidem* causam instrumentalem decreti electionis, alii conditionem hujus decreti, nonnulli conditionem ex parte objecti eligendi, & alii partem ordinis prædestinatorii vocant, sed parum accurate. Adstipulamur potius B. BALTHASARO MEIS-

MEISNERO, qui *in Anthropologia* sua ita scripsit: *Convenientissimum videtur, fidem non considerari seorsim ut causam electionis peculiarem, a Christi merito distinctam, sed conjunctim una cum ipso merito apprehenso, ut sic utrumque copulatum unam electionis causam impellentem constituat. Neque enim meritum sine applicatione, neque fides per se movit Deum ad eligendum, sed utrumque in præscientia divina conjunctum, h. e. meritum fide apprehensum, vel fides meritum apprehendens.*

Hac ratione *meritum Christi* & *fides* non velut duæ causæ sociæ aut partiales, sed tanquam causæ subordinatæ per modum causæ principalis & minus principalis sese habent ad decretum electionis.

Habet autem *fides* rationem causæ impulsivæ respectu decreti electionis æterni, non, quia ab æterno extitit, sed quia in Dei præscientia ab æterno prævisa fuit. Hinc Paulus scripsit: *Quos præscivit, eos etiam prædestinavit*, Rom. VIII, 29.

Neutiquam autem *prædestinatio* ad vitam æternam propter prævisa merita electorum fit, ut veteres Pelagiani & ex parte Pontificii contendunt. Frustra hoc ex 2 Petr. I, 20. & 2 Tim. II, 20. probare student. *Quos enim Deus prædestinavit, hos etiam vocavit*, Rom. VIII, 30. Vocat autem nos non secundum opera nostra, 2 Tim. I, 9. Rom. XI, 5. 6.

Causa

Causa electionis *finalis* est gloria nominis divini, Eph. I, 6. & *finis intermedius* sanctimonia vitæ nostræ, Eph. I, 4. Rom. VIII, 29.

CAPUT V.

DE

OBJECTO ET PARTICULARITATE ELECTIONIS.

Objectum electionis sunt *omnes* cujuscunque generis *homines* & inter eos simul maximi & scelerosissimi *peccatores*, Eph. II, 2. 3. Col. III, 7. si modo per Christum fide apprehensum Deo reconciliantur, 2 Cor. V, 18-21. Ezech. XVIII, 21-23. c. XXX, 14-16. & in fide usque ad vitæ finem perseverant, Marc. XIII, 13. Matth. X, 22. c. XXIV, 13. Apoc. II, 10.

Singulare exemplum pessimi hominis ad vitam æternam electi præbet latro ad dextram Christi crucifixus, Luc. XXIII, 42. 43. Quos enim Deus prævidet in fide morituros, eos etiam eligit, Rom. VIII, 29. & quidem sine ullo personarum respectu, Act. X, 34. 35. Eph. VI, 9. Col. III, 25. Jac. II, 1.

Ex supra dictis patet, *pios* & *fideles* per se non inter electos numerari posse. Quamdiu enim tales sunt, tamdiu etiam in statu gratiæ versantur. Si vero Deus istos non in fide morituros esse prævidet, ad vitam quoque æternam non eligit, Ezech. XVIII, 24. c. XXXIII, 12. 13. 18. 19.

Angeli

Angeli quidem a Paulo etiam *electi* dicuntur, 1 Tim. V, 21. sed ii huc non pertinent. Vocantur angeli *electi* propter divinam prævisionem confirmationis eorum in bono, cujus respectu opponuntur malis spiritibus, qui a Deo defecerunt.

Est igitur hominum *electio divina* non universalis, sed *particularis*, quia nec ad omnes creaturas, nec ad omnes homines spectat.

Ipsa vox *electionis* hoc satis confirmat. Significat enim segregationem a numero plurium. Mirum igitur est, inter Theologos nostros quosdam fuisse, qui *electionem* appellarunt *universalem*. Primus, qui hoc fecit, fuit Joh. Brentius, Theologus Würtembergicus, qui vocem electionis per *dilectionem* interpretatus est. Hunc alii Theologi Würtembergici secuti sunt, qui tamen omnes ante Formulæ Concordiæ evulgationem vixerunt. Post eum hunc errorem de novo produxit Samuel Huberus, Theologus Wittebergensis, qui eum acerrime propugnavit, quapropter etiam ab ipso nomen *Huberianismi* accepit.

Provocat Huberus ad tuendam suam hypothesin ad Eph. I, 4. ubi Deus nos in Christo elegisse dicitur. At Christus quidem omnium redemptor est, sed non propterea omnes in eo electi sunt. Argumentum Huberi: *Cujus causæ universales sunt, id ipsum universale est*, valde vapulat. Causæ electionis enim ex parte Dei quidem

quidem universales sunt, sed non ex parte hominum, quia fides non in omnibus datur.

Distinctio inter τοὺς ἐκλεκτοὺς & τοὺς ἐκλελεγμένους, quatenus per ultimos omnes homines intelliguntur, nullo nititur in Scriptura S. fundamento, quia voces istæ promiscue usurpantur, Marc. XIII, 20.

Electio autem non ex culpa Dei, sed ex culpa ipsorum hominum particularis dicenda est, quia propter defectum fidei finalis non omnes a Deo, tanquam beate morituri, prævideri possunt.

CAPUT VI.

DE IMMUTABILITATE ELECTIONIS.

Electio Dei omnino *immutabilis* est. Ex Matth. XXIV, 24. & Joh. X, 28. satis hoc probari potest.

Dependet autem hæc immutabilitas electionis non a fatali quadam necessitate, sed a consilio Dei æterno, firmo & immutabili, nec non ab infallibili fidei finalis præscientia, Rom. VIII, 29. 2 Tim. II, 19.

Decreta Dei cum immutabilitate voluntatis divinæ pugnarent, si mutabilia & revocabilia diceremus. Involvit quoque prævisio Dei necessitatem eventus. Quando igitur Deus uniuscujus-

cujusque hominis eventum vitæ prævidet, non poteſt non ſimul dici, finaliter credituros immutabiliter ad vitam æternam electos eſſe.

Quæritur autem: *num electi ex gratia Dei excidere poſſint?* Neutiquam hoc negandum eſt, quia fides, ſine qua impoſſibile eſt, Deo placere, Hebr. XI, 6. amitti & iterum recuperari poteſt, Luc. VIII, 13. Rom. XI, 23. 1 Tim. I, 19. Excidere omnino ex gratia Dei poſſunt fideles & quidem penitus, ut exempla Davidis 2 Sam. XII, 5. 7. 9. & Petri, Matth. XXVI, 69-74. coll. c. X, 33. docent, non tamen finaliter, ut ex iisdem exemplis, 2 Sam. XII, 13. & Luc. XXII, 32. 61. 62. cognoſcitur.

Negant & *Arminiani* & *Sociniani*, electionem Dei immutabilem eſſe. Provocant propterea 1) ad *Moſem*, qui ex libro vitæ deleri voluit, Exod. XXXII, 32. 33. At h. l. non deletio ex libro vitæ æternæ, ſed ex libro vitæ temporalis intelligitur. Provocant 2) ad *Judam proditorem* ex electis perditum, Joh. VI, 70. c. XVII, 12. At non de electione ad vitam æternam, ſed ad apoſtolatum hic ſermo eſt. Provocant 3) ad *Petrum*, qui omnes, ad quos priorem ſuam epiſtolam ſcripſit, electos vocat, 1 Petr. I, 1. At non electionem ad gloriam, ſed ad gratiam intelligit; & 4) ad *Paulum*, qui fatetur, ſe fieri poſſe reprobum, 1 Cor. IX, 27. At h. l. non de negotio ſalutis, ſed de officio eccleſiaſtico agitur. Eſt & manet igitur decretum electionis immutabile.

Decretum reprobationis ejusdem rationis eſt, 1 Sam. XV, 29.

CAPUT VII.
DE
CERTITUDINE ELECTIONIS.

Cum decretum electionis noſtræ non modo particulare, ſed etiam immutabile ſit, iſtudque dependeat a divina fidei noſtræ finalis præviſione, quæritur: *num etiam homo de ſua electione ad vitam æternam certus eſſe queat?*

Negant hoc *Pontificii*, qui in *Concilio Tridentino Seſſ. VI. can. 15.* temeritatis arguunt omnes qui ſuæ electionis certi eſſe volunt, ſcribentes: *nemo certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum.*

Hoc quidem *Calviniani* non expreſſe docent, ex eorum tamen doctrina de abſoluto electionis & reprobationis decreto iſtud per ſe ſequitur. Nemo enim ſuæ electionis æternæque ſalutis certus ac perſuaſus eſſe poteſt, qui credit, Deum abſolute certos homines ſalvos facere, alios vero in infernum detrudere velle.

In neutra igitur religione bene moriendum eſt. In morte enim nil magis animum tranquillat, nec ejus acerbitatem aliquid melius temperat, quam certa perſuaſio, ſe eſſe in numero electorum, quippe quorum mors nil niſi tranſitus eſt ad vitam æternam.

Noſtra

Noſtra itaque Evangelico-Lutherana eccleſia magnam habet prærogativam præ cæteris chriſtianæ religionis ſectis, quia in ea firmiter credere poteſt homo, ſe eſſe inter electos vitæ æternæ hæredes. Multi quidem ſe ipſos falſa perſuaſione decipiunt, ſed hoc fidei vere credentium non nocet, quia iſta ſatis fundata eſt.

Veri fideles cum Paulo certi ſunt, ſe nihil divellere poſſe ab amore Dei in Chriſto Jeſu, Rom. VIII, 38. 39. gaudentque in omnibus calamitatibus de inſcriptione nominum ſuorum in cœlo, Luc. X, 20.

Eſt autem *certitudo noſtræ electionis* dupliciter conſideranda partim reſpectu Dei, partim reſpectu hominum.

Reſpectu Dei certitudo hæc *abſoluta* & *infallibilis* eſt, quia fundatur prævifione ejus infallibili, quapropter etiam electionis decretum immutabile vocatur. *Reſpectu hominum* vero eſt *ordinata* ſ. *hypothetica*, quia fundatur fide in Chriſtum, Marc. XVI, 16. Hac autem deficiente deficit etiam gratia divina, quæ ſola nos ſalvificat, Act. XV, 11. Eph. II, 5. 8. Tit. III, 5. Uti vero quilibet ſe ipſum explorare poteſt, num in fide verſetur, 2 Cor. XIII, 5. ſic etiam homo ſalutis ſuæ æternæ tamdiu certus eſſe poteſt, quamdiu ſe in fide verſari credit, 2 Tim. I, 12. 1 Joh. V, 13. 2 Cor. V, 6-8. Rom. V, 1. 2. Hebr. X, 22. 23. Per fidem enim juſtificamur, Rom. III, 26. 28. c. X, 4. Gal.

 II, 16.

II, 16. Phil. III, 9. Qui autem juſtificatur, etiam ſalvatur, Rom. VIII, 30. Tit. III, 7.

Hæc certitudo hypothetica a *dubitatione*, quam *Calvinia* cum illa plerumque confundunt, valde diſtinguenda eſt. Conditione enim, ſ. fide genuina, in actu poſita, quilibet quoque gratiæ divinæ abſolute certus eſſe poteſt per totam vitam & in ipſa morte. Talis homo non neceſſe habet de ſua electione ſollicitus eſſe. Accedit teſtimonium Spiritus S. internum, Rom. VIII, 16. quod in ſpe & fide nos obſignat, 2 Cor. I, 22. Eph. IV, 30.

Calixtini non aliam certitudinem ſalutis & electionis admittunt, quam *moralem*, quam tamen cum formidine contrarii conjunctam eſſe contendunt. Provocant ad Phil. II, 12. qui locus autem partim Phariſæiſmo, partim Epicuræiſmo opponitur, & non de ſervili, ſed filiali timore agit, quæ carnalem ſecuritatem & propriarum virium confidentiam excludit. Ejusmodi certitudo moralis in mera dubitatione conſiſtit.

Dantur quidem *gradus certitudinis*, quapropter etiam Petrus nos hortatur, electionem noſtram certiorem reddere, 2 Petr. I, 10. quod fit per incrementum ſalutaris cognitionis & diligens exercitium pietatis; at non tamen totalis incertitudo cor noſtrum occupare debet. Loquimur autem hic non de ſtatu tentationis, in quem Deus pios homines interdum ad tempus prolabi ſinit, ut in bono probentur & confirmentur

mentur. Hos Deus cum gratia sua non relinquit, sed justo tempore non modo ex statu tentationis gloriose eruit, & simul de sua electione & salute multo certiores reddit, 1 Cor. X, 13.

Ad quæstionem: *num etiam aliquis de finali fide sua certus esse queat?* respondetur affirmando, si modo in usu mediorum gratiæ constans & vere ad Christum conversus est. Deus enim nos in fide conservare vult usque ad mortem, 2 Tim. I, 12. Phil. I, 6. 1 Petr. I, 5. c. V, 10. 11.

CAPUT VIII.

DE INSCRIPTIONE IN LIBRUM VITÆ.

Deo tribuitur in Scriptura S. *liber vitæ*, cui inserere dicitur nomina hominum: Fit per ἀνθρωποπάθειαν ad exemplum regum Medorum & Persarum, qui subditorum aut bene meritorum ministrorum nomina & facta in certos libros s. commentarios retulerunt, Esth. VI, 1. sq.

Vocatur ejusmodi liber divinus in sacris literis modo simpliciter *liber*, Exod. XXXII, 32. 33. Dan. XII, 1. Ps. CXXXIX, 16. modo *liber vitæ*, Phil. IV, 3. Apoc. III, 5. c. XVII, 8. c. XX, 12. 15. c. XXII, 19. modo *liber vivorum*, Ps. LXIX, 29. Jes. IV, 3. modo *liber vivus agni*, Apoc. XIII, 8. c. XXI, 27. Interdum etiam solius *cæli*, in quo nomina scripta sint, mentio fit, e. g. Luc. X, 20. Hebr. XII, 23.

Intelligitur per hunc *librum vitæ* numerus ſ. catalogus hominum, quibus Deus vitam dare decrevit ad conſervandam quaſi eorum ſempiternam memoriam.

Quemadmodum autem *triplex* datur *vita*, ſcilicet naturalis, ſpiritualis & æterna, ita quoque *triplex* datur *liber vitæ* apud Deum, nempe *liber vitæ naturalis*, *liber vitæ ſpiritualis* & *liber vitæ æternæ*.

Inſcriptio itaque in librum vitæ nil aliud eſt, quam receptio hominum in numerum eorum, quibus Deus vitam dare decrevit; *deletio vero ex hoc libro* eſt excluſio hominum ex hoc numero.

Quidam *duplicem* tantum ſtatuunt *librum vitæ*, ſcilicet *librum gratiæ* & *librum gloriæ*, ſed neſcio, cur non etiam detur *liber vitæ naturalis* apud Deum, cum hominis nativitas & vitæ ejus naturalis conſervatio omnino quoque a ſingulari Dei providentia dependeat? Jer. I, 5. Hiob. X, 8.

Sunt, qui per *librum vitæ* ipſum *Chriſtum* intelligunt. Sed ex Apoc. XIII, 8. & c. XXI, 26. ſatis demonſtrari poteſt, librum vitæ non eſſe ipſum agnum ſ. Chriſtum, ſed tantum agni ſ. Chriſti librum. Eſt quidem Chriſtus vitæ ſpiritualis & æternæ cauſa ac fundamentum, non vero ipſa vita proprie ſic dicta, etſi improprie vellet ſuorum fidelium *vita* nuncupari, Joh. XI, 25. c. XIV, 6. Phil. I, 21. Col. III, 4. Quomodo autem hæc vita interpretanda ſit, ex 1 Joh. V, 11. 12. Gal. II, 20. 1 Joh. IV, 9. cognoſci poteſt.

Liber

Liber vitæ itaque est numerus eorum, quos Deus vivere vult. Ne autem inscriptio in hunc librum nec deletio ex eodem, quæ utraque in Scriptura S. diversum sensum habet, nos in errorem inducat, cavendum est, ne triplicem hominis vitam confundamus.

Non enim simpliciter ex quovis libro vitæ deletio locum habet, nec cum vera fide fidelium consistere potest desiderium, ex libro vitæ spiritualis & æternæ deletum iri. Hac de causa *triplicem* constituimus *classem* locorum biblicorum, quæ de libro vitæ agunt.

Ad *primam classem* referimus loca Exod. XXXII, 32. 33. Ps. LXIX, 29. Ps. CXXXIX, 16. ubi de libro vitæ naturalis agitur; ad *secundam classem* loca Jes. IV, 3. Apoc. III, 5. c. XIII, 8. c. XVII, 8. c. XXII, 19. ubi de libro vitæ spiritualis sermo est, & ad *tertiam classem* loca Dan. XII, 1. Phil. IV, 3. Luc. X, 20. Hebr. XII, 23. Apoc. XX, 12. 15. c. XXI, 27. ubi liber vitæ æternæ intelligitur.

Inscriptio in triplicem hunc librum vitæ fit *ab æterno*, quia omnia, quæ Deus in tempore facit, ab æterno ita decrevit, ut tanquam jam facta habenda sint. Hoc tamen intercedit discrimen, ut inscriptio in librum vitæ naturalis & spiritualis non cum immutabili determinatione fiat, sicut inscriptio in librum vitæ æternæ. Ex hoc enim nemo deleri potest, ex prioribus vero deletio fieri potest, quatenus causæ Deum ad hanc deletionem moventes extant, quæ

quasi conditio sunt, sub qua Deus in utrumque hunc librum homines referre voluit.

Respectu *libri vitæ æternæ* distinctio in voluntatem antecedentem & consequentem locum habet, quia inscriptio in istum idem est ac electio ad vitam æternam.

Inter catachresticas omnino cum B. KROMAYERO referimus locutiones, quando ii, qui baptizantur, per *baptismum* in librum vitæ inscribi dicuntur. Baptismus enim non actus Dei, sed actus ministrorum ecclesiæ est, qui neminem per istum in numerum electorum recipere possunt. Nec quoque omnes baptizati pervenient ad vitam æternam.

CAPUT IX.

DE DECRETO REPROBATIONIS.

Decretum *reprobationis* est, quando Deus ex justitia sua vindicativa ab æterno omnes peccatores, finaliter incredulos, damnare constituit.

Non aliter istud comparatum est, quam decretum electionis.

Non est absolutum, sed restrictivum. Solum suum respectum habet ad hominum incredulitatem finalem. *Qui non credit*, ait Christus, *damnabitur*, Joh. III, 18. 36. Hæc *incredulitas finalis* est causa impulsiva, quæ voluntatem Dei ad

ad reprobandum illum, qui incredulitati locum dat, movet.

Cum enim Deus cujuslibet hominis ſtatum, in quo ante mortem verſatur, accuratiſſime præſciat, ipſi omnino etiam decretum reprobationis tribuitur, quod quidem particulare, at ſimul immutabile eſt, eodem ſcilicet modo, quo decretum electionis ex neceſſitate hypothetica immutabile vocavimus.

Vox *reprobationis* in ſacris literis non occurrit, ſed tantum vov ἀδόκιμος ſ. *reprobus*, 1 Cor. IX, 27. 2 Cor. XIII, 5.

Pontificii, qui BELLARMINUM *Lib. II. de Gratia & Lib. Arb. c. 16.* ſequuntur, plurimique *Calviniani duos* faciunt reprobationis *actus*. *Primum* vocant Pontificii & Scholaſtici *negativum* ſ. *paſſivum*, *alterum* verum *poſitivum* ſ. *affirmativum* & *activum*. Secundum *priorem actum* perhibent, Deum hunc vel illum non ſalvare velle; ſecundum *poſteriorem* vero, hunc vel illum damnare velle. *Prioris* non dari cauſam, *poſterioris* vero cauſam eſſe prævifionem peccati mortalis.

Calviniani primum actum vocant *actum præteritionis*, ſ. propoſitum deſerendi quosdam homines, alterum vero *actum prædamnationis* ſ. ordinationem ad pœnam aut juſtum exitium. Verum tota diſtinctio hæc nullum habet in ſacris literis fundamentum.

Maximus Calvinianorum *error* circa hanc doctrinam verſatur in eo, ut *abſolutam* eſſe conten-

dant hominum *reprobationem*. Provocant 1) ad odium Dei erga Esavum, Mal. III, 3. Rom. IX, 13. At exemplum hoc huc non quadrat, quia non modo ad solos Esavi posteros & ad bona temporalia, iis per denegatam benedictionem Isaaci subtracta, spectat, sed etiam vox *odisse* h. l. nil aliud quam *minus amare* significat.

Provocant 2) ad excoecationem & indurationem, quæ Deo in Scriptura S. tribuitur, e. g. Jes. VI, 10. Exod. IV, 21. Verum hæc excoecatio & induratio inter actus referri debent, qui non aliter, quam permissive interpretandi sunt. Tribuuntur etiam Deo hi actus non ut caussa, sed ut poena peccatorum. Et hujus respectu dici possunt *justa judicia* divinæ vindictæ, quibus Deus ex voluntate consequente peccatores finaliter contumaces per subtractionem respuendæ gratiæ in tantam malitiam & temeritatem cæciter ruere finit, ut eo notabilius in punitione eorum temporali edat exemplum justitiæ suæ vindicativæ, Exod. VII, 3. 4. c. IX, 16. Rom. IX, 17. Vocantur propterea ejusmodi peccatores *vasa iræ*, Rom. IX, 22.

Provocant 3) ad Rom. IX, 18. Verum ex contextu patet, Paulum h. l. non indicare, quid Deus velit, sed quid possit per absolutam suam potentiam facere. Comparatur propterea cum figulo, in cujus potestate est, perdita sua vasa & conservare & confringere, v. 21. Hanc potestatem etiam Deus habere dicitur respectu suarum creaturarum. Vult autem

inter-

interdum vasa iræ, ad interitum temporalem destinata, multa longanimitate tolerare, interdum autem eadem statim in perniciem detrudere, v. 22.

Plura de hominum excœcatione & induratione alibi diximus.

* *

SECTIO III.
DE VOCATIONE DEI.

CAPUT I.
DE VOCATIONE DEI IN GENERE.

Vocatio est actus Dei, quo per verbum suum omnes homines ad credendum in meritum Christi & ad introeundum in regnum gratiæ serio invitat.

Spectat vocatio ad gratiam Dei medicinalem s. applicatricem, & adscribitur Deo *Patri*, 1 Cor. I, 9. Matth. XX, 1 seq. c. XXII, 2. 3. Joh. VI, 44. 45. *Filio*, Rom. I, 6. Matth. XI, 28. 2 Cor. V, 20. Proverb. I, 20. 21. & *Spiritui S.* Matth. X, 20. Act. VII, 51. Fit itaque vocatio quasi a Patre per Filium in Spiritu S.

Proprie pertinet vocatio ad officium Christi propheticum, cujus respectu Salvator voluntatis divinæ interpres est.

Vocatio Dei distingui potest in *primariam* & *secundariam*.

Vocatio

1. *Vocatio* Dei *primaria* ea ipsa eſt, de qua hic proprie agitur. Spectat ad omnes homines, quatenus Deus illos in æternum ſalvare vult.

Vocatio vero *ſecundaria* ea eſt, quando Deus hominem ad certum munus aut vitæ genus vocat partim per inſtinctum internum, partim per parentes & ſuperiores, partim per alias cauſas externas. Hanc vocationem ſecundariam per primariam ſanctificare debemus. Agitur de hac ſecundaria vocatione Exod. XXXI, 2. Sir. XI, 23. 1 Cor. VII, 17. 20. Eph. IV, 1. Inprimis huc refertur munus eccleſiaſticum, ad quod quilibet, qui eodem fungi vult, rite & recte vocatus eſſe debet, de qua vocatione alibi plura dicentur.

Hic tantum agimus de *vocatione ad regnum gratiæ*, quæ vel *immediata* vel *mediata* eſt. *Immediata* eſt, quæ ab ipſo Deo & Chriſto ſine hominum miniſterio fit, & *mediata*, quæ per homines eorumque miniſterium vel ordinarium vel extraordinarium fit.

Diſtinguunt etiam certi Theologi inter vocationem *ad verbum* & *per verbum*. Hæc fit ordinarie per verbum divinum, illa vero pædagogice ad verbum divinum.

Alii diſtinguunt inter Ruffen & Beruffen. Prius indicat vocationem per media pædagogica, poſterius vero vocationem per verbum Dei ordinarium.

Diſtinguitur a quibusdam quoque inter κλητοὺς & κεκλημένους. Illi ſunt, qui vocationem ſequun-

ſequuntur, Rom. I, 6. 7. 1 Cor. I, 2. Apoc. XVII, 14. hi vero, qui vocationem quidem acceperunt, non vero ſequuntur, Matth. XXII, 3. 4. Sed plerumque voces iſtæ promiſcue uſurpantur.

Eſt autem *vocatio* ad regnum gratiæ *neceſſaria*. Quomodo enim credant homines, de quo nil audiverunt? Rom. X, 14. Fides ex auditu eſt, auditus vero per verbum Dei, v. 17.

Eſt etiam vocatio Dei non modo *univerſalis*, ut in ſequenti capite docebimus, ſed etiam *ſeria*, Ezech. XXXIII, 11. Jeſ. LXV, 2. Luc. XIV, 23. Eſt quoque reſpectu Dei *efficax*, Phil. II, 13. Rom. I, 16. Joh. VI, 44. reſpectu hominum vero *reſiſtibilis*, Act. VII, 51. Luc. XIV, 18-20. ut infra pluribus percipiemus.

Finis vocationis Dei *a quo* ſunt *tenebræ*, 1 Petr. II, 9. Eph. V, 8. Jeſ. LX, 2. quæ indicant totum regnum diaboli, ejusque opera, Col. I, 13. Eph. VI, 12. Joh. III, 19. Eph. V, 11. Extendunt ſe hæ tenebræ ſuper totum hominem & omnes animæ facultates.

Finis ad quem intermedius ſunt tam ordo ſalutis, Matth. IX, 13. 1 Theſſ. IV, 7. Col. III, 15. 1 Petr. II, 21. quam bona ſalutis, 1 Petr. II, 9. c. III, 9. 1 Cor. I, 9. 2 Theſſ. II, 14. Matth. XI, 28. 29. *finis* vero *ultimus* eſt vita æterna, 1 Tim. VI, 12. 1 Petr. V, 10. Eph. I, 18. 1 Theſſ. II, 12.

CAPUT

CAPUT II.
DE UNIVERSALITATE VOCATIONIS DEI.

Cum non modo *gratia Dei* erga homines, sed etiam *meritum Christi*, ut supra satis probavimus, universale sit, non potest non etiam *vocatio Dei* ad regnum gratiæ *universalis* esse. Spectat enim non solum ad omnes homines & gentes, sed etiam ad omnia tempora.

Vocationem Dei spectare ad *omnes homines* & *gentes*, probatur ex Pf. L. 1. Marc. XVI, 15. Matth. XXII, 9. 10. c. XXVIII, 19. Luc. XIV, 21. 24. c. XXIV, 47. Pf. XIX, 5. Act. XIII, 46. 47. c. XVII, 30. Jef. XLIX, 6. Rom. X, 18. Col. I, 6. 23. 1 Tim. II, 4. 6. Ex hisce locis patet, eam non modo esse prædictam, Pf. L, 1. Jef. XLIX, 6. Pf. XIX, 5. sed etiam præceptam, Marc. XVI, 15. Matth. XXVIII, 19. Luc. XXIV, 47. & præstitam, Col. I, 6. 23. Rom. X, 18. Act. XIII, 46. 47.

In locis Matth. XX, 16. & c. XXII, 14. *vocati* opponuntur *electis*, quorum respectu illorum numerus omnino major dicendus est. Per *multos* itaque h. l. tota multitudo hominum indicatur, inter quos omnino pauci sunt, qui vocationem accipiunt & pauciores, qui juxta eam debito modo vivunt. Extendit etiam se vocatio Dei super *omnia tempora*. Ex historia sacra V. & N. T. hoc satis demonstrari potest. B. RAMBACHIUS *in Theol. Dogm. P. II. p. 1480 sq.* consti-

conſtituit ſex periodos vocationis Dei univerſalis. *Prima periodus* fuit tempus ab Adamo usque ad Noachum; *ſecunda* a Noacho usque Moſem; *tertia* a Moſe usque ad Salomonem; *quarta* a Salomone usque ad deſtructionem primi templi; *quinta* a temporibus deſtructi templi primi usque ad nativitatem Chriſti, & *ſexta* a temporibus Chriſti usque ad præſens tempus.

Populi, quorum Deus in vocatione ſua oblitus eſſe videtur, habent ſaltem media vocationis pædagogica, de quibus infra agetur. Quod vero tot gentes *deſtitutæ* ſint *evangelio*, per quod homines ordinarie ad regnum Chriſti vocantur, non ex abſoluto Dei decreto fit, ſed ex voluntate conſequente, & quidem 1) propter contumaciter ſpretum evangelium, Matth. XXII, 8. Act. XIII, 46. 2) propter malitioſum abuſum luminis naturæ pædagogici, Rom. I, 20 ſeq. Act. XVII, 27 ſeq. 3) propter perpetuæ rejectionis verbi divini prævifionem, Act. XVI, 6. 7. Matth. XIII, 58. & 4) propter judicia Dei incomprehenſibilia, nec abſoluta nec injuſta, Rom. XI, 33.

Inde cognoſci licet, ad vocationem Dei univerſalem non neceſſarium eſſe, ut doctrina evangelii omnibus ac ſingulis coram & immediate per præcones, peculiariter a Deo miſſos, annuncietur, ſed ſufficere, eandem ita promulgari & promulgatam eſſe, ut ad omnium notitiam pervenire queat.

CAPUT

CAPUT III.

DE MEDIIS VOCATIONIS DEI.

Immediate nemo quidem ad regnum gratiæ facile vocatur a Deo, dantur tamen aliqua immediatæ vocationis exempla, e. g. *Adami*, Gen. III, 9 seq. *Abrahami*, Act. VII, 2 seq. & *Pauli*, Act. IX, 3. 4. ut ex hisce singulis exemplis discamus, quam ardenter Deus hominum salutem promovere studeat, nec dubitemus, Deum omnino causam principalem esse nostræ vocationis ad salutem & vitam æternam.

Certo modo etiam *infantes* a Deo immediate ad regnum gratiæ vocantur, quatenus Spiritus S. jam in utero materno vi meriti Christi universalis opus suum in iis habet, Matth. XVIII, 10. 11. Nondum enim in sua infantia malitiose ei repugnant, uti postea fieri solet, quando adolescunt & peccati illecebris se relinquere incipunt. Tunc autem vocationis suæ, in infantia acceptæ, ita obliviscuntur, ut, nisi per verbum Dei iterum a Deo vocentur, pro non vocatis omnino habendi sint.

Medium vocationis *ordinarium* est *verbum Dei*, Rom. X, 14. 15. Luc. XVI, 29. & inprimis *evangelium*, Marc. XVI, 15. 2 Theff. II, 14. certo modo etiam *lex*, Gal. III, 24.

Dantur etiam *extraordinaria media*, quæ *pædagodica* nuncupantur. Hæc hominibus incredulis occasionem præbent; verum Deum cogno-

gnoscendi & in Filium ejus, Jesum Christum, credendi. Huc spectant lumen rationis, Rom. I, 19. c. II, 14. 15. Act. XVII, 23. opera creationis & beneficia Dei, Rom. I, 20. Act. XIV, 17. afflictiones, Jes. XXVI, 16. Jer. V, 3. bona exempla, Matth. V, 16. 1 Petr. II, 12. somnia, Hiob. XXXIII, 15. 16. miracula, Matth. XXVII, 54. Luc. XXIII, 48. Joh. IV, 48. & alii singulares casus, per quos homines interdum ad Christum convertuntur.

Qui igitur non per medium ordinarium vocantur, *media* saltem vocationis *pædagogica* habent, scilicet 1) testimonium creaturarum extra se, 2) testimonium rationis & conscientiæ in se, & 3) notitiam de religione christiana, per famam accipiendam.

Hæc media ad quærendum verum Deum & genuinum salutis fontem ducere possunt omnes, qui verbo Dei carent. Et quanquam ejusmodi homines non ad eam cognitionis plenitudinem pervenire queant, qua ii gaudent, *quibus* μείζων χάρις ἐδόθη κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, h. e. *major gratia secundum mensuram doni Christi data est*, Eph. IV, 7. non tamen propterea a nobis temere damnandi sunt. Datur enim μέτρον τῆς πίστεως, Rom. XII, 3. Cui Deus non multum dedit, nec ab eo multum poscit, Luc. XII, 48.

Non autem hoc ita interpretandum est, quasi nos non necesse haberemus, omnem operam studiique summam eo impendere, ut genuinam

salutis in Christo cognitionem adipiscamur, 1 Tim. II, 4. inque ea quotidie crescamus, Col. I, 11. nec non mediis gratiæ rite utamur & ex sola fide in Christum justificemur & salvemur, Rom. III, 25, 26. c. V, 1. Marc. XVI, 16. Eph. II, 8. Hæc enim est vocationis nostræ præscripta lex, qua neglecta damnamur, imo κανὼν s. regula, in qua incedere debemus, si pacem & misericordiam Dei habere volumus, Gal. VI, 16. Phil. III, 16. Quibus itaque hæc regula præscripta est; ii quoque credant, se a Deo vocatos esse ad incedendum juxta eam. Cæteri vero, quibus ista regula non innotuit, ad χρόνους τῆς ἀγνοίας s. *tempora ignorantiæ* referendi sunt, de quibus Paulus testatur, Deum ὑπερείδειν s. iis parcere & connivere, Actor. XVII, 30.

Media vocationis pædagogica sunt quasi *vox Dei terrens & excitans*, medium ordinarium vero s. verbum divinum, est *vox Dei instruens & persuadens*.

CAPUT IV.
DE RESISTIBILITATE VOCATIONIS DEI.

Vocatio Dei omnino *resistibilis* est. In hominum enim libertate positum est, num eam sequi velint, nec ne. Non *vocatio* dicenda foret, sed coactio, si ei resisti nequeat.

Deus

Deus nobiscum tanquam cum rationalibus creaturis agit, quibus non ut equis & mulis lupatum frenumque injici debet, ut ad eum veniant, Ps. XXXII, 9. Libera debet esse eorum voluntas, qui ad Deum appropinquare volunt ad accipiendam ejus gratiam & salutem, benignissime iis oblatam. Sufficit, Deum non modo nos ad se per verbum diligentissime allicere, sed etiam in persuadendo & commovendo corde nostro se assiduum præbere, Jes. LXV, 2. Matth. XXIII, 37.

Scriptura S. exprimit hoc per ἀναγκάζειν, Luc. XIV, 23. quod non violenta manu, sed verbis persuasoriis fit, uti Christus fecit, cum discipulos suos ad conscendendum in navim instigaret, Matth. XIV, 22. Ἀνάγκαζον εἰσελθεῖν igitur h. l. idem est, ac si herus ad servum suum dixisset: *sollicita, instiga eos, ut ingrediantur.* Hac ratione voluntati hominis non vis infertur, sed retinet illa libertatem suam.

Est & manet igitur omnis Dei vocatio *resistibilis.* Distinguitur autem inter *resistentiam naturalem* & *malitiosam.* Prior in omnibus hominibus datur ob peccatum originale, quæ autem non impedit conversionem nostram, posterior vero ea est, secundum quam vocationi Dei ipso facto resistitur. Opponitur quidem locus, Rom. IX, 19. ubi negatur, Dei voluntati resisti posse. Sed h. l. non Paulus, sed homo errans loquitur, qui confundit voluntatem absolutam & ordinatam. Huic, non illi resisti

poteſt. Eſt autem *ordinata voluntas Dei* ea, quæ in rebus gratiæ & ſalutis locum habet & vocationis divinæ cauſa eſt.

Maximum malitioſæ reſiſtentiæ exemplum præbent *Judæi*, Matth. XXIII, 37. qui tamen primi fuerunt, quos Deus ad regnum gratiæ per evangelium vocavit, Act. XIII, 46. Optime hanc reſiſtentiam depingit Chriſtus in duplici parabola, Matth. XXII, 2 ſeqq. Luc. XIV, 16 ſeqq.

Errant circa hanc reſiſtentiam *Calviniani*, qui *duplicem vocationem* ſtatuunt, *internam* & *externam*. *Externam* fieri omnibus hominibus per verbum contendunt, ſed Deum non habere intentionem, corda mutandi & homines convertendi; *internam* vero eam eſſe dicunt, quæ cum irreſiſtibili efficacia converſionis conjuncta ſit. Fundatur error hic falſa eorum doctrina de abſoluto electionis decreto, ſecundum quod vocatio Dei in electis irreſiſtibilis eſſe creditur.

LIBER

LIBER IX.

DE
REGENERATIONE ET CONVERSIONE.

Quia *regeneratio* in sensu latiori totum *conversionis* opus comprehendit, utriusque doctrinam conjungemus & in duabus sectionibus 1) de *Regeneratione* & 2) de *Conversione & Pœnitentia* agemus.

* *

SECTIO I.
DE REGENERATIONE.

CAPUT I.
DE
REGENERATIONE IN GENERE.

Vox *regeneratio* est metaphorica. Christus prima vice ea usus est Matth. XIX, 28. ubi discipulos suos nominat ἀκολουθήσαντες ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, h. e. qui ipsum secuti sint in regeneratione. Repetit hanc vocem Paulus Tit. III, 5. ubi baptismum vocat lavacrum regenerationis.

Qualis

Qualis per hanc παλιγγενεσίαν generatio intelligatur, ipse Christus in colloquio suo cum Nicodemo indicavit, cum de modo ad vitam æternam perveniendi eum erudiverit. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, inquit, non regnum Dei videre potest, Joh. III, 3.

Vox ἄνωθεν prægnans est. Non modo idem ac denuo, Gal. IV, 19. sed etiam *desuper*, Matth. XXVII, 51. Joh. XIX, 23. & *cælitus s. de cælo*, Joh. III, 31. c. XIX, 11. Jac. I, 17. c. III, 15. 17. significat. Si hæc Christi verba cum sequentibus v. 5. & 6. conjungimus, satis patet, talem hic intelligi generationem, quæ spiritualis sit & ad consequendam vitam æternam spectet. Johannes idem exprimit per γεννηθῆναι ἐκ τοῦ Θεοῦ, h. e. *nasci ex Deo*, 1 Joh. V, 1.

Facile inde conjici licet, vocem regenerationis modo *late*, modo *stricte* sumi.

Si regeneratio *late* sumitur, omnem Spiritus S. operationem in convertendo homine indicat & sic tam justificationem quam sanctificationem comprehendit. Hanc significationem vox hæc in Solida declar. Form. Concord. Art. III. p. 685. habet.

Si regeneratio *stricte* sumitur, nil aliud significat, quam resuscitationem hominis spiritualiter mortui ad vitam spiritualem. Sicut autem generationem sequitur nativitas, ita etiam homo per regenerationem nascitur filius Dei.

Tota doctrina de regeneratione opponitur *peccaminosæ generationi naturali*, secundum quam in

in peccato concipimur & ut filii Satanæ, Joh. VIII, 44. filii inferni, Matth. XXIII, 15. & filii iræ divinæ, Eph. II, 1. nascimur. Cum enim filii Dei non sint, qui carnaliter gignuntur, Rom. IX, 8. Joh. III, 6. omnis, qui inter genuinos filios Dei numerari vult, per Spiritum S. quatenus fidem in Christum in nobis operatur, Joh. I, 12. Gal. III, 26. denuo renasci debet, Joh. III, 5.

Regeneratio itaque omnino differt a *justificatione* & quidem ita, ut hæc sit actio extra hominem, illa vero actio in homine; sunt tamen ambæ tam arcte secum conjunctæ, ut fere simul fiant.

Differt etiam regeneratio a *conversione*, quatenus hæc latiorem sensum habet, quam illa, & tam ad infantes quam adultos spectat. Conversio etiam simul pœnitentiam includit, quæ certo modo ad officia hominis pertinet.

CAPUT II.

DE SUBJECTO REGENERATIONIS.

Hoc sunt *omnes homines* in peccato geniti citra differentiam sexus & ætatis. De iis enim omnibus valet verbum Christi: *Quod ex carne natum est, caro est*, Joh. III, 6. Cum rege Davide quisque homo fateri debet: *Genitus sum ex peccaminoso semine & mater mea me concepit in peccato*, Ps. LI, 7.

Dicuntur propterea omnes homines ante regenerationem *irregeniti*, quibus deest vita spiritualis, sine qua nemo filius Dei & hæres vitæ æternæ esse potest. ψυχικοὶ quidem, non vero πνευματικοὶ post lapsum vocari possunt, 1 Cor. II, 14. 15. Jud. v. 19.

Per peccatum *mors* tam naturalis, quam spiritualis ad omnes homines pervasit, Rom. V, 12. quapropter omnes irregeniti pro spiritualiter mortuis habendi sunt, Eph. II, 1. 5. c. V, 14. Col. II, 13. Rom. VIII, 6. 1 Joh. III, 14. Qui non ad vitam spiritualem resuscitantur, non salvi fieri possunt, quia Deus non mortuorum, sed vivorum Deus est, Matth. XXII, 32. Luc. XX, 38.

Irregeniti sunt pleni cæcitatis, Eph. IV, 18. c. V, 8. 1 Cor. II, 14. Apoc. III, 17. & habent cor lapideum, Ezech. XI, 19. c. XXXVI, 26. Necesse hinc est, ut per regenerationem illuminentur & cor carneum accipiant, Ezech. c. l.

Irregeniti dicuntur etiam *servi diaboli*, 2 Tim. II, 26. Act. XXVI, 18. Eph. II, 2. Hebr. II, 14. 15. Col. I, 13. *servi peccati*, Joh. VIII, 34. Rom. VI, 12. 2 Petr. II, 19. 1 Reg. XXI, 20. 25. & *servi mundi*, 1 Joh. V, 4. 5. Deus autem tales, qui ejus hostibus serviunt, non ut filios in suum regnum cœlorum recipere potest. Dicet potius aliquando Judex divinus ad istos: *discedite a me operantes iniquitatem!* Matth. VII, 23. aut: *discedite a me maledicti in ignem æternum!* Matth. XXV, 41.

Hac de causa omnis, qui vita caret spirituali, renasci debet, si regnum cœlorum ingredi vult. Hoc non aliter fieri potest, quam per regenerationem.

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE REGENERATIONIS.

Cujus filius aliquis est, ejus pater etiam est ille, qui ipsum genuit. Cum igitur *regeniti* filii Dei dicantur, sequitur, Deum eos etiam generasse.

Expresse hoc testatur Johannes, dum scripsit, quod omnes, qui crediderunt in nomen Jesu, ab ipso *ἐξουσίαν filiorum Dei* acceperint, ejusmodi nempe filiorum, qui non de sanguine, nec de voluntate carnis, aut de voluntate viri, sed *ex Deo nati* sint, Joh. I, 12.13.

Loquitur apostolus h. l. non de naturali, sed spirituali generatione, quæ non alia est, quam sic dicta regeneratio, per quam recipimur in filios Dei. Hanc cum expresse Deo tribuat, satis patet, Deum ejus causam efficientem principalem esse.

Fit autem hæc generatio neutiquam ex Dei essentia, qualis tantum ea est, qua secunda Deitatis persona a prima persona ab æterno genita esse dicitur, Ps. II, 7. & quæ propterea unigenitus filius Dei Patris vocatur, Joh. I, 14. 18. c. III, 16.

Homines nominantur *filii Dei* tantum improprie, et quidem a) propter creationem, Deut. XXXII, 6. Jes. LXIV, 6. Mal. II, 10. Eph. III, 15. b) propter redemptionem, Joh. I, 12. Gal. III, 26. c. IV, 5. Eph. I, 5. c. II, 20. c) propter jus æternæ hæreditatis, Rom. VIII, 17. Gal. IV, 7. Tit. III, 7. 1 Petr. I, 4. d) propter speciales prærogativas, Rom. IX, 4. & denique e) propter *spiritualem regenerationem.*

Et hæc est ea Dei unitrini actio, qua homo spiritualiter mortuus ad vitam spiritualem resuscitatur & sic in filium Dei recipitur.

Tribuitur hæc actio divina, tanquam opus ad extra, toti *sacrosanctæ Trinitati*, Jac. I, 17. 18. Joh. I, 13. 1 Joh. V, 1. 4. speciatim vero tam *Patri*, 1 Petr. I, 3. & *Filio*, Rom. V, 14. Jes. IX, 6. Hebr. II, 13. 1 Cor. XV, 45. quam *Spiritui S.* Tit. III, 5. & huic quidem principaliter, Rom. VIII, 15. quia hominibus in eum finem datus est, ut omne bonum opus in iis efficiat, Ezech. XXXVI, 27. Ps. CXLIII, 11. Joh. XIV, 16. 17. c. XV, 26. Rom. VIII, 9. 14. 15. 16. 26. 1 Cor. II, 12. c. III, 16. c. XII, 3. 11. 2 Cor. V, 5. Gal. IV, 6. c. V, 18. 22. Eph. V, 9. 2 Tim. I, 7. 1 Joh. III, 24. c. V, 6.

Adscribitur regeneratio *Patri* dispositive, *Filio* meritorie & *Spiritui S.* applicative.

Causa, quæ Deum ad regenerandum nos impulit, est ejus summa *misericordia*, quapropter Petrus dixit; Deum κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος, h. e. *secundum suam multam misericordiam* nos rege-

gene-

generasse, 1 Petr. I, 3. & Paulus scripsit, Deum, *divitem misericordiæ*, propter multam charitatem suam, qua dilexerit nos, cum essemus mortui per delicta, convificasse nos Christo, Eph. II, 4. 5. Ad hanc autem misericordiam commotus est Deus per Christi meritum, Joh. I, 12. 13. 17. 2 Tim. I, 9. Eph. II, 20. quod propterea regenerationis nostræ causa impulsiva externa & meritoria vocatur.

Ex gratia igitur suscepit nos Deus in filios & filias, quod in Scriptura S. exprimitur per υἱοθεσίαν s. *filiationem*, Gal. IV, 5. Rom. VIII, 15.

CAPUT IV.

DE MEDIIS REGENERATIONIS.

Omnis generatio fit ex *semine*, quatenus istud debito modo immittitur in corpus, in quo generatio peragitur.

Idem certo modo fit in regeneratione spirituali. Semen in ea est *verbum Dei*, Luc. VIII, 11. Jac. I, 18. 1 Petr. I, 23. & inprimis *evangelium*, 1 Cor. IV, 15. quod expresse dicitur *semen incorruptibile*, quia Deum vivum, qui in æternum manet, auctorem habet, 1 Petr. I, 23.

Sicut autem omne semen exiguam formam & tamen efficacissimam virtutem habet: ita etiam verbum Dei ab irregenitis hominibus parvi quidem penditur, attamen excellentissima gau-

det

det vivificandi virtute, Hebr. IV, 12. Joh. VI, 63. Rom. I, 16.

Nulla vero generatio ex semine per se fit, sed per ejus legitimum usum. Hac de causa etiam verbum Dei non per se regenerat, sed quatenus secundum præscriptum Dei ordinem usurpatur & applicatur.

Hic *ordo*, secundum quem homines regenerantur, non alius est, quam legitimus usus baptismi & attenta auscultatio aut lectio verbi divini. Per utrumque hoc medium a Spiritu S. actus regenerationis perficitur.

Baptismus igitur & *prædicatio verbi divini* jure meritoque nominantur media regenerationis ordinaria.

Baptismus rectissime quidem vocatur *lavacrum regenerationis*, Tit. III, 5. in quo aqua cum verbo Dei conjungitur. Jure meritoque hinc *in Catechismo* nostro *minori* cum B. LUTHERO ita confitemur: *Aqua baptismi per se non tam magnas res efficere potest, sed verbum Dei, quod in & cum aqua est, & fides, quæ verbo Dei, aquæ addito, credit. Aqua enim sine verbo Dei est simpliciter aqua & non baptismus, sed addito verbo Dei est baptismus, & hoc est salutaris illa aqua gratiæ & vitæ, quod Paulus dicit lavacrum regenerationis.*

Idem indicat Christus, quando dicit: *Nisi quis ex aqua & spiritu renascitur, non in regnum cælorum introire potest*, Joh. III, 5. *Aqua* & *spiritus* significant hic l. *baptismum*, & *verbum Dei*. Utroque igitur neglecto nemo filius Dei hæresque vitæ æternæ fieri potest. Sunt

Sunt autem *baptismus* & *prædicatio verbi divini* actus externi, qui non nisi per homines fieri possunt. Instituit hinc Deus *ministerium ecclesiasticum*, ut per istud dicti actus sacri peragi queant. Ad hoc munus proprie *Christus* a Deo unctus & constitutus est, tanquam magnus ille propheta, ut hominibus viam salutis monstret, eosque ad regnum Dei ducat, non modo prædicando verbum Dei, Luc. XXIV, 19. Joh. III, 2. Matth. VII, 29. c. XXII, 16. Marc. I, 22. sed etiam baptizando, Matth. III, 14. Joh. III, 22. 26. c. IV, 1. Quia vero non semper immediate munere hoc prophetico in mundo fungi voluit; ordinavit ad istud certos homines, qui suo nomine, tanquam ejus ministri & mysteriorum divinorum dispensatores, 1 Cor. IV, 1. baptizarent & verbum Dei prædicarent. Tales *ministri* cum Paulo dicere possunt, se suos auditores in Christo Jesu per evangelium genuisse, 1 Cor. IV, 15. Gal. IV, 19. Vocantur isti propterea *patres*, 1 Cor. IV, 15. regeniti vero eorum *filii*, Philem. v. 10. a Theologis autem appellari solent regenerationis *causa ministerialis* & *instrumentalis*.

CAPUT V.
DE
ACTU ET FORMA REGENERATIONIS.

Verbis quidem in describenda forma regenerationis inter se differunt Theologi, re ipsa

ipſa tamen conveniunt. Nam *fidei donatio, nova creatio*, *novi hominis induitio* & *ſpiritualis vivificatio* unum fere idemque ſignificant.

Optime deſcribi poteſt *forma regenerationis* per reſuſcitationem hominis ſpiritualiter mortui ad vitam ſpiritualem. Sicut autem *vita ſpiritualis* in vera fide conſiſtit, hæc vero a Spiritu S. per media gratiæ cuilibet homini, quatenus iisdem recte utitur & Spiritui S. non malitioſe repugnat, confertur: ita facile cognoſci poteſt, quomodo regeneratio peragatur.

Verbum Dei, tanquam ſemen ſpirituale, per genuinum uſum mediorum gratiæ aſſiſtente Spiritu S. cor hominis regenerandi occupat, iſtudque vera fide ita implet, ut abnegando malis cupiditatibus & moribus ſe ad vivendum ſoli Chriſto tradat.

Hoc dicitur *hominis*, in peccatis ſpiritualiter quaſi mortui, *regeneratio*, per quam iſte *ſpiritualiter vivens* redditur, Eph. II, 5.6. Col. II, 13.

Quamdiu talis homo veram fidem per ſanctimoniam vitæ conſervat, tam diu in ſtatu regenerationis verſatur. Vivit tunc Chriſto, 2 Cor. V, 15. Rom. VI, 11. c. XIV, 8. & Chriſtus vivit in eo, Gal. II, 20. Phil. I, 21. 1 Joh. V, 11. 12. Appellatur hoc unio myſtica, de qua ſuo loco plura dicemus.

In regenerationis actu itaque duo ſimul fiunt, *fidei donatio* ex parte Dei, & *fidei acceptio* ex parte hominis. Obſervandum autem eſt de *fidei acceptione*, quod non propriis viribus fieri

poſſit,

possit, sed viribus gratiæ, quas Spiritus S. per media gratiæ suppeditat, quatenus homo non malitiose repugnat.

Inde sequitur, hominem regenerationem suam impedire posse, atque adeo omnem culpam ei ipsi tribuendam esse, si non renascitur & sic in æternnm damnatur. Habet autem talis malitiosa repugnantia tantum in adultis locum, quapropter de omnibus infantibus creditu non difficile est, eos in statu regenerationis versari.

Regeneratio omnino etiam nuncupari potest non modo *fidei donatio* & *spiritualis vivificatio*, sed quoque *nova creatio*, quia homo naturalis quasi altera vice creatur, Ps. LI, 12. Eph. IV, 24. 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Jac. I, 18. Vocari interdum etiam solet *illuminatio*, quatenus homo ex tenebris spiritualibus, quibus cor ejus obductum est, Rom. I, 21. per gratiam Dei eruitur, & sic quasi lux in Domino s. filius lucis fit, Eph. V, 8. 9. Neutiquam vero regeneratio cum Fanaticis per *emanationem divinæ essentiæ*, quæ quasi animæ humanæ implantetur, describi debet. Conjuncta quidem est cum mutatione intellectus & voluntatis spirituali, quæ tamen non substantialis, sed accidentalis est. Consistit enim hæc mutatio nonmodo in excitatione & emendatione naturalium intellectus & voluntatis qualitatum, sed etiam in productione novarum, ut infra pluribus docebimus.

CAPUT

CAPUT VI.
DE
AFFECTIONIBUS REGENERATIONIS.

Ad *affectiones regenerationis* pertinent, 1) summa necessitas, 2) incomprehensibilitas, 3) conservabilitas, 4) amissibilitas & 5) recuperabilitas.

Est regeneratio 1) *summe necessaria*, quia Christus expresse dixit: nisi quis iterum nascatur, non potest videre regnum Dei, Joh. III, 5. 6. Regnum Dei h. l. indicat regnum gratiæ. Si itaque non alius datur introitus in regnum gratiæ, quam per regenerationem, nemo etiam sine ea ad vitam æternam pervenire potest. In eam enim nemo aliquando introducetur, nisi qui hic membrum ecclesiæ s. regni gratiæ, nec non ovis de grege Christi fuit, Joh. X, 16. 28. Matth. XXV, 33. 34.

Regeneratio est 2) *incomprehensibilis*, quia transcendit omnem hominum captum, Joh. III, 4. Pertinet ad mysteria fidei, quorum modus quidem ignoratur, veritas autem ex sacris literis satis demonstratur. Caveamus igitur, ne nimis curiose arcana ejus scrutemur & inter scrutandum in erroris & incredulitatis foveam delabamur.

Regeneratio est 3) *conservabilis*. Potest enim homo per totam vitam in ejus statu perseverare, si modo sibi prospiciat & mediis gratiæ recte

recte utatur. Paulus hinc se persuasum esse dixit, quod, qui cœperit in nobis opus bonum, istud etiam usque ad diem Jesu Christi perfecturus sit, Phil. I, 6. & Christus de ovibus suis f. renatis & fidelibus testatur, neminem eas rapturum fore de manu sua, Joh. X, 28.

Regeneratio est 4) *amissibilis*, quia regeniti ex statu regenerationis facile excidere possunt, nisi in quotidiana pœnitentia & renovatione vivunt. Diabolus enim iis constanter insidias struit, 1 Petr. V, 8. Luc. XXII, 31. mundus vero & propria caro ad peccandum eos incitant. His si non diligenter resistunt, sibique ab eorum tentationibus cavent, in peccata mortalia facile incidere queunt. Moriuntur tunc in peccatis, Eph. II, 1. 5. & eorum status pejor fit, quam antea fuit, 2 Petr. II, 20. Matth. XII, 45. Hebr. X, 26. 27. Luc. XI, 26.

Regeneratio est denique 5) *recuperabilis*, quia per seriam pœnitentiam restitui potest, Ps. LI, 12. Gal. IV, 19. Quo sæpius vero ex statu regenerationis homo cadit, eo difficilius ad eundem redire potest. Paulus ἀδυνατόν τι, h. e. *impossibile quid*, nominat talem regenerationis restitutionem, Hebr. VI, 4-6. non quidem respectu Dei, cujus gratia major est, quam omne peccatum, Rom. V, 20. sed respectu humani cordis, quod per relapsum, sæpe iteratum, ita obduratur, ut per verbum Dei non emolliri & ad agendam veram pœnitentiam commoveri queat.

CAPUT VII.
DE
EFFECTU ET STATU REGENERATIONIS.

Effectus regenerationis est *novus homo spiritualis*, cujus natura divinæ naturæ particeps facta esse dicitur, 2 Petr. I, 4. Vocatur quoque πνεῦμα, Joh. III, 6. s. *mens Christi*, 1 Cor. II, 16. μορφὴ s. *forma Christi*, Gal. IV, 19. *novum cor & novus spiritus*, Ezech. XXXVI, 26. *nova creatura*, 2 Cor. V, 17. & *novus homo*, Eph. IV, 23. 24. qui veteri homini opponitur, Col. III, 9. Eph. IV, 22.

Intelligitur autem per *veterem hominem* ipsa corrupta hominis natura, quatenus ei homo in actionibus suis indulget. Hic vetus homo per regenerationem non penitus tollitur, sed tantum debilitatur & viribus suis ita destituitur, ut gratiæ divinæ ejusque viribus spiritualibus locus dari & hac ratione novus quasi homo produci queat, qui in justitia & sanctitate coram Deo vivere studeat.

Ejusmodi *novus homo* ambulat in novitate vitæ, Rom. VI, 4. & vivit per Christum in fide, Gal. II, 20. & quidem in tali fide, quæ per dilectionem efficax est, Gal. V, 6.

De homine regenito hinc dici potest: *quantum mutatus ab illo!* 1 Sam. X, 6. Accipit enim in regeneratione non modo *novas vires*, 2 Petr. I, 3. Col. I, 11. sed etiam *novos sensus*, scilicet

novum

novum gustum, 1 Petr. II, 3. novum auditum, Joh. VIII, 47. c. X, 27. novum visum, Eph. I, 18. 1 Cor. XIII, 12. novum tactum (αἴσθησιν) Phil. I, 9. & novum olfactum, 2 Cor. II, 14. Accipit novum intellectum, 1 Cor. I, 5. Eph. I, 17. 18. c. V, 17. & novam voluntatem, Rom. VII, 18. Phil. II, 13. Accipit novas cupiditates, Col. III, 1. 2. Pf. XXXVIII, 10. Rom. VII, 22. Phil. I, 23. Pf. XXXVII, 4. Matth. VI, 33. & nova corporis membra, Rom. VI, 12. 13. Col. III, 5. fq. Eph. II, 10.

Quamdiu homo hos regenerationis fructus & effectus præstat, versatur in *statu regenerationis*.

Hic status nil aliud est, quam quod alias dicimus εὐσέβειαν f. *pietatem*; 1 Tim. II, 2. c. IV, 8. c. VI, 6. 2 Tim. III, 12. 2 Petr. II, 9. Qui in hoc statu vivunt, vocantur εὐσεβεῖς, f. *pii homines*, qui Deum recte & rite colunt, mediis gratiæ diligenter utuntur & per bona opera fidem suam testantur.

Cum vero ex propriis viribus nos non in statu hoc conservare possimus, quia per diabolum, malos homines & inhærens peccatum quotidie ad incredulitatem, securitatem, cupiditates carnis, varios errores, scandalosa verba, præjudicia vitæ, pravos animi affectus & ipsa mala opera incitamur, opus nobis est *quotidiana pœnitentia*, quæ quasi regenerationis quotidiana renovatio est. Hæc si intermittitur, homo facile ex statu regenerationis exci-

 dit,

dit, ad quem non aliter, quam per seriam pœnitentiam restitui potest.

Quod autem ad quotidianam hanc pœnitentiam s. vitæ renovationem pertineat, alibi satis docebitur.

CAPUT VIII.
DE
ILLUMINATIONE HOMINIS.

Illuminatio est vox metaphorica, a *lumine*, tenebras depellente, desumta. Ubi autem tenebræ depelluntur, ibi etiam illuminatio exoritur.

Non modo *intellectui* & *cordi* hominum in Scriptura S. tribuuntur tenebræ, Eph. IV, 18. sed comparatur etiam cum iis *status* hominum *infelix*, Hiob. III, 4. c. XXX, 26. Ps. XVIII, 29. Joel. II, 2. Mich. VII, 8. Nah. I, 8. Prov. XX, 20. Joh. VIII, 12. c. XII, 35. & *damnatio æterna*, Matth. VIII, 12. c. XXII, 13. Per tenebras quoque intelligitur *occultatio rerum*, Matth. X, 27. 1 Cor. IV, 5. & ipsa *mors*, Ps. XXIII, 4. Hiob. X, 21. 22.

Tenebris opponitur *lux*, quæ itidem tam intellectui quam cordi hominum tribuitur, statumque depingit felicem, Hiob. XVIII, 5. c. XXX, 26. Ps. XCVII, 11. Ps. CXII, 4. & beatum, Matth. XIII, 43. 1 Tim. VI, 16.

Diversa significatio tam tenebrarum quam lucis ad multas inter Theologos rixas occasionem

nem dedit, inprimis respectu *illuminationis irregenitorum.* Sed controversia hæc facile decidi potest, si distinguitur inter tenebras intellectus & tenebras cordis, quarum depulsionem *duplex* sequitur *illuminatio.*

Tenebræ intellectus sunt ignorantia, errores, præjudicia, perversitas judicandi & quioquid intellectum a veritate abducit. Qui in ejusmodi tenebris versantur, dicuntur in sacris literis ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, h. e. *occæcati mente,* Eph. IV, 18. nec non τυφλοὶ, s. *cæci,* Matth. XV, 14. Rom. XI, 25. Apoc. III, 17.

Talis cœcitas seu divinarum spiritualiumque rerum ignorantia naturaliter omnibus hominibus inhæret, Act. XVII, 30. aliterque non depellitur, quam per *verbum Dei,* quatenus diligenter auscultatur, quapropter etiam istud cum *luce* & *lucerna* comparatur, Ps. CXIX, 105. Prov. VI, 23. 2 Cor. IV, 4. 2 Petr. I, 19.

Si hæc cœcitas & ignorantia per verbum Dei tollitur, intellectus tunc illuminari dicitur Ps. XIX, 9. Eph. I, 8. *Illuminatus igitur intellectus* est ille, qui rectam rerum divinarum spiritualiumque cognitionem per verbum Dei assistente gratia divina consecutus est.

Hæc illuminatio pars tantum regenerationis, non vero regeneratio ipsa est. Lux cognitionis enim non semper penetrat totum hominem, in tenebris impietatis versantem, quia diabolus interdum ita excœcat τὰ νοήματα s. intellectum infidelium, ut lux evangelii splendore suo non

 eorum

eorum cor pertingat, 2 Cor. IV, 4. Deo igitur ejusque gratiæ adſcribendum eſt, ſi evangelium in cordibus noſtris πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, h. e. ita ſplendet, ut cognitio Dei in Jeſu Chriſto ſit ſalutaris, 2 Cor. IV, 6.

Non omnis igitur illuminatio intellectus ſimul illuminatio cordis eſt, quatenus ſcilicet per *cor* totus internus homo intelligitur.

Hæc *cordis illuminatio* nil aliud eſt, quam ipſa regeneratio ſ. converſio ad Chriſtum, vera fide apprehendendum.

Homo naturaliter in tenebris ſedet, Luc. I, 79. inque iis ambulat, Jeſ. IX. Verſatur tunc in ſtatu ſumme peccaminoſo & a Deo, in luce inacceſſibili habitante, 1 Tim. VI, 16. prorſus alieno, Eph. II, 13. c. IV, 18. Ex hoc ſtatu ut eruëretur homo, Chriſtus in mundum venit, qui propterea *lux mundi* & *gentium* appellatur, Jeſ. XLIX, 6. c. LX, 1. Luc. III, 2. Joh. I, 9. c. VIII, 12. Per ejus meritum igitur omnes homines redempti & ex ſtatu rejectionis, qui per tenebras indicatur, 1 Petr. II, 9. in ejuſmodi ſtatum tranſlati ſunt, ut cuilibet ad gratiam Dei aditus pateat. Dicitur hoc *illuminatio mundi*, de qua agitur Jeſ. IX, 2. LX, 1-3. Luc. III, 2. Joh. I, 9. & quia iſta per miniſterium apoſtolorum facta eſt, Hebr. X, 32. ipſi apoſtoli propterea a Chriſto *lux mundi* vocantur, Matth. V, 14.

Sicut autem non omnes homines gratiam divinam, per verbum Dei oblatam, in Chriſto

fide

fide apprehendendo quærunt, ita etiam illuminatio mundi non in cujusvis hominis cor penetrat, etsi illuminatum intellectum acceperit. Homo hinc non nisi per regenerationem vere & salutariter illuminari potest. Et hæc est ea illuminatio, quæ tantum in regenitis datur & totum hominem in filium lucis permutat, Joh. XII, 36. Eph. V, 9. Nuncupatur illa Act. XXVI, 18. *conversio a tenebris ad lucem.*

Agitur de hac *cordis illuminatione* Eph. V, 14. Luc. XI, 36. Hebr. VI, 4. Spiritus S. tunc accendit in tali corde lucem fidei, quæ per bona opera splendorem edit, Matth. V, 16. Vocantur propterea ejusmodi illuminati *lux in Domino*, Eph. V, 8. necnon *ambulantes in luce*, Jes. LX, 3. Joh. VIII, 12. c. XII, 35. Eph. V, 9. 1 Joh. I, 7. Apoc. XXI, 24.

Ex hisce dictis facile judicandum est, quid de controversia circa illuminationem irregenitorum habendum sit. *Irregenitos* in ecclesia viventes omnino *illuminatos* dicere possumus respectu illuminationis intellectus, qua certo modo gaudent, non vero respectu illuminationis cordis, qua destituti sunt.

* *

SECTIO II.
DE
CONVERSIONE ET POENITENTIA.

CAPUT I.
DE CONVERSIONE ET POENITENTIA IN GENERE.

Jam ſupra audivimus, *regenerationem* & *converſionem* inter ſe differre. *Regeneratio* ſpectat ad omnes homines, *converſio* autem ad ſolos adultos.

Converſionis vox in Scriptura S. *dupliciter* accipitur, quatenus nempe vel *Deo* vel ipſi *homini* tribuitur. Per ſe ſpectata una eademque actio eſt converſio. Interdum vox hæc etiam non modo de *regeneratione*, ſed etiam de *ſanctificatione* uſurpatur, quarum vero neutra hujus loci eſt.

Diſtinguitur plerumque converſio in *tranſitivam* & *intranſitivam*. *Tranſitiva* nominatur, quatenus a Deo in hominem tranſit, *intranſitiva* vero, quatenus non a Deo in hominem tranſit, ſed in eo ipſo peragitur.

Converſio tranſitiva Deo, *intranſitiva* vero homini tribuitur, & illi quidem active, huic vero paſſive. Hinc Deus *convertere* & homo *converti* dicitur in ſacris literis. Ephraim propterea cum

cum converti voluerit, ad Deum ſuſpiraſſe legitur: השיבני, h.e. *converti me fac*, quæ verba Græcus interpres: *ἐπίστρεψον με*, & vulgata verſio: *converte me*, reddidit, Jer. XXXI, 18.

Quanquam Deus omnis converſionis auctor & peractor ſit, *hominibus* tamen eadem adſcribitur, quatenus Spiritui S. non reſiſtunt, media ſalutis adhibent & vires gratiæ debito modo uſurpant. Dicuntur propterea homines a ſua malitia ſe convertere, Act. III, 26. Jer. XXXV, 15. Ezech. XXXIII, 11. Jon. III, 10. item convertere ſe ad Dominum, Act. IX, 35. Jeſ. LV, 7. Jer. IV, 1. Thr. III, 40. imo ſe lavare & purificare &c. Jeſ. I, 16. 17.

At non propterea duplex datur converſio, ſcilicet converſio Dei & converſio hominis, ſed una tantum eſt, quæ autem duas ſibi ſubordinatas cauſas habet, cauſam efficientem ex parte Dei, & cauſam formalem ex parte hominis.

Eſt autem *converſio* ea hominis adulti mutatio ſpiritualis, qua ex ſtatu iræ divinæ in ſtatum gratiæ tranſit. Hominibus neceſſaria eſt, non ut cauſa ſalutis, ſed ut ordo ſalutis.

Converſio intranſitiva alias vocatur *pœnitentia*, de qua infra ſpeciatim acturi ſumus.

CAPUT II.

DE

SUBJECTO CONVERSIONIS.

Hoc sunt *omnes homines adulti*, per peccata a Deo alienati, sive in ecclesia, sive extra ecclesiam viventes, Eph. II, 12. c. IV, 18. Jes. LIX, 2. Eorum reditus est *conversio*, Jer. III, 12. 22. Redire enim s. se convertere debent ad Deum, Jer. III, 12. 22. Act. XIV, 15. c. XXVI, 18. 1 Thess. I, 9. a quo deflexerunt.

Latet in hac voce metaphora, ab homine desumta, qui aberravit a via recta, ad quam iterum reducitur. Convertit tunc viam suam. Idem dici potest de peccatore. Est quasi errans ovis, Ps. CXIX, 176. Jes. LIII, 7. 2 Petr. II, 25. Ut vero ad gregem redeat & non pereat, a pastore tamdiu studiose quæritur, usque dum invenitur, Matth. XVIII, 11. Luc. XV, 4-6. c. XIX, 10. Ezech. XXX, 11, 12. 16. Joh. VI, 39. 2 Petr. III, 9.

Homines convertendi itaque sunt tales peccatores, qui Deum reliquerunt & in perversis viis, quæ ad æternam perniciem ducunt, ambulant.

Huc pertinent non modo, omnes *ethnici*, *Muhamedani* & alii, qui nondum per lavacrum regenerationis in ecclesiam introiverunt, sed etiam illi, qui quidem baptizati & in ecclesiam introducti sunt, at fœdus gratiæ per peccata proæretica malitiose fregerunt, fidem in Christum

ſtum abnegarunt, & ſe ſceleratæ vitæ turpiſſimiſque carnis cupiditatibus dederunt. Hi ultimi plerumque *relapſi* vocantur.

Poſſunt etiam huc referri omnes *hypocritæ* & qui contra conſcientiam dubiam agunt, nec non qui vel in ignorantia vincibili, vel in contemtu mediorum gratiæ, vel in manifeſta inimicitia cum proximo, vel in craſſis erroribus fidei, vel in ſecuritate carnis, vel in negligentia officiorum chriſtianiſmi vel in ejusmodi ſtatu verſantur, qui opponitur *ἀληθείᾳ ἐν τῷ Ἰησοῦ*, Eph. IV, 21. h. e. veræ & genuinæ ſanctitati & juſtitiæ chriſtianæ, Eph. IV, 24. Joh. III, 21.

Hi omnes converti debent ad Deum, niſi a Chriſto aliquando, tanquam *ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν*, i. ſ. operantes iniquitatem, rejici & condemnari volunt, Matth. VII, 21-23.

Converti autem poſſunt maximi & peſſimi peccatores, Jeſ. LV, 7. Ezech. XVIII, 21. Jon. III, 10. Jeſ. I, 18. Rom. V, 20. quales *rex Manaſſe*, 2 Chron. XXXIII, 12. ſq. *publicanus*, Luc. XVIII, 13. 14. & *latro*, c. XXIII, 40-43. fuerunt, modo recte ſe convertant & veram pœnitentiam agant, Hoſ. VII, 16. Joel. II, 12. 13. Matth. III, 8.

Ad ſubjectum converſionis non pertinent *infantes*, etſi per ſe æque ac adulti peccatores ſint. Quia enim non uſum rationis, intellectus & conſcientiæ habent, per media gratiæ quidem regenerantur, non vero, proprie loquendo, convertuntur.

CAPUT

CAPUT III.
DE
CAUSA EFFICIENTE CONVERSIONIS.

Cum homo naturaliter in peccatis mortuus sit, Eph. II, 1. Col. II, 13. atque adeo nil boni facere queat, omnino ad suam conversionem nihil conferre potest. Deus solus igitur is est, qui incipit in nobis bonum opus, idemque perficit, Phil. I, 6. Ne quidem pia cogitatio & pium velle ex nobis est, sed utrumque per Deum efficitur, 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13.

Jure meritoque hinc *Deus* dici potest nostræ conversionis auctor & causa efficiens principalis. Apud eum enim solum conversio exorari debet, Jer. XXXI, 18. Dat pœnitentiam, Act. XI, 18. & novum cor, Ezech. XI, 19. cap. XXXVI, 26.

Adscribitur conversio nostra omnibus Deitatis personis, *Patri*, Joh. VI, 44. *Filio*, Act. V, 31. Matth. XXIII, 37. & *Spiritui S.* cujus præ cæteris est, homines regenerare, illuminare, convertere, sanctificare, renovare & omnia in iis operari, quæ ad eorum salutem æternam spectant, Ezech. XXXVI, 27. Joh. XVI, 8. 13. Rom. VIII, 14. 26. 1 Cor. XII, 3. 11. Gal. V, 18. Eph. V, 9. Ps. CXLIII, 10. Tit. III, 6. 7.

Operatio, qua *Deus* s. *Spiritus S.* conversionem in homine convertendo operatur, appellatur a Theologis *gratia*, non quatenus vox hæc significat

ficat Dei favorem, quo totum genus humanum in Christo, Filio suo, amplexus est, sed quatenus indicat donum actuale. Orta est hæc nominatio in controversiis Pelagianis & habet B. *Augustinum*, qui maxime in iis inclaruit, auctorem.

Distinguitur hæc *gratia convertens* in prævenientem, operantem & cooperantem.

Gratia præveniens est, quando oriuntur piæ cogitationes & desiderium se convertendi. Dicitur alias pulsus ad ostium cordis, Apoc.III,20. qui fit per dictamen conscientiæ. *Præveniens* vocatur hæc gratia, quia prior est nostro libero consensu & quasi prævenit hominis convertendi voluntatem. Est quidem, quantum ad primos motis, irresistibilis, at ejus effectui tamen repugnari potest.

Nonnulli huic gratiæ addunt *gratiam excitantem* & *præparantem*. *Gratiam excitantem* nominant, qua homo peccator ex somno s. morte peccati & ex securitate carnis excitatur, *præparantem* vero, qua homo, jam a Spiritu S. præventus, commovetur, mentem & voluntatem suam ad amplectenda media gratiæ flectere. Verum utraque hæc gratia cum præveniente conjungi potest.

Gratia operans est ipsa conversio, quæ proxime sequitur sanctas cogitationes & pium convertendi desiderium. Tendit tunc homo subluctā carnis conatu quodam spirituali ad Christum, ut eum, cum ejus merito fide apprehendat.

Gratia

Gratia cooperans est ipsa gratia convertens, quatenus Deus homini, per vires gratiæ carni suæ reluctanti, ita assistit, ut conversione facta etiam vires gratiæ in eo conservet & augeat, eidemque, ne a fide deficiat, semper suum auxilium præstat. Operatur sic quasi Deus una cum homine, promissionibus gratiæ per vires Spiritus S. credente, & Christi merito confidente.

Habet itaque homo se in conversionis initio mere *passive*, in progressu verò per gratiam divinam incipit cooperari, non quidem collateraliter, sed subordinate, ut KROMAYERUS *in Theol. Pos. Pol. Art. IX. Th. II. p. 537.* loquitur.

CAPUT IV.
DE
MEDIIS CONVERSIONIS.

Conversio hominis non immediate a Deo fit, sed mediate per *verbum* ejus, quod propterea *causa* conversionis *instrumentalis* vocari solet. Est medium causale & quidem efficax & operativum, quia Deus per istud infinitam suam virtutem ad promovendam hominum conversionem præstat, Jer. XVIII, 29. 2 Petr. I, 19. Hebr. IV, 12. Jac. I, 8. 21.

Ex hisce locis patet, verbo Dei non nudam suasionem moralem tribuendam esse, sed internam vim divinam, quæ cor & animum omnium, qui istud attente auscultant & legunt, valde af-

ficit

ficit & commovet, Act. II, 37. c. IV, 4. 31. c. V, 33. c. VI, 10. c. X, 44. c. XXIV, 25. Joh. VI, 63.

Sicut autem verbum Dei tam legem, quam evangelium continet, ita utrumque etiam vim suam divinam in homine convertendo præbet.

Lex dat agnitionem peccati, sine qua nec contritio, nec conversio locum habet. Paulus non modo expresse hoc docet, Rom. III, 20. sed de se ipso etiam testatur, se non peccatum nisi per legem cognovisse, nec concupiscentiam damnavisse, nisi lex dixisset: *ne concupiscas*, Rom. VII, 7. Per legem oriuntur etiam ictus conscientiæ, terrores cordis & dolores animi, quæ partes genuinæ contritionis sunt.

Cum lege autem conjungi debet *evangelium*, quod fidem in Christum excitat, Rom. X, 17. justitiam justificantem manifestat, Rom. I, 17. & pacem cum Deo, Eph. II, 17. remissionemque peccatorum, Luc. XXIV, 47. Act. X, 43. annunciat.

Errant hic *Schwenckfeldius* & *Rathmannus* cum suis asseclis, qui verbum Dei externum *literam mortuam* dicunt, quæ non habeat vim convertendi. Provocant ad Jer. XXXI, 18. 1 Cor. III, 7. Act. XVI, 14. & Joh. VI, 44. ex quibus locis probare volunt, conversionem fieri immediate a Deo per occultam operationem, quam vocant *verbum Dei internum*. Verum nescit tota Scriptura S. hoc verbum internum, tanquam rem, quæ contradictionem in adjecto in se

ſe habet. Exemplum Lydiæ, Act. XVI, 14. nil aliud probat, quam quod Deus per verbum ſuum omnibus, qui attente iſtud auſcultant, intellectum illuminet, ſicut diſcipulis Emauntibus factum eſt, Luc. XXIV, 45.

Immediata illuminatio intellectus miraculoſe olim facta eſt tantum certis patriarchis, prophetis & apoſtolis, quæ nunc ceſſat, & verbum internum dici nequit.

Quia verbum Dei per *miniſtros eccleſiæ* docetur, 1 Cor. III, 5. Luc. X, 16. Rom. X, 14. 1 Theſſ. II, 13. illi propterea nominari poſſunt *cauſa* converſionis *efficiens miniſterialis*, 1 Cor. III, 5. 9. 10. Jac. V, 20.

Dantur etiam *media* converſionis *pædagogica*, quæ indirecte & occaſionaliter peccatores ad converſionem ſ. pœnitentiam ducunt. Huc ſpectant exempla eorum, qui per fragores fulminum, portenta cœli, ſubitaneæ mortis exempla, horrenda judicia divina, miraculoſam vitæ in ſummis periculis conſervationem, & diuturnos mortiferoſque morbos ad Deum converſi ſunt. Inprimis calamitates & afflictiones divinitus immiſſæ, quas *crucem* dicere conſuevimus, egregiam ſuppeditant pædagogiam ad converſionem. Vulgo *concio legis realis* iſtæ vocari ſolent. Huc refertur non modo exemplum ſceleroſi illius filii, Luc. XV, 18. ſed etiam dictum Jeſaiæ: *vexatio dat intellectum*, Jeſ. XXVIII, 19. Quo etiam ſpectant loca Pſ. CXIX, 71. & Jeſ. XXVI, 16.

CAPUT

Caput V.
De Viribus Conversionis.

Homo in negotio conversionis *propriis viribus* prorsus destitutus est, ut supra ostendimus. Est enim pro spiritualiter mortuo habendus, Eph. II, 1. Col. II, 13. cui deest facultas, aliquid boni cogitandi & appetendi, 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13.

Nihil itaque per se homo active confert ad suam conversionem, vel inchoandam vel perficiendam; sed Deus solus is est, qui bonum opus in nobis incipit & perficit, Phil. I, 6. Impedire quidem possumus nostram conversionem, non vero eam efficere, quia gratia Dei convertens resistibilis est, ut infra pluribus percipiemus.

Quæritur autem: *num homo in opere conversionis suæ liberum habeat arbitrium?* Ad hanc quæstionem & affirmando & negando responderi potest. Si per *liberum arbitrium* naturalis ad benefaciendum inclinatio vel habilitas intelligitur, omnino negatur quæstio; si vero per istud libertatem hoc vel illud faciendi aut omittendi intelligimus, ita tamen ut vis perficiendi boni a Deo accipiatur, ista affirmari potest. Penes nos enim nostra salus est, Hos. XIII, 9. quia vita & mors nobis proponitur, ut de utraque eligamus, quam velimus, Jer. XXI, 8. Jes. XXX, 21. Jer. VI, 16.

Diversimode igitur considerandi sunt *actus in opere conversionis*. Quosdam proprio motu exercere possunt homines, quosdam vero non nisi operante Spiritus S. gratia.

Distingui propterea solent *actus* hominis convertendi in *spirituales* & *ecclesiasticos*.

Priores sunt e. g. vera contritione affici, credere in Christum, assensum præbere verbo Dei, mutare cor suum, fidem per charitatem testari &c. *posteriores* vero, e. g. scripturam S. legere, templum frequentare, aures ad audiendum evangelium arrigere, verbum Dei non solum meditari, sed etiam de eo loqui, &c.

Priores actus, quos *spirituales* dicimus, non in nostro arbitrio positi sunt, sed tantum posteriores, quos *ecclesiasticos* vocamus. Hos etiam irregenitos exercere videmus.

Huc referri possunt *Judæi* cum suo zelo Dei, Rom. X, 2. & fame audiendi verbum Domini, Amos VIII, 11 sq. item *Herodes*, qui Johannem baptistam libenter audiebat, Marc. VI, 20. & *Sergius* Pro Consul, qui Paulum audire cupiebat, Act. XIII, 7. nec non *regina Æthiopum*, quæ ad audiendum regem Salomonem Hierosolymam veniebat, 1 Reg. XII, 1.

De his valent verba B. ANDREÆ KUNADI *in Colleg. Theol. Disp. VIII. th. 6.* ita scribentis: *Non imus inficias, quin homo non renatus proprio instinctu possit sacras literas legere, verbum Dei audire & quodammodo meditari, itemque alia pædagogica præsta-*

præstare. Verum sicut instinctus naturæ & instinctus gratiæ tanquam diversa principia differunt, ita etiam diversus est hujus & illius finis. Nam naturalis operæ finis est cognitio rei, tanquam novæ, mirabilis aut delectabilis; gratiæ vero instinctus parit desiderium salutis.

Præcipui adversarii in hac doctrina sunt *Pelagiani*, a *Pelagio*, Anglo, sic dicti, qui sub initio seculi V. vixit. Hi conversionem viribus humanis adscribunt. Nostris temporibus nomen eorum quidem exspiravit, Pelagianizantium tamen multi adhuc inter hæreticos dantur, quorum præcipui sunt *Sociniani*, qui totam conversionem propriis viribus tribuunt, & per *gratiam* vel concreatam facultatem sese convertendi, vel verbi divini revelationem intelligunt.

Dabantur olim etiam *Semi-Pelagiani*, qui a *Joh. Cassiano*, presbytero Massiliensi, Seculo V. vivente, originem ceperunt. Hi quidem peccatum originale & necessitatem gratiæ divinæ in conversione admittebant, sed simul statuebant, hominem ex naturalibus viribus & proprio instinctu conversionem quærere posse; nec credebant, prævenientem gratiam necessariam esse, docentes, initium fidei & conversionis a libero arbitrio dependere.

Inter Semi-Pelagianos numerari merentur & *Arminiani* & *Pontificii*. Utrique viribus humanis in opere conversionis nimium tribuunt. Inprimis hoc faciunt *Pontificii*, qui negant, per

gratiam divinam vires supernaturales conferri, statuentes potius, vires naturales per eam excitari. Docent propterea, liberum arbitrium in spiritualibus languidum quidem factum, non vero plane amissum esse.

Huc referendi etiam sunt *Synergistæ*, qui *Philippum Melanchthonem* autorem habent. Hi concedunt quidem, gratiam Dei semper in conversione prævenire, at hominem tamen in conversione per vires residuas naturales cooperari. Hominem alias in conversione se habere ut truncum, dicunt, nisi cum gratia divina cooperetur.

At quis neget, hominem omnino in initio conversionis ut truncum considerandum esse, cum omni spirituali vita & motu careat? Aliter vero homo in progressu conversionis comparatus est. Tunc non amplius ut truncus consideratur, quia acceptis viribus supernaturalibus omnino cooperari incipit.

Ex Deut. XXX, 6. Ezech. XXXVI, 26. Joh. VI, 29. c. V, 44. c. XV, 5. 1 Cor. XII, 3. Eph. II, 8. Phil. I, 6. & 1 Cor. II, 14. patet, hominem post lapsum non habere vires, semet ipsum convertendi, eumque nil ad suam conversionem conferre, sed se in conversionis initio mere passive habere, in progressu vero cum gratia convertente aliquo modo cooperari, quatenus nempe mediis utatur.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

RESISTIBILITATE ET IMPEDIMENTIS CONVERSIONIS.

Etsi nemo propriis viribus ad suam conversionem aliquid conferre queat, Deus tamen nullum peccatorem violento modo ad se trahere & æternæ vitæ participem reddere vult, imo ne quidem illæsa sua divina majestate id facere potest.

Libertas voluntatis humanæ non tolli debet in opere conversionis, etsi voluntas per gratiam & Spiritus S. operationem flectatur; alias amitteret homo excellentissimam suam qualitatem, ad essentiam suam præcipue pertinentem & post lapsum adhuc residuam.

Manet itaque *gratia convertens* in homine convertendo semper *resistibilis*. In hominis enim arbitrio positum est; num velit converti, nec ne, h. e. num velit gratiæ Dei prævenienti locum dare & se operationibus Spiritus S. relinquere, nec ne. Hinc Christus, dum dicit, se sicut gallinam glocientem Judæos sub alis suis colligere, h. e. per verbum suum allicere & convertere voluisse, addit: *καὶ οὐκ ἠθελήσατε*, h. e. *sed vos non voluistis*, Matth. XXIII, 37. Hæc resistibilitas gratiæ convertentis confirmatur ex Jes. LXV, 2. Jer. V, 3. c. VII, 27. Ezech. XVIII, 31. Act. VII, 51. c. XIII, 46.

Pſ. LXXXI, 12. 13. Prov. I, 24. 25. Joh. V, 38-40. Luc. VII, 30.

Reſiſtitur gratiæ convertenti non modo per contemtum & neglectum mediorum gratiæ ordinariorum, ſcilicet verbi Dei & ſacramentorum, ſed etiam partim omittendo id, quod eadem media requirunt, partim committendo id, quod uſui eorum e diametro contrarium eſt. Huc ſpectant etiam præconceptæ opiniones & inordinati motus carnis, quibus gratiæ intrinſecus operanti repugnatur.

Diſtinguitur autem inter *repugnantiam malitioſam* & *naturalem*. Hæc poſterior hominibus congenita eſt, ideoque omnibus communis, prior vero, quam alii *moroſam*, *voluntariam*, *habitualem* & *pertinacem* vocant, data opera & ex malitia oritur, etſi habeat ſuos gradus. Illa, quam *naturalem* diximus, per gratiam ſenſim minuitur & tandem vincitur, nec per ſe impedit converſionem; altera vero, ſcilicet *malitioſa*, quæ ex naturali exiſtit, per ſe gratiæ divinæ ſemper adverſatur, converſionemque impedit; at exui tamen poteſt, ſi gratiæ prævenienti locus datur.

Præcipua converſionis *impedimenta* ſunt 1) prava φιλαυτία, 2) amor mundi inordinatus, 3) ſuppreſſio bonorum motuum, 4) pœnitentia hypocritica, 5) carnalis in Dei bonitatem & miſericordiam fiducia, 6) opus chriſtianiſmi operatum, 7) abuſus longanimitatis divinæ, 8) ſpes longioris vitæ, 9) malum miniſtrorum

strorum verbi divini exemplum, 10) excoecatio & obduratio cordis, 11) prava consuetudo, 12) timor hominum intempestivus, 13) inopportunum tempus, Act. XXIV, 25. 14) ipsum vitæ genus, 15) præjudicium impossibilitatis & 16) incredulitas.

Non resistibilem esse gratiam Dei convertentem, dicunt *Calviniani*, absolutum Dei decretum circa hominum salutem defendentes.

Inter *Pontificios* irresistibilem gratiam defendunt *Jansenistæ*, quorum auctor CORNELIUS JANSENIUS, Episcopus Iprensis, cum *Augustino* suo f. *libro de œconomia gratiæ conversionis* ab Urbano VIII. P. M. propter hanc doctrinam damnatus est.

Jesuitæ & *Dominicani* & omnes *Thomistæ*, a THOMA DE AQUINO sic dicti, ab iis haud multum dissentiunt, etsi Jansenismum ipsum respuant. *Priores* electis gratiam congruam tribuunt, quam tempori, loco, naturæ & temperamento hominis convertendi apprime convenire volunt; *posteriores* vero perhibent, hominem convertendum ad actus supernaturales a Deo prædeterminari. *Duplicem* autem faciunt *prædeterminationem*, nempe physicam & moralem. Per *physicam* intelligunt formam voluntati humanæ a Deo immediate impressam, per quam efficienter & proprie determinetur voluntas ad producendos actus supernaturales, *moralem* vero *prædeterminationem* fieri dicunt per suasionem internam f. consilium divinum,

 quam

quam tamen non efficacem censent, nisi accedat prædeterminatio physica, ad modum causæ physicæ agens.

Sunt hoc nil nisi subtilitates scholasticæ, quæ ab iis ipsis, qui eas defendunt, non satis intelliguntur, orthodoxæ vero doctrinæ de conversione hominis adversantur.

CAPUT VII.

DE FORMA CONVERSIONIS.

Hæc consistit in peccatoris ejusque status spiritualis mutatione, qua non modo cor peccatoris mutatur, sed peccator ipse a Deo ex statu iræ eruitur & in statum gratiæ transfertur.

Mutatio cordis fit interne, & *mutatio status* externe, utraque tamen mutatio arctissime secum conjuncta est.

Mutatio cordis, de qua Ps. LI, 12. 1 Sam. X, 9. Ezech. XI, 19. c. XXXVI, 26. agitur, proprie ad doctrinam de pœnitentia intransitiva pertinet, de qua infra agemus; *mutatio status* vero spectat ad doctrinam de conversione s. pœnitentia transitiva, quæ hujus loci est.

Fit hæc mutatio per translationem ex statu iræ in statum gratiæ, & quidem mutato corde.

Status iræ est ille status peccatoris, quo ob incredulitatem, securitatem & impietatem suam tanquam mancipium diaboli sub maledictione legis & ira Dei versatur. Dicitur alias hic status

tus etiam *status servitutis*, item *tenebræ*, Actor. XXVI, 18. 1 Petr. II, 9. & *potestas Satanæ*, Act. XXVI, 18.

Peccata per se considerata non statum hunc constituunt, sed quatenus dominantur, nec agnoscuntur, eorumque non pœnitet peccatorem, qui insuper vel de Christo plane nil novit, vel non vera fide eum apprehendit. Nominantur tales peccatores *liberi iræ*, Eph II, 3. nec non *vasa iræ*, Rom. IX, 22. Sunt quidem naturaliter omnes homines ita dicendi, Eph. II, 3. Rom. IV, 15. c. IX, 22. propter meritum Christi autem ii tantum, qui istud respuunt, sub ira Dei versantur, Joh. III, 36.

Hoc est status miserrimus, ex quo peccator non aliter venire potest, quam per conversionem. Eruitur tunc a Deo ex isto statu & transfertur in statum gratiæ.

Status gratiæ ille status peccatoris est, quo propter meritum Christi fide apprehensum non modo omnium suorum peccatorum plenam remissionem, sed etiam eorum peccatorum, quæ ex imbecillitate carnis quotidie committit, veniam accipit, si modo mediis gratiæ diligenter utitur & in quotidiana pœnitentia vivit.

Hic status est in hac vita felicissimus. Si enim gratiam Dei habemus, nullius quoque boni egere possumus, Ps. XIII, 1. Sumus tunc filii filiæque Dei, adeoque etiam ejus hæredes, Rom. VIII, 17. 1 Joh. III, 1. 2.

In hunc ſtatum pervenimus per converſionem, quæ propterea recte dicitur *reditus ad Deum*, Jer. III, 12. 22. qui tamen, ut ſupra audivimus, non propriis viribus fit, ſed per vires gratiæ divinæ, dummodo iis non reſiſtamus.

Solus enim *Deus* proprie homines convertit, Jer. XXXI, 18. Non tamen phyſice id facit, ſed moraliter, quatenus docendo, hortando, minando, promittendo, ſuadendo, puniendo & benefaciendo peccatores ad recipiendam gratiam ſuam, quam per verbum & ſacramenta offert & quaſi cordi imprimit, commovet, aut naturalem noſtram reſiſtentiam ita refrenat, ut Spiritus S. locum habeat, operationes ſuas in nobis perficiendi.

Concurrit Deus quidem ad actus phyſicos in converſione, quales ſunt arrectio aurium, commotio cordis, Prov. XXI, 1. uſus oris manuum & oculorum, mortificatio carnis, &c. at non violento modo, ſed quatenus homines moraliter eo inſtigat, ut regimini Spiritus S. ſe libere ſubmittant. Hoc modo Deus Lydiæ πορφυροπώλιδι cor aperuiſſe dicitur, ut attenderet ad ea, quæ Paulus proferebat, Actor. XVI, 14.

Interim forma converſionis omnino in mutatione ſtatus ſpiritualis conſiſtit. Tranſire debet per eam peccator ex ſtatu iræ in ſtatum gratiæ.

Duo igitur hic obſervandi ſunt *termini*, terminus a quo & terminus ad quem.

Termi-

Terminus a quo, quem in genere *statum iræ* vocamus, continet non modo ipsam corruptam naturam, sed simul omnia peccata actualia & habitualia, nec non eorum objecta, quæ partim per se illicita sunt, partim per abusum illicita fieri possunt, e. g. bona temporalia. Ab omnibus hisce in conversione cor abstrahi & id, quod per se malum est, deponi debet, Rom. XIII, 12. Eph. IV, 22-25. Col. III, 8. 1 Petr. II, 1. Hebr. XII, 1. Jac. I, 21.

Terminus ad quem in conversione est vel *formalis*, vel *objectivus*. *Prior* est *status gratiæ*, ut supra indicavimus, qui in scriptura S. sæpe per *lucem* describitur e. g. Act. XXVI, 18. Joh. III, 19. c. VIII, 12. Rom. XIII, 12. 2 Cor. VI, 14. Eph. V, 8. 1 Petr. II, 9. 1 Joh. II, 9. *posterior* vero est *Deus*, Jer. IV, 1. Thr. III, 40. Hos. XIV, 2. Joel. II, 13. Luc. I, 16. Act. XIV, 15. c. XX, 21. c. XXVI, 18. 1 Thess. I, 9. nec non *Christus*, 1 Petr. II, 25.

Præcipua veræ conversionis *criteria* sunt 1) desiderium audiendi verbum divinum, 1 Petr. II, 2. 2) certa persuasio remissionis peccatorum, 3) tranquillitas animi, 4) gustus amoris divini. 5) oblectatio in rebus divinis, 6) observantia mandatorum Dei, studium bonorum operum, 8) cura & conservatio bonæ conscientiæ, 9) mortificatio carnis, 10) abnegatio mundi, 11) patientia in ferendis malis & 12) promptitudo ad moriendum. Nonnulli huc quoque referunt *notitiam temporis*, quo conversio

versio peracta sit, quæ tamen apud hominem conversum non certa esse potest, quia conversio non uno momento, sed sensim & per gradus perficitur.

CAPUT VIII.

DE

POENITENTIA S. CONVERSIONE, INTRANSITIVA.

Supra jam ostendimus, quomodo *pœnitentia* s. conversio intransitiva differat a conversione transitiva.

Proprie unus idemque actus est, qui vero diversimode consideratur. Respectu Dei vocatur hic actus *conversio transitiva*; respectu hominis vero *conversio intransitiva* s. *pœnitentia*. De Deo active, de homine vero passive usurpatur.

Pœnitentia itaque est actio peccatoris, qua ille per gratiam Dei convertentem acerbissimum cordis dolorem super peccatis suis sentit & cum detestatione eorum se vera fide in Christi meritum ad Deum ita erigit, ut de remissione peccatorum in evangelio promissa certus ac persuasus sit.

Consistit igitur *pœnitentia* in mutatione mentis s. cordis. Ex lapideo, incircumciso & obdurato corde fit *carneum*, Ezech. XI, 19, cap. XXXVI, 26. *circumcisum*, Deut. X, 16; c. XXX, 6. Act. VII, 51. Col. II, 11. & *emollitum*, 2 Reg. XXII, 19. imo *novum cor*, Ezech. XXXVI, 26. Ps. LI,

Pf. LI, 12. non proprie quidem, sed metaphorice, quatenus istud sanctificatur & novis proprietatibus a Deo donatur.

Vox Græca *μετάνοια* melius convenit cum re, quam vox Latina, quæ proprie nil nisi dolorem super re aliqua significat. A *pænitere* enim descendit & voci *μεταμελείας* respondet, Matth. XXI, 29. c. XXVII, 3. 1 Cor. VII, 8. Hebr. VII, 21. Usurpatur interdum de sola contritione, Marc. I, 15. Act. XX, 21. Hebr. VI, 1.

Germanica vox Buße, quam B. Lutherus in translatione bibliorum adhibuit, pari modo non adæquate exprimit conversionem intransitivam. A voce büßen derivatur, quod pœnam pro commisso crimine luere denotat. B. Lutherus hanc vocem adhibuit, quia suo tempore non aliud verbum ad exprimendam conversionem extitit. Sufficit, quod Buße & *pænitentia* in sensu ecclesiastico idem significent ac *μετάνοια*, quæ vox generaliter de omni mentis mutatione, Hebr. XII, 17. specialiter vero de salutari mutatione mentis, Matth. III, 8. c. IX, 13. Act. V, 31. c. XI, 18. c. XXVI, 20. 1 Cor. VII, 10. usurpatur.

Pontificii vocem *pænitentiæ* ad suas satisfactiones applicant, docentes, hominem propter peccata sua *ἑαυτὸν τιμωρούμενον* fieri, ita, ut de se ipso etiam pœnam sumere debeat. Iidem quoque pœnitentiam vocant alteram naufragii tabulam, baptismum vero primam. Illustrare volunt hoc simili errorem, quo statuunt, fœdus bapti-

baptismale per peccata prorsus extingui & novum per pœnitentiam cum Deo ici. Referunt pœnitentiam etiam falso inter sacramenta, quod suo loco refutabimus.

Duplex datur *pœnitentia*, alia scilicet stantium, alia lapsorum. *Pœnitentia stantium* dicitur *quotidiana* & est eadem actio, quam alias *renovationem* appellare solemus, quia in ea non modo super peccatis, ex infirmitate carnis commissis, dolorem sentimus, sed etiam fide pleni remissionem eorum a Deo precamur.

Pœnitentia lapsorum ea ipsa est, de qua præcipue hic agitur & quæ de omnibus, qui ex statu iræ in statum gratiæ transeunt, usurpatur. Est vel *vera* vel *hypocritica*. Exempla veræ pœnitentiæ præbent *Ninivitæ*, Joh. III, 5-10. *David*, 2 Sam. XII, 13. Ps. LI. *Manasse*, 2 Chron. XXXIII, 12-16. *magna peccatrix*, Luc. VII, 37. 38. 47. 50. *filius perversus*, Luc. XV, 17-21. *publicanus*, Luc. XVIII, 13. 14. *Zachæus*, Luc. XIX, 8-10. & *Petrus*, Matth. XXVI, 75. Exempla pœnitentiæ hypocriticæ dant *Achabus*, 1 Reg. XXI, 27. & *Simon Magus*, Act. VIII, 13. 18-24.

CAPUT IX.
DE
PARTIBUS POENITENTIÆ.

Ex definitione pœnitentiæ cognoscitur, *duas* tantum esse pœnitentiæ *partes*, contritionem & fidem.

Contritio

Contritio vox barbara quidem, sed in ecclesia dudum usu recepta est. Scriptores ecclesiastici per eam pœnitentis peccatoris statum indicant, quo super agnitione peccatorum suorum plenus doloris, tremoris, tristitiæ & anxietatis est. Plura de illa in sequenti Capite agemus.

Altera pars genuinæ pœnitentiæ est *fides in Christum*, quæ in doloribus contritionis gignitur. Quidam nominant hanc dolorosam fidei genituram *desperationem salutarem*. Melius ab aliis vocatur germanice der Buß-Kampff, quia vera pœnitentia non sine magna carnis & spiritus lucta perfici potest, quæ lucta tamen nunquam in homine converso penitus cessat & cum quotidiana pœnitentia s. renovatione carnis conjuncta est.

Consistit autem *fides*, quatenus pars pœnitentiæ est, in fiduciali apprehensione meriti Christi pro peccatis nostris præstiti & in certissima spe de remissione peccatorum a Deo omnibus vere pœnitentibus promissa, Rom. III, 24. 25. Act. XV, 9. Jer. V, 3. Hebr. XI, 6. Ps. LI, 3. Ps. LXXIX, 9. Matth. IX, 2. Plura de fide in sequenti Libro dicentur.

Hæ *duæ partes*, scilicet *contritio* & *fides*, genuinam constituunt pœnitentiæ formam.

Medium, per quod Deus, qui auctor pœnitentiæ est, Act. V, 31. c. XI, 18. hasce duas pœnitentiæ partes in hominibus operatur, est *verbum Dei*. Per *legem* oritur contritio, Rom. VII, 7-13. & per *evangelium* fides, Rom. I, 17. c. X, 17.

Ambæ

Ambæ autem partes semper in vera pœnitentia conjunctæ esse debent. Sine contritione *fides* non genuina est & sine fide *contritio* in desperationem vergit, ut exempla Judæ, Matth. XXVII, 3-5. & Caini, Gen. IV, 13. docent.

Errant itaque omnes, qui fidem a pœnitentia separant. Faciunt hoc non modo *Sociniani*, qui pœnitentiam in nova obedientia ponunt, sed etiam *Pontificii*, quando ad pœnitentiam exclusa fide has tres *partes* referunt, scilicet contritionem cordis, confessionem oris & satisfactionem operis. Sed *confessio oris* ad signa tantum contritionis pertinet, *satisfactio operis* vero cum satisfactione Christi, per fidem apprehendenda, pugnat.

Fides apud Pontificios in cœco assensu consistit, quem dogmatibus ecclesiæ suæ præbent. Sed talis fides ne unicam de genuinis veræ fidei partibus habet.

Satisfactio operis apud eosdem totam fere pœnitentiam constituit. Ex eorum sententia hæc satisfactio in peractione istius operis, quod confessionarius peccatori post confessionem peccatorum loco pœnæ ad satisfaciendum pro iis arbitrarie imponit, consistit.

Huc spectant non modo variæ castigationes corporis, jejunia, eleemosynæ & fundationes piæ, sed etiam recitationes rosariorum, varia pietatis exercitia, peregrinationes religiosæ, & id genus alia opera, quæ cor nec emendant, nec tranquillant.

Valet

Valet de omnibus hisce operibus, quod olim Christus de Pharisæis dixit: *frustra me colunt docentes dogmata, quæ nil nisi præcepta humana sunt*, Matth. XV, 9.

Snnt autem non modo humana, sed etiam scandalosa & impia præcepta, quæ Pontificii de satisfactione operis fovent. Pugnant enim cum satisfactione Christi, pro omnium hominum peccatis sufficienter præstita, & sunt eo minus approbanda, quo magis indulgentiis & sacrificiis missaticis redimi solent.

Calviniani duas pœnitentiæ partes habent, quas *mortificationem* & *vivificationem* nominant. Sed mortificatio ad renovationem pertinet & est opus hominis, vivificatio vero spectat ad regenerationem & est opus Dei.

CAPUT X.
DE CONTRITIONE.

Contritio omnino pars veræ pœnitentiæ & quidem prima, non vero primaria est. Oritur ex agnitione peccatorum, Ps. LI, 5. Jer. III, 13. c. XIV, 20. quæ per legem Dei fit, Rom. III, 20. c. VII, 7. Thren. III, 40.

Externa contritionis signa sunt confessio oralis, lacrymæ, lugubres gestus &c. quæ omnia tamen fallacia sunt, quia etiam in hypocritis dantur.

Ad genuinam *contritionis* formam præcipue pertinent *tres partes*, nempe 1) *terror conscientiæ*, 2) *dolor cordis* & 3) *odium peccati*,

 quibus

quibus addi poteſt *confeſſio peccatorum*, quæ tamen magis adjunctum veræ contritionis, quam pars ejus dicenda eſt.

Terror conſcientiæ peccatorem præ timore & expectatione promeritarum pœnarum & æternæ damnationis plenum anxietatis & inquietudinis reddit, Luc. XXI, 26. Pſ. VI, 2-4. Pſ. LI, 19. Pſ. XXXVIII, 2-11. Pſ. CXLIII, 4. Jeſ. LVII, 15. c. LXVI, 2. At non tamen *deſperatio* huc referri debet, uti certi novaturientes eccleſiæ doctores faciunt, qui eam hac de cauſa *ſalutarem* vocant. Agit de tali deſperatione *Jo. Georgius Jochius*, Theologus Wittebergenſis, in Diſſertatione, quam an. 1730. Wittebergæ habuit. Omnis *deſperatio* vi vocis ſpem recuperandæ gratiæ divinæ excludit, atque adeo in contritione pœnitentiali non locum habere poteſt.

Dolor cordis peccatorem plenum triſtitiæ, luctus & moeroris reddit, & quidem non modo propter promeritam pœnam, ſed etiam propter jacturam gratiæ benigniſſimi Dei, qui a juventute nos beneficiis ſuis obruit & ſummam beatitudinem poſt hanc vitam nobis paravit. Paulus talem cordis dolorem vocat *λύπην κατὰ Θεὸν* ſ. *triſtitiam ad mentem & voluntatem Dei*, teſtaturque, eam operari reſipiſcentiam ſalutarem, cujus nos non pœniteat, 2 Cor. VII, 10. Hic dolor plerumque erumpit in lugubres gemitus & geſtus, nec non in lacrymas & lamentationes. Exemplo nobis ſunt *David*, Pſ. VI, 7. 8. Pſ.

Pſ. XXXVIII, 7. 10. Pſ. LI, 10. 19. Pſ. CXLIII, 4. Pſ. CII, 6. 10. *Ninivitæ*, Jon. III, 5. 6. *Iſraëlitæ*, Thren. V, 15-17. *Manaſſe*, 2 Chron. XXXIII, 12. 13. *magna peccatrix*, Luc. VII, 38. & *Petrus*, Matth. XXVI, 75.

Odium peccati ſummum faſtidium tantamque averſationem ab omni, quod cum voluntate Dei pugnat, ſecum fert, ut non niſi cum tædio & pudore illius reminiſcatur peccator, Jer. XXXI, 19. c. III, 25. Dan. IX, 7. Hoc odium conjunctum eſt cum firmo propoſito, nunquam priſtina peccata iterum committendi, Hiob. XXXIX, 37. 38. Pſ. XVII, 3. 4. Pſ. XXXIX, 2. Pſ. CXLIII, 10. Jeſ. III, 9.

Confeſſio peccatorum ad contritionem omnino referri poteſt, quanquam non ad formam ejus pertineat. Indicat agnitionem peccatorum, quatenus pœnitenti ore fit. Eſt non modo coram Deo neceſſaria, etſi ille peccata noſtra melius, quam noſmet ipſi, cognoſcat, ſed etiam coram iis hominibus, quibus de noſtris actionibus rationem reddere debemus, quales ſunt magiſtratus politicus &. miniſtri eccleſiæ, qui curam animarum habent, Pſ. XXXII, 3-5. Pſ. XXXVIII, 19. Prov. XXVIII, 13. 1 Joh. I, 8. 9. Joſ. VII, 19.

Pontificii contritionem dicunt *meritoriam*, eamque in *perfectam* & *imperfectam* diſtinguunt. Imperfectam plerumque *attritionem* vocant, ad quam deteſtationem peccati & dolorem ex metu pœnæ referunt. Hanc attritionem ſequi

docent *contritionem* f. fœdus pœnitentiale, per quod compleatur sacramentum pœnitentiæ.

Calviniani contritionem inter antecedentia pœnitentiæ numerant, negantes, illam esse partem ejus.

CAPUT XI.

DE EFFECTU ET FRUCTU POENITENTIÆ.

Effectus veræ pœnitentiæ est *remissio peccatorum*, Ps. XXXII, 5. 1 Joh. I, 9. Jes. LV, 7. Luc. XXIV, 47. Act. II, 38. c. V, 31. 1 Sam. XII, 13.

Potestas remittendi peccata est penes solum Deum, qui per peccata offenditur, Dan. IX, 9. Ps. CXXX, 4. Marc. II, 7. Luc. V, 21. Matth. VI, 12. Hanc potestatem habebat etiam Christus, tanquam Filius Dei, Matth. IX, 2. 6. qui vero eam commisit ministris verbi sui, Joh. XX, 23. Matth. XVIII, 18. 2 Cor. V, 20. Act. XIII, 38. 2 Cor. II, 10. Vocatur hæc potestas *officium clavium*, Matth. XVI, 19. de quo suo loco plura dicentur.

Remissio peccatorum, quæ per ministrum verbi divini fit, appellatur plerumque *absolutio*. Sequitur confessionem peccatorum, quæ respectu ministri ecclesiæ necessaria est, quia alias nescit, num homo peccata sua agnoscat, eorumque pœniteat. Interim facile ab hypo-

hypocritis falli possunt ministri verbi divini, quorum absolutio tamen eos nil juvat, quia sine vera peccatoris contritione & fide a Deo non confirmatur, sed pro inani ceremonia habetur. De ejusmodi hypocritis valet, quod Petrus & Johannes dixerunt, Act. VIII, 21-23. & Matth. III, 7. 8.

Quæritur: *num absolutio sacramentum dici queat?* In *Apologia August. Confess. Art. V. p. 167.* confessores evangelicæ religionis expresse sic scribunt: *Absolutio proprie dici potest sacramentum pœnitentiæ, ut etiam Scholastici Theologi eruditiores loquuntur.*

Respondemus ad hanc quæstionem distinguendo inter *strictiorem* & *propriissimam* vocis sacramenti *significationem*. Priorem concedimus ex mente confessorum nostrorum, non vero posteriorem.

Disputatur *in Apologia c. l.* contra Pontificios, qui inter cæteros errores, quos in doctrina de pœnitentia fovent, etiam hunc tuentur, quod ista sit sacramentum proprie tale. Κατ' ἄνθρωπον igitur concedunt nostri confessores, *absolutionem* quidem, non vero ipsam *pœnitentiam* sacramentum nominari posse. Hoc veram confessorum nostrorum sententiam esse, ex sequentibus patet, ubi absolutionem a sacramentis distinguunt dicentes: *Ita fides concipitur & confirmatur per absolutionem, per auditum evangelii, per usum sacramentorum, ne succumbat, dum luctatur cum terroribus peccati & mortis.*

Fructus pœnitentiæ est vitæ correctio, quæ alias etiam *nova obedientia* nuncupatur. Hæc si cesſat, non credi poteſt, peccatorem veram egiſſe pœnitentiam. Deus hinc hoſce pœnitentiæ fructus ſeveriſſime ab omnibus reſipiſcentibus poſcit, Jeſ. I, 16. 17. c. LV, 7. Matth. III, 8. Ezech. XVIII, 21. Jer. IV, 3. 4. c. XXXV, 15.

Proferuntur autem hi fructus non propriis viribus, ſed viribus Spiritus S. nos ſanctificantis, cujus operationes omnino impedire poſſumus per mediorum gratiæ neglectionem & bonorum operum quotidianæque renovationis & cæterorum exercitiorum chriſtianiſmi intermiſſionem. Paulus nominat hoc γυμνασίαν σεαυτοῦ εἰς εὐσέβειαν, h. e. *exercitationem ſui ipſius ad pietatem*, 1 Tim. IV, 7.

Spectat hæc doctrina ad *renovationem*, de qua ſuo loco plura dicemus.

LIBER

LIBER X.

DE
FIDE ET JUSTIFICATIONE.

Doctrina, in hoc libro contenta, est quasi Palladium nostræ evangelicæ religionis. Operæ hinc pretium est, eam, quoad ejus fieri potest, accuratissime & solidissime exponere; & cum *justificatio* & *fides* semper arctissime conjunctæ sint, utriusque etiam doctrinam conjungemus, atque adeo in *duabus sectionibus* 1) de *fide* & 2) de *justificatione* agemus.

* *

SECTIO I.
DE FIDE.

CAPUT I.
DE
FIDE IN GENERE.

Fides non modo ad Novum, sed etiam ad Vetus Testamentum spectat, Act. XV, 11. Gen. XV, 6. c. XLIX, 18. Hebr. XI.

In V. T. vox האמין occurrit, quæ cum voce *πιςέυειν* in N. T. convenit. Utraque significat *credere* s. fidem præbere.

Habet autem vox πίςις f. *fides* varium ſenſum in ſacris literis. Significat 1) conſtantiam in ſervandis promiſſis, 2 Theſſ. III, 2. 3. in quo ſenſu de ipſo Deo uſurpatur, Rom. III, 3. qui propterea vocatur πιςὸς, Hebr. X, 23. c. XI, 11. 2) aſſenſum verbis alterius datum, qui alias *fides hiſtorica* dicitur, Jac. II, 19. Joh. XX, 25. 3) certitudinem opinionis ſuæ, Rom. XIV, 22. 23. 4) doctrinam evangelii, quæ alias appellatur *fides objectiva*, f. fides, quæ creditur, Act. VI, 7. c. XIV, 22. 27. Gal. I, 23. c. III, 5. 23. 5) acceptionem & profeſſionem doctrinæ evangelii, Rom. I, 8. 2 Cor. I, 24. c. X, 15. 1 Theſſ. I, 3. 8. 2 Theſſ. I, 3. 1 Tim. V, 12. 6) donum miracula faciendi, 1 Cor. XII, 9. c. XIII, 2. & denique 7) fiducialem ſatisfactionis Chriſti apprehenſionem, quæ ſignificatio inprimis hujus loci eſt.

Hæc eſt fides illa, qua juſtificamur & ſalvamur. Dicitur propterea *fides juſtificans* & *ſalvifica*. In ſacris literis iſta plerumque κατ' ἐξοχὴν vocatur πίςις f. *fides*, Act. VI, 8. c. XIV, 9. c. XV, 9. Rom. III, 28. 2 Cor. XIII, 5. Gal. V, 6. Eph. II, 8. Alias etiam nuncupatur *fides in Jeſum Chriſtum*, Rom. III, 26. Gal. III, 22. 26. & *fides Chriſti*, Gal. II, 16.

Diverſa fidei ſignificatio ad *diverſam* quoque *diſtinctionem* ejus anſam dedit. Diſtinguitur enim illa in objectivam & ſubjectivam. *Fides objectiva* eſt doctrina de rebus creditu neceſſariis, f. *fides, quæ creditur*, & *fides ſubjectiva*, fiducialis

cialis illa Christi apprehensio, quæ alias *fides justificans* s. *qua creditur*, nuncupatur.

Distinguitur etiam fides in salvificam & miraculosam. *Miraculosa* iterum est vel *activa*, vel *passiva*. Prior est, qua homo, Deum *per se*, Matth. XVII, 20. 1 Cor. XIII, 2. & posterior, qua homo, Deum *in se* miraculum facturum esse credit, Matth. IX, 28. Marc. VI, 5. 6. c. IX, 23. 24.

Salvifica fides etiam distinguenda est 1) a *fide historica*, quæ in nuda rerum credendarum cognitione consistit; 2) a *fide carbonaria* s. *implicita*, qua id, quod in ecclesia docetur, sine notitia ejus & studio discendi, creditur, verum esse, eique cæciter inhæretur; & 3) a *fide hypocritica*, qua ore tantum fidem confitemur, easque observamus, quæ externus Dei cultus requirit, etsi cor incredulitatis & impietatis plenum sit.

Dividitur quoque *fides* in *directam* & *reflexam*. Posterior tantum adultis, prior vero etiam infantibus tribuitur.

Est fides *summe necessaria*, quia alias meriti Christi & per istud acquisitorum bonorum non participes fieri possumus, Marc. XVI, 16. Joh. I, 12. c. III, 16. Act. XIII, 39. Rom. III, 25. Hebr. XI, 6. Non necessaria autem est, tanquam nuda conditio, sed tanquam unica acceptio meriti Christi.

Pontificii duplicem statuunt fidem, *informem* & *charitate formatam*. Prior consistit in nudo

assensu, dogmatibus ecclesiæ præstito, posterior vero in assensu, per bona opera efficaci. Sed divisio hæc rejicienda est, quia falsa fundatur definitione fidei.

Errant etiam *Weigeliani* & alii *hæretici*, quando fidem partim per imitationem, partim per inhabitationem Christi definiunt.

CAPUT II.
DE AUCTORE FIDEI.

Auctor fidei est ipse *Deus*, qui eam operatur in regeneratione. Homo enim cum naturaliter mortuus sit in peccatis, Eph. II, 1. per fidem vitam accipit spiritualem, Col. II, 12. 13. Eph. I, 19. 20. c. II, 5. Gal. II, 20. Joh. XI, 25. c. XX, 31. quam nemo dare potest, nisi Deus, Joh. V, 21. c. VI, 65.

Deus itaque ille est, qui fidem dat. Christus propterea *opus Dei* vocat, quod credamus in eum, quem misit, Joh. VI, 29. & Paulus gratias agit Deo, tanquam auctori, cum de fide suorum certus factus fuerit, Rom. I, 8. Col. I, 3. 4. Phil. I, 3-5. 1 Thess. II, 13. Huc spectant etiam sequentia dicta biblica: Eph. II, 8. Luc. XXII, 32. Col. II, 12. Phil. I, 29. in quibus expresse docetur, fidem opus & donum Dei esse.

Adscribitur autem fides non tantum Deo in genere, sed etiam cuilibet divinæ personæ in specie. Sic *Pater* nos trahere dicitur, ut veniamus

niamus ad Christum, Joh. VI, 44. Eph. I, 17-19. *Filius* appellatur inchoator & consummator fidei, Hebr. XII, 2. & *Spiritus S.* nomen fert Spiritus fidei, 2 Cor. IV, 13. quia fides ad ejus fructus refertur, Gal. V, 22.

Nil aliud autem Deum movet ad conferendam hominibus fidem, quam ejus gratia & misericordia, qua nos propter meritum Christi filii sui amplectitur. Hujus respectu Paulus scripsit: *gratis datum vobis est* τὸ εἰς Χριστὸν πιστεύειν, h. e. *in Christum credere*, Phil. I, 29. Pertinet collatio fidei ad benedictionem spiritualem, qua Deus per Christum nobis benedixisse dicitur, Eph. I, 3 seq.

Non autem Deus in conferenda fide respectum personæ habet, Deut. X, 17. Act. X, 34. Rom. II, 11. Vult potius omnibus, Act. XVII, 31. qui operationi Spiritus S. non malitiose resistunt, Luc. VII, 30. Act. VII, 51. c. XIII, 46. fidem dare.

Dat vero fidem non nisi per media constituta & in certo ordine salutis, ut suo loco docebimus. Cum autem usus hujus ordinis mediorumque salutis a libertate voluntatis nostræ dependeat, Luc. VII, 30. Jes. LXV, 2. Rom. X, 16. Matth. XXIII, 37. Hos. XIII, 9. fidei collatio omnino ad gratiam Dei resistibilem pertinet, Act. VII, 51. Joh. V, 40. Act. XIII, 46. Jes. V, 4.

Calviniani, qui gratiam Dei irresistibilem esse contendunt, objiciunt 1) locum Rom. IX, 20.

ubi

ubi vero Paulus ex aliorum sententia loquitur; item 2) locum Joh. VI, 44. ad quem respondemus, dari gradus resipiscentiæ; & denique 3) locum Act. XIII, 48. ubi autem per τεταγμένους non prædestinati intelliguntur, sed qui ordini divinitus constituto se subjiciunt.

CAPUT III.
DE SUBJECTO FIDEI.

Subjectum fidei sunt *soli homines*, iique omnes, qui gratiæ Dei regeneranti non malitiose repugnant. Christus hinc hominibus mediator datus esse dicitur, ut omnes, qui in eum credunt, justi & salvi fiant, 1 Tim. II, 5. 6. Gen. III, 15.

Excipiuntur itaque hic 1) *spiritus*, & omnes aliæ *creaturæ*, quæ non de genere humano sunt, Hebr. II, 16. 2) *Christus*, qui secundum utramque naturam tam sanctus fuit, Hebr. VII, 26. 27. ut nec redemptorem, quem fide amplectatur, nec regenerationem, qua in filium Dei recipiatur, necesse habuerit; 3) *primi parentes in statu integritatis*, quia tunc nondum peccato infecti fuerunt & ideo non per fidem justi & salvi fieri debuerunt; 4) *omnes defuncti*, quia extra statum gratiæ versantur, in quo solo fides locum habet; & 5) *omnes irregeniti, qua tales*, quia gratiæ Dei, fidem in iis operanti, repugnant. Ού πάντων ἡ πίστις, h. e. *non omnes habent fidem*, dixit propterea Paulus, 2 Thess. II, 2.

Fides

Fides enim non naturaliter nobis ineſt, ſed a Deo producitur, qui nos ſpiritualiter gignit, Joh. I, 12. 13. Jac. I, 18. 1 Joh. V, 1. 4. 5. 1 Petr. I, 3. Ante regenerationem homines in tenebris ambulant, quia luce fidei carent, Act. XXVI, 18. Eph. V, 8.

Sunt quidem aliqui ex noſtris Theologis, qui *angelis* fidem ſ. lucem fidei tribuunt, quam B. Gerhardus *in Iſag. LL. p. 557.* habitum fidei ſupernaturalem nominat. Sed nil aliud intelligunt, quam habitualem angelici intellectus lucem ſ. excellentiſſimam intelligendi facultatem angelorum. Vide Baieri *Compend. Theol. Poſitivæ p. 264 ſq.*

Neutiquam autem a ſubjecto fidei excludi debet 1) B. *Maria virgo*, quam Pontificii ab omni peccatorum labe immunem atque adeo per ſe ſanctam & beatam fuiſſe ſomniant, cum tamen non modo Eliſabetha ejus fidem prædicaverit, Luc. I, 45. ſed etiam Maria ipſa clara voce ſuam fidem in Chriſtum profeſſa ſit, v. 47.

Nec excludere hic debemus 2) *prædeſtinatos ad damnationem æternam* ex mente Calvinianorum, qui Deo in opere ſalvificationis abſolutum decretum affingunt, ſecundum quod fidei ſalvificæ incapaces eſſe dicunt omnes, qui non ex abſoluto Dei decreto ad vitam æternam electi ſint. At quis dubitet, homines fidei naufragium facere, 1 Tim. I, 19. & ad tempus tantum credere, Luc. VIII, 23. nec non fidem amit-

amittere, 1 Tim. II, 15. c. IV, 1. 2 Cor. XIII, 5. aut eam abnegare, 1 Tim. V, 8. posse?

Non solum adulti fidei subjectum sunt, sed etiam *infantes*, quia sine fide impossibile est, Deo placere, Hebr. XI, 6. Jer. V, 3. Habac. II, 8. Christus iis expresse tribuit fidem, Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 42. & consequenter etiam regnum cœlorum, Marc. X, 14. Et cur quæso non infantes fidei capaces forent, cum Johannes baptista jam in utero materno extraordinario suo saltu fidem professus sit? Luc. I, 44.

Non autem fides hæc a fide parentum quasi accenditur, nec in otioso habitu consistit. Est enim fides in infantibus æque ac in adultis fructus Spiritus S. eaque nec pro aliena, nec otiosa, sed propria, actuali & habituali fide habenda. Errant hinc, qui infantibus tantum semen fidei s. naturalem potentiam credendi, non vero actualem fidem ipsam adscribunt.

Natura hujus fidei nobis quidem non explicabilis est, quia aliter, quam adultorum fides comparata est, at neutiquam tamen vera ejus existentia in dubium vocanda est. Valet canon hic: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis.* Consistit sine dubio *fides infantum* in certis cordis motibus ad Deum directis, quos Spiritus S. in omnibus hominibus, qui ei non malitiose repugnant, propter universale meritum Christi operari & excitare solet.

Sedes

Sedes fidei est anima & quidem tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem. Scriptura S. metaphorice hanc sedem plerumque *cor* nominat, Rom. X, 10. quia istud spirituum vitalium fons est.

CAPUT IV.
DE OBJECTO FIDEI.

Objectum fidei, seu id, circa quod fides versatur, est in genere *Deus*, quatenus secundum suam essentiam, attributa, opera, voluntatem, promissiones & comminationes se nobis in scriptura S. manifestavit.

Deum credere, non fides dicenda est, sed *in Deum verum credere*, 2 Chron. XX, 20. Multi quidem dii vocantur, sed unus tantum est verus Deus, scilicet unitrinus omnium rerum moderator, 1 Cor. VIII, 5. 6. Et hunc qui non religiose colit, nec Deum colit.

Sicut autem verus Deus naturaliter incognitus est omnibus hominibus, ita etiam fides non nisi in iis locum habet, qui sacris literis imbuti sunt, aut alia ratione ad cognitionem veri Dei pervenerunt. Dicuntur propterea ethnici *sine Deo esse*, Eph. II, 12.

Si genuina fides versatur circa cognitionem veri Dei, facile judicari potest, talem cognitionem non excludere res divinas & quæcunque Deus nobis in hunc finem, ut ea sciamus & credamus, revelavit.

Perti-

Pertinent itaque ad objectum fidei omnes veritates divinæ, nobis in sacris literis revelatæ, quæ in Theologia Systematica *articuli fidei* vocantur, quia conjunctim sumtæ corpus constituunt, ad cujus quasi partes integrantes quælibet divina veritas numeranda est.

Inde sequitur, veram fidem apud *adultos* non cum ignoratione Dei unitrini, nec cum negatione rerum divinarum nobis revelatarum subsistere posse.

Hac de causa in confessione fidei nostræ non solius meriti Christi, sed etiam ipsius Dei, præcipuorumque ejus attributorum, operum, beneficiorum & promissionum meminimus, eamque ad omnes tres Deitatis personas singulatim dirigimus, orantes: *Credo in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cæli & terræ; & in Jesum Christum, Filium ejus unigenitum* &c. *& in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem & vitam æternam.*

Præcipue autem & speciatim *Christus*, redemptor generis humani, fidei nostræ objectum dicitur. Cum enim per fidem in ejus meritum justificemur & salvificemur, Act. XVI, 31. Col. II, 16. c. III, 22. fides nostra etiam circa ejus personam & quæ de eo ex sacris literis nobis innotescunt, maxime versari debet. Hac de causa etiam in ejus nomine omnes preces fieri debent, quia sine ejus intercessione nemo apud

apud Deum exauditur, Joh. XVI, 23. 1 Joh. II, 1. In Christum itaque credere, totius quasi evangelicæ religionis summa est, quia omnia, quæ ista postulat, eo tendunt.

Est autem Christus non modo fidei objectum, sed ejusdem etiam vita & fundamentum, ut infra pluribus percipiemus.

CAPUT V.
DE MEDIIS FIDEI.

Cum Deus operationes suas in hominibus non facile immediate faciat, fides quoque ab ipso non nisi per certa *media* producitur. Hæc sunt *verbum Dei* & *sacramenta*, quæ *media gratiæ* appellantur.

Non quidem ad horum mediorum usum se ita adstrinxit Deus, ut non immediate quoque interdum in hominibus fidem producere velit. At homines ipsos tamen ad usum eorum obstrinxit, ita ut nemo ista negligere, nec extraordinariam a Deo gratiam expectare debeat.

Præcipuum fidei medium est *verbum Dei*, quod propterea ἀκοὴ πίστεως, h. e. *prædicatio fidei* vocatur, Gal. III, 2. 5. Paulus expresse hinc scripsit: ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος τοῦ Θεοῦ, h. e. *fides ex prædicatione verbi divini venit*. Rom. X, 17. Idem testatur Christus, Joh. XVII, 20. & Petrus, 1 Petr. I, 23.

Requiritur autem ab omnibus, qui per *verbum Dei* fidem consequi volunt, ut istud 1) *legant*

gant, Act. VIII, 28. 37. Joh. V, 39. 2) *audiant*, Eccl. IV, 17. Luc. XVI, 31. Rom. X, 14. & 3) *discant* & *custodiant*, Luc. VIII, 15. c. XI, 27. Rom. II, 13. Jac. I, 22. 23. Et quia verbum Dei per ministros ecclesiæ prædicari solet, Marc. XVI, 15. *ministerium ecclesiasticum* fidei quasi causa instrumentalis est, 1 Cor. III, 5. Joh. XVII, 20.

Sacramenta sunt omnino quidem media salutis & fidei, at in adultis ordinarie non virtutem gignendi fidem, sed tantum obsignandi & confirmandi eam habent, ut suo loco prolixius ostendemus.

CAPUT VI.

DE FORMA FIDEI.

Forma fidei consistit in fiduciali apprehensione Christi ejusque meriti, qua gratiæ divinæ omniumque bonorum salutis ita certus est homo, ut non modo in iis acquiescat, sed propterea etiam sanctimoniæ studeat.

Inde patet, genuinam fidem non modo versari circa cognitionem Christi, sed etiam fiduciæ, spei, charitatis, patientiæ, solatii, παῤῥησίας & studii bonorum operum plenam esse.

Tribuitur propterea fidei *vita*, quæ non tantum in bonis operibus, sed in ejus universa activitate spirituali consistit, & a vita *credentis*, quæ est ipse Christus, Gal. II, 20. probe distinguenda est. Infra de hac vita plura dicentur.

Funda-

Fundamentum fidei est *Christus*, qui in V. T. typice, in N. T. vero corporaliter repræsentatur.

Hujus *apprehensio fiducialis* constituit fidei formam & naturam, consideraturque vel objective, vel subjective.

Si apprehensio Christi fiducialis *objective* consideratur, *activa* est. Tendit tunc fides ad objectum suum, cujus respectu homines dicuntur πιστέυειν εἰς Χριστὸν, Joh. III, 15. 16. 36. item πιστέυειν ἐπὶ Χριστὸν, Act. XVI, 31. Rom. IV, 5. Hæc fidei species est pars pœnitentiæ & requiritur ab omnibus, qui justificari volunt, aut ad justificationis suæ, statusque gratiæ certitudinem & confirmationem adspirant, Marc. IX, 24. Joh. XX, 27. 28.

Si apprehensio Christi fiducialis *subjective* consideratur, *passiva* dicenda est. Acquiescit tunc fides in merito Christi, gratiaque divina per istud acquisita, homines vero dicuntur πιστέυειν ἐπὶ τῷ Χριστῷ, Rom. IX, 33. c. X, 11. & ἐν τῷ Χριστῷ, Gal. III, 26. 1 Tim. III, 13. Hæc fidei species solis fidelibus propria est, qui jam conversi & per fidem justificati sunt, bonisque salutis fruuntur.

Per se una eademque fides est, tam convertentium quam conversorum, si scilicet respicimus formam & objectum ejus; diversa autem est quoad applicationem, quæ in convertentibus nondum plena & perfecta est.

Paulus *fidem* deſcribit per *ὑπόςασιν ἐλπιζομένων* & *ἔλεγχον πραγμάτων οὐ βλεπομένων*, Hebr. XI, 1. quæ verba infra pluribus explicabimus.

Conſtat fides ex *tribus partibus*, notitia, aſſenſu & fiducia. Priores ad intellectum, & ultima ad voluntatem ſpectat. De ſingulis poſtea agemus.

Aliqui Theologi, e. g. *Henricus Hæpffnerus* & *Jo. Joachimus Langius*, malunt has fidei partes aliter conſtituere. Nominant iſtas 1) notitiam cum aſſenſu, 2) deſiderium ad cognitum objectum & 3) apprehenſionem objecti cum acquieſcentia in eo. Sed non video, cur conſuetam fidei partitionem rejiciamus, cum in libris noſtris Symbolicis locum habeat.

Præcipuæ *affectiones fidei* ſunt certitudo, activitas & amiſſibilitas, de quibus infra ſingulatim acturi ſumus.

CAPUT VII.

DE NOTITIA, PRIMA FIDEI PARTE.

Notitia jure meritoque prima fidei pars vocatur, quia cæteræ partes ex ea quaſi exiſtunt. Quomodo enim credant homines, de quo nil audiverint? Rom. X, 14.

Verſatur hæc notitia circa *objectum fidei*. Hoc autem nondum cognito fides ceſſat. Si itaque fidem in hominibus producere vult Spiritus

ritus Sanctus, incipit ante omnia in iis cognitionem rerum credendarum operari. Vocatur hæc operatio *illuminatio intellectus*, de qua jam supra generatim egimus.

Describitur hæc *illuminatio* tanquam opus Spiritus S. quo per verbum Dei hominis intellectus, salutaris cognitionis expers, gratia ejus docente ita impletur, ut ad cognoscenda & credenda omnia, quæ ad consequendam vitam æternam scitu credituque necessaria sunt, idoneus evadat.

Habet hæc illuminatio suos gradus, quorum primus a quibusdam *alluminatio* nuncupatur, quæ autem cor non tangit, si adhuc præjudiciis carnalibus scatet.

Triplex datur *illuminatio* intellectus. *Prima* pertinet ad gratiam prævenientem, *altera* ad gratiam convertentem & *tertia* ad gratiam renovantem. Per se una eademque illuminatio est, quæ autem gradu differt.

Dividitur alias hæc illuminatio etiam in *naturalem* & *spiritualem*. Illa fit per solas vires naturæ, hæc vero per gratiam Spiritus S. Illa tantum humanam s. literalem notitiam, quam quilibet irregenitus, qua talis, habere potest, posterior vero salutarem notitiam, quæ primus fidei gradus est, producit.

Et hæc notitia est ea, de qua hic agitur. Acquiritur per Spiritus S. gratiam illuminantem, tenebras ignorantiæ in intellectu nostro dissipantem, Eph. I, 17. 18. Joh. XIV, 26. c. XVI, 13.

 1 Joh.

1 Joh. II, 27. Utitur quidem Spiritus S. in producenda hac notitia verbo Dei, tanquam medio ordinario, nec non interdum etiam mediis pædagogicis, sed semper cum efficacissima sua gratia simul præsto est & ad actum illuminationis salutari operatione concurrit.

2. *Objectum* hujus notitiæ s. cognitionis sunt imprimis *Deus* & *Christus*, Joh. VI, 69. c. XVII, 3. postea vero etiam omnes *res* & *veritates* in scriptura S. *revelatæ*, quæ vel ad cultum divinum, vel ad præstanda officia christianismi, vel ad salutem æternam spectant & partim non negari, partim ne quidem ignorari debent.

3. In V. T. notitia salutaris involucris legis Leviticæ quasi tegebatur, quia fideles tunc de Christo ejusque redemptione obscuram & valde imperfectam cognitionem habebant, quapropter etiam liberi *impuberes* nominantur, qui usque ad tempus manifestationis Christi in carne ὑπὸ παιδαγωγὸν καὶ ὑπὸ ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους, vixerunt, Gal. III, 23-25. c. IV, 1-4. Interim fides eorum non modo plena fiduciæ, sed etiam respectu objecti genuinæ indolis fuit, Act. XV, 11. etsi et non defuerint ἀγνοήματα, pro quibus quotannis summus sacerdos sacrificia obtulisse dicitur, Hebr. IX, 7.

Nunc *plenior* & *perfectior notitia* requiritur, cum Christus venerit & umbras V. T. luce personæ suæ ac verbi dissipaverit.

Ante omnia cognoscere debemus Deum unitrinum, *in quem*, Christum, *in quo*, lapsum hominum

minum & peccatum, *cur*, & ordinem salutis, *quomodo credamus*. Cognoscere etiam debemus *statum æternitatis* & quæ tunc ab hominibus tam speranda, quam timenda sunt.

Habet autem hæc notitia suos *gradus*, dum non modo increscere, sed etiam decrescere potest, Col. I, 11. 1 Cor. III, 1. 2. c. XIV, 20. Hebr. V, 12.

Debet autem notitia veritatis divinæ *explicita* esse, quia *implicita*, quam Pontificii defendunt, nil nisi ignorantia est. Datur illa in infidelibus, qui cognitione salutari carent, Act. XVII, 23. 30. Eph. IV, 18.

Pontificii ex 2 Cor. X, 5. probare student, ad fidem plane non requiri notitiam, quia jubeamur captivum ducere *πᾶν νόημα* f. omnem intellectum *εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ*, f. sub obedientiam Christi. Sed distinguendum est inter *νοῦν* & *νόημα*. Non de priori, sed de posteriori h. l. sermo est.

Quæri hic potest: *Quid de fide infantum judicandum sit, si notitia veritatis primam fidei partem constituat?* Responsio jam supra Cap. III. data est. Infantes destituti quidem sunt usu intellectus; gaudent tamen instinctu quodam spirituali, quo quasi ad ejusmodi cognitionem Dei & Christi tendunt, quam Johannes baptista per suum saltum in utero materno indicavit, Luc. I, 44.

CAPUT VIII.
DE
ASSENSU, ALTERA FIDEI PARTE.

Assensus in genere est πληροφορία illa, de qua agitur Col. II, 2. 1 Thess. I, 5. Hebr. VI, 11. c. X, 22.

Describitur per certam firmamque persuasionem animi, vera esse, quæ cognoscimus. Sine hoc assensu omnis nostra cognitio incerta, dubia & inanis est.

Si itaque cognitio rerum divinarum nobis salutaris esse debet, eam cum assensu conjunctam esse oportet.

Respectu hujus cognitionis describi potest *assensus* per convictionem cordis de veritate omnium, quæ in Scriptura S. ad salutem nostram consequendam nobis revelantur. Paulus propterea fidei tribuit ἔλεγχον πραγμάτων οὐ βλεπομένων, h. e. certissimam argumentationem & convictionem de rebus, quæ oculis non cernimus, Hebr. XI, 1.

Si vox πιστεύειν f. credere de assensu in Scriptura S. usurpatur, construitur plerumque cum Dativo & Accusativo sine Præpositionibus.

Assensus alias dicitur *secundus fidei gradus* & pertinet æque ad intellectum, ac cognitio ipsa. Solent propterea a quibusdam duæ hæ fidei partes conjungi, quia vera cognitio sine assensu non detur. Verum cum ad fidem salvificam major

major assensus rerum credendarum requiratur, quam communiter habere solemus, quando aliquid vel legimus, vel audimus, assensus hic omnino ab ipsa cognitione separari potest. Debet enim ita comparatus esse, ut infallibiliter & indubitanter credamus, vera esse, quæ ex sacris literis discimus & per verbum Dei nobis revelantur. Talis assensus non ordinarie cum veritatis cognitione conjunctus est.

Pauci inter christianos sunt, qui non vera esse credant, quæ Scriptura S. docet; at assensus hic apud eos rarissime tam firmus est, ut propterea carnis cupiditatibus resistere aut veritatem cognitarum rerum divinarum morte obsignare velint. Profitentur quidem fidem suam, h. e. testantur, se credere, vera esse, quæ ex verbo Dei cognoverint, sed tantum ore, non corde id faciunt. Haud multi cum eunucho ad quæstionem: *num credas de toto corde?* sincera mente respondere possunt: *credo Jesum Christum esse Filium Dei*, Act. VIII, 37.

Ob ejusmodi certitudinem, quæ cum genuino fidei assensu conjuncta esse solet; omnia, quæ nobis in sacris literis revelantur, πεπληροφορημένα vocantur, Luc. I, 1.

Ejusmodi assensus est opus *Spiritus S*, Hinc Johannes scripsit: *Spiritus est, qui testificatur, ea, quæ Spiritus Dei sunt*, h. e. quæ Spiritus S. per verbum Dei docet, *vera esse*, 1 Joh. V, 6. Hoc etiam Paulus indicat, quando de sua evangelii prædicatione affirmat, eam non fieri per-

 suasibilibus

suasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed *ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως*, h. e. *cum tali demonstratione, quam Spiritus S. & divina potentia suppeditat, ut fides nostra non fundata sit humana sapientia*, quæ fallax & incerta est, *sed ἐν δυνάμει Θεοῦ* h. e. *potentia divina*, quæ infallibilis & ad convincendum maxime apta ac idonea est, 1 Cor. II, 4. 5. 13. 14.

Sunt, qui cum B. Jo. WILH. BAIERO *in Compend. Theol. Posit. p. 505.* ad assensum simul eam professionem fidei referunt, qua fidelis homo dicit: *Christus etiam pro me mortuus est.* At quis non talem professionem, si ex sincero corde fit, ad fiduciam referat, quæ tertia fidei salvificæ pars est?

CAPUT IX. DE FIDUCIA, TERTIA FIDEI PARTE.

Hæc fidei pars ad voluntatem spectat & generaliter in ejusmodi animi dispositione consistit, qua gratiam Dei omnemque, per Christi meritum acquisitam, salutem firmo assensu cognitam ita nobis applicamus, ut cum summa cordis inclinatione, ad Deum directa, in ipso, tanquam summo bono, acquiescamus & in omnibus calamitatibus periculisque, imo in ipsa morte, spe & *πληροφορίᾳ* pleni, bono animo simus.

Hæc

Hæc animi diſpoſitio eſt illa πεποίθησις, quam per Chriſtum ad Deum habemus, 2 Cor. III, 4. Eph. III, 12.

Paulus deſcribit eam per ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων, Hebr. XI, 1.

Ὑπόστασις proprie ſubſtantiam cujuscunque rei ſignificat. Si de fide uſurpatur, firmam indicat *fiduciam*, qua alicui rei innitimur, tanquam firmiſſimo fundamento. Ita vocem hanc LXX interpretes uſurpant, Pſ. CXIX, 3. Ezech. XIX, 5. Ruth. I, 12. Eundem ſenſum habent etiam dicta verba Pauli, quando fidem vocat ὑπόστασιν ἐλπιζομένων. Ejusmodi enim *fiduciam* intelligit, qua, ſperando omnia bona, firmiſſime innitimur Chriſto, Salvatore noſtro, ſalutis noſtræ reſtitutore.

Chriſtus hinc jure meritoque *fidei noſtræ fundamentum* nominari poteſt, quia in eo omnis noſtra ſalus eſt, Act. IV, 12. Jeſ. XLIX, 6. Joh. I, 17. c. XX, 31. Propoſuit eum nobis Deus tanquam ἱλαστήριον ſ. propitiatorium per fidem in ejus ſanguine, ut iſtius juſtitiam per remiſſionem peccatorum accipiamus, Rom. III, 25. Etſi igitur Deus unitrinus proprie fidei noſtræ objectum ſit, id tamen non aliter eſſe poteſt, quam reſpectu Chriſti ejusque meriti, ſine quo non acceſſum habemus ad Deum, Rom. V, 2. Hebr. IV, 16. c. VII, 25. Joh. XIV, 6.

Ad *Chriſtum* itaque fides noſtra præcipue directa eſt. In eo omnem fiduciam ſpemque ſa-

lutis

lutis ponimus. Manus quasi ad eum extendimus, ut apprehendamus istum, Joh. I, 12. Col. II, 6. Et si eum apprehendimus, firmiter quoque eum tenere debemus, ne iterum amittamus, Cant. III, 4. Apoc. III, 4.

Scriptura S. talem fiduciæ actum plerumque exprimit per vocem πιστεύειν, cum præpositionibus εἰς, ἐν & ἐπὶ, e. g. Matth. XXI, 22. Marc. V, 36. c. IX, 23. 24. c. XVI, 16. Act. XIII, 39. vel cum Dativo sine præpositionibus, e. g. Gal. III, 6. Tit. III, 8. Jac. II, 23. 1 Joh. III, 23.

Est hæc fiducia pars fidei primaria, sine qua nec notitia, nec assensus veræ fidei partes esse possunt. Requiritur ab omnibus, qui Deo placere & ejus gratiæ vitæque æternæ participes fieri volunt.

Hæc fiducia etiam ad *infantes* spectat, Matth. XVIII, 6.

CAPUT X.
DE
CERTITUDINE FIDEI.

Certitudo ad naturam fidei pertinet, quia sine ea vera fiducia non locum habet.

Duplex ea est, vel objectiva, vel subjectiva.

Certitudo objectiva ea fidei affectio est, quæ versatur circa objectum fidei, cujus indubitanter certus esse debet homo credens.

Hoc *objectum* non modo Deus & Christus sunt cum omnibus rebus divinis, quæ nobis in

Scriptura

Scriptura S. revelantur, sed etiam omnia illa bona spiritualia & cœlestia, quæ Deus fidelibus promisit, Christus autem merito suo acquisivit. Huc spectant gratia Dei, remissio peccatorum, justificatio, exauditio precum, electio ad vitam æternam & alia ejusmodi bona, quibus fideles in hac vita gaudent.

Potest autem hæc *certitudo* diversimode considerari. Est enim partim *absoluta*, partim *hypothetica* f. *conditionata*.

Respectu gratiæ Dei, remissionis peccatorum, justificationis & aliorum bonorum divinorum, quæ ad præsens tempus spectant, certitudo fidei *absoluta* dicenda est. Probatur hoc contra Pontificios ex Rom. V, 1. 2. c. VIII, 38. Hebr. X, 22. 23. Marc. IX, 2. 1 Tim. I, 15. Jes. XXXVIII, 17. Col. II, 13. 14.

Respectu autem exauditionis precum, electionis ad vitam æternam & eorum bonorum, quæ ad futurum tempus spectant, certitudo fidei non absoluta, sed *hypothetica* est, *non* quidem *ex parte Dei*, apud quem satis absoluta est tam respectu exauditionis precum, Ps. LXIX, 3. Ps. CXLV, 19. Matth. VII, 7. 8. Joh. XVI, 23. quam respectu electionis ad vitam æternam, Luc. X, 20. Phil. I, 6. 1 Cor. I, 8. 9. Joh. I, 28. Rom. VIII, 39. sed *ex parte hominum*, quatenus nempe preces eorum genuinæ indolis sunt, 1 Joh. V, 14. 15. Jac. V, 16. Matth. XX, 22. iique in fide perseverant usque ad vitæ finem, Matth. XXIV, 13. Apoc. II, 10. c. III, 11. 2 Tim. IV, 7. 8.

Non

Non pugnat cum certitudine fidei locus Phil. II, 12. quia non de timore servili, sed filiali agit, 1 Petr. I, 17. Timor hic filialis carnalem securitatem & confidentiam in proprias vires, per quam homo ex statu gratiæ facile excidere potest, excludit.

Cavere autem nobis debemus, ne in Pharisæismum, aut Epicuræismum delabamur, dum certitudini fidei nimium indulgemus, 1 Cor. X, 12. Rom. XI, 20. Electionem hinc nostram certiorem reddere jubemur, 2 Petr. I, 10.

Certitudo hypothetica a *dubitatione* distinguenda est. Confundunt *Calviniani* unam cum altera, fingentes certitudinem absolutam prædestinationis s. electionis ad vitam æternam.

Certitudo subjectiva est illa fidei affectio, qua de sua ipsa fide certus est homo, ita, ut se vere credere non dubitet. Hanc certitudinem accipiunt fideles, 1) per testimonium Spiritus S. internum, Rom. VIII, 16. 2 Cor. I, 21. 22. 1 Joh. V, 10. 2 Cor. V, 5. & 2) per diligentem *δοκιμασίαν* s. explorationem sui ipsius, 2 Cor. XIII, 5. Eph. V, 10. Phil. I, 10.

Cum certitudine fidei conjuncta est *spes*, quæ in expectatione futuri boni consistit. Arctissime quidem cum fide conjuncta est, ab ea tamen etiam differt, & quidem 1) *ordine*, quia spes posterior fide, ejusque fructus est, 2) *objecto*, quia spes tantum circa futura bona, Rom. VIII, 24. 25. fides autem simul circa præterita & præsentia bona, nec non circa avertenda mala versatur.

Spei

Spei proprium est, ut in omnibus calamitatibus & afflictionibus nos consoletur, Rom. V, 5. 1 Thess. IV, 13. 1 Petr. I, 3.

Habet autem omnis spes certum fundamentum, quo nititur. Hoc si firmum est, spes nostra nos quoque non fallit. Hac de causa veri tantum christiani genuina spe gaudere possunt, quia spes eorum optime fundata, Rom. XV, 4. 1 Petr. I, 3. Sir. XXXIV, 15. fructusque fidei & Spiritus S. est, Rom. XV, 13. Impii e contrario spe frustrantur, Hiob. VIII, 13. c. XI, 20. Prov. X, 28. Sap. V, 15.

Spei fructus est *patientia*, Rom. VIII, 25. c. XII, 12. 1 Thess. I, 3.

Oppositum spei est *desperatio*, quæ vel universalis Eph. II, 12. 1 Thess. IV, 13. vel particularis est, Gen. IV, 13. Matth. XXVII, 3-5.

CAPUT XI.
DE ACTIVITATE FIDEI.

Fides non mortuum quid, sed res potens & efficax est, quia insignes & egregios illos effectus producit, quos in regeneratione, justificatione & sanctificatione animadvertimus.

Jure meritoque hinc ei tribuitur *vita*.

Omnis vita *vis activa* est. Hac si substantia viva destituitur, vita ejus cessat; quamdiu autem vis agendi ei inest, motus suos habet, qui signum vitæ ejusque effectus sunt.

Quæritur

Quæritur nunc: *qualem fides habeat vitam & quales vita hæc producat motus?*

Ex Gal. V, 6. discimus, fidem genuinam *per charitatem efficacem* esse, & ex Jac. II, 17. 26. eam *sine operibus mortuam* esse.

Multi inde concludunt, *vitam fidei* in bonis operibus consistere.

Sed quis velit corporis motus pro ipsa ejus vita habere, etsi cessatio eorum signum sit, quod corpus vitam amiserit?

Bona opera tantum signum & effectus veræ fidei sunt, non vero vita ejus ipsa. Fides per insitam suam vim motricem ea quidem producit, quæ indicant, fidem re vera adesse, sed non propterea constituunt formam ejus, etsi a genuina fide non separari queant.

Vita fidei itaque est ipsa forma ejus, quæ in apprehensioné fiduciali meriti Christi consistit. Hanc fiducialem apprehensionem operatur Spiritus S. qui propterea in homine credente semper spiritualiter habitat.

Facile inde cognosci licet, fidei vitam a Spiritu S. dependere, quatenus ille nos juvat ad Christum ejusque meritum fiducialiter apprehendendum. Et hoc est, quod Paulus intelligit, quando Christum per fidem in se vivere fatetur, Gal. II, 20.

Hæc *vita* est illa vis motrix fidei, quæ homines credentes ita movet, ut nil aliud faciant, quam quod Deo Christoque gratum & acceptum esse judicant. Abstinent igitur se a peccatis,

catis, 1 Joh. III, 6. 9. c. 22. c. V, 18. & servant præcepta Dei, verbumque Christi, 1 Joh. II, 5. c. III, 24. c. V, 2. 3. Joh. XIII, 34. 35. c. XIV, 23. 24. Act. X, 34. 35. Sicut autem summa præceptorum Dei & verbi Christi in præstanda charitate consistit, ita quoque fides genuina per *charitatem* efficax esse dicitur, Gal. V, 6.

Hæc charitas demonstratur per *bona opera*, quæ signum, fructus, effectus & testimonium veræ fidei sunt, ex quibus cognoscitur, fidem adhuc vivam esse. Opera hæc si cessant, non aliter judicari potest, quam fidem mortuam & extinctam esse. Sicut enim ex motibus corporis cognoscitur vita naturalis, ita ex bonis operibus vita spiritualis f. fides genuina & viva. Et hoc est, quod Jacobus c. II, 17. 20. 26. per *fidem vivam* & *mortuam* indicat. Probare enim vult, fidem veram non sine bonis operibus esse, quia illa fidem semper sequantur tanquam effectus activitatis & vitæ ejus.

Errant itaque, qui sola bona opera *vitam fidei* vocant. Sunt quidem cum fide inseparabiliter conjuncta, sed sola fides apprehendit Christum, etiamsi nunquam sit sola, quapropter etiam Augustinus scripsit: *credere in Christum, idem est, ac credendo diligere Christum.*

Distinguendum autem est inter vitam fidei & vitam credentis. *Vita fidei* est Christus, per Spiritum S. apprehensus, & *vita credentis* est ipsa fides.

CAPUT XII.

DE AMISSIBILITATE FIDEI.

Fides habet sua *intervalla*. Potest enim non solum conservari & corroborari, sed etiam amitti & recuperari, crescere & diminui.

Est fructus Spiritus S. Hinc non essentialiter animæ inhæret, sed a legitimo usu mediorum gratiæ, quibus Spiritus Sancti ejusque operationum participes reddimur, dependet.

Potest itaque fides omnino *amitti*, Ezech. XVIII, 24. 1 Cor. X, 12. 2 Cor. XIII, 5. Rom. XI, 20. Pertinent huc πρόσκαιροι, s. *ad tempus credentes*, quorum Christus meminit, Matth. XIII, 21. Marc. IV, 17. Luc. VIII, 13. & qui περὶ τὴν πίστιν ναυαγοῦσι; h. e. *circa fidem naufragium faciunt*, 1 Tim. I, 19.

Amittitur vero fides non modo *ad tempus*, ut exempla Davidis, 2 Sam. XII, 7. & Petri, Matth. XXVI, 69-74. docent, sed etiam *finaliter*, h. e. ita, ut nunquam recuperetur, Hebr. VI, 4-6. 2 Petr. II, 20. *Recuperari* autem omnino potest per veram pœnitentiam, ut exempla Davidis, 2 Sam. XII, 13. Petri, Matth. XXVI, 75. & Thomæ, Joh. XX, 28. 29. testantur.

Crescere etiam solet fides, Eph. IV, 15. Col. I, 11. Joh. IV, 48-53. necnon *diminui*, Luc. XXII, 32. Rom. XIV, 1. Jes. XLII, 3. & *abnegari*, 1 Tim. V, 8.

Poteſt quoque *corroborari*, Luc. XVII, 5. Marc. IX, 24. 1 Petr. V, 10. & *conſervari*, Jeſ. XLII, 3. 2 Tim. IV, 7. Hebr. XII, 2. Matth. X, 22. c. XXIV, 13. Apoc. II, 10.

Inde colligitur, fidem variis mutationibus obnoxiam eſſe, quapropter is, qui ſibi videtur ſtare, caveat, ne cadat, 1 Cor. X, 12. Huc ſpectant loca Apoc. III, 11. Hebr. IV, 11. 2 Petr. I, 10.

Calviniani negant, fidem penitus amitti poſſe, provocantes ad Luc. XXII, 32. 1 Joh. III, 9. Jud. v. 3. ſed loca hæc iis non favent.

Electi non quidem finaliter fidem amittere queunt, Matth. XXIV, 24. Pſ. XXXVII, 24. Rom. VIII, 29. 30. ut exempla Lothi, Davidis, Salomonis, Petri & aliorum probant, ſed tamen ex ſtatu gratiæ penitus excidere poſſunt, Ezech. XVIII, 26. 2 Sam. XII, 7. Gal. V, 4.

Hoc itidem negant *Calviniani* ex Pſ. CXII, 3. Joh. X, 28. Jeſ. LIV, 10. 1 Joh. III, 9. Cant. VIII, 6. 7. Matth. XXIV, 24. Verum omnia hæc loca non abſolute, ſed conditionate intelligenda ſunt. Fœdus gratiæ enim conditionatum eſt & requirit ex parte hominum fidem & obſequium.

Fides hinc ſemper cum incredulitate luctatur, Marc. IX, 23. 24. nec non cum dubitatione & pavoribus trepidantis conſcientiæ, imo cum peccato, morte & diabolo: at victoriam tandem reportat, 1 Joh. V, 4. 5. 2 Tim. IV, 7. 8.

D. MARTINUS CHEMNITIUS propterea vocem ὑπόστασις, Hebr. XI, 1. verbum militare nominat, quod idem significet, ac non cedere irruenti. Pulcherrime hinc *luctam fidei* depingere judicat vocem hanc.

CAPUT XIII.

DE EFFICACIA FIDEI.

Præstantissimam fidei efficaciam nemo magis prædicat, quam Christus, dicendo: **πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι**, h. e. *omnia possibilia sunt credenti*, Marc. IX, 23.

Christus ideo in diebus carnis suæ fere semper auxilium, quod miseris & ægrotis hominibus præstitit, sanandorum hominum fidei tribuit, Matth. IX, 22. Luc. VII, 50. c. VIII, 48. c. XVII, 19. c. XVIII, 42.

Non autem fides, si ei hæc virtus adscribitur, subjective considerari debet, sed tantum objective. Fides, *subjective* considerata, est qualitas animæ nostræ divinitus acquisita, *objective* vero considerata, est ipsa Christi apprehensio. Si itaque de fidei efficacia & præstantissima ejus virtute sermo est, respectum habet fides ad Christum, quatenus per eam in salutem nostram a nobis apprehenditur. Est fides tunc quasi manus, qua accipimus id, quod Christus nobis acquisivit. Sicut mendici manus & mendicatio non ipsa causa accepti beneficii sunt, sed tantum instrumentum & medium ejus, ita

etiam

etiam fidei noſtræ per ſe non tribui debet virtus, qua gaudent homines credentes. Dependet enim illa a ſola Dei gratia per Chriſtum acquiſita, ſecundum quam nobis omnia bona cum hac conditione exhibentur, ut fide apprehendamus ea & ſic noſtra faciamus.

Placuit autem Deo, fidei noſtræ tantam virtutem tribuere, ut ejus præſtantiam & neceſſitatem eo magis cognoſcamus.

Præcipua *fidei efficacia* in applicatione divinæ gratiæ per Chriſtum acquiſitæ conſiſtit. Hæc vero uti multifaria eſt, ita etiam fides noſtra non modo virtutem regenerandi, juſtificandi, ſanctificandi & ſalvificandi habet, ſed etiam Deum ad exaudiendum preces noſtras & largiendum nobis auxilium & omnia bona animæ & corporis commovet, imo nos apud ipſum gratos & acceptos reddit.

Habet omnino fides 1) *virtutem regenerandi*, ut in antecedente Libro audivimus, dum per eam filii Dei evadimus, Joh. I, 12. Gal. III, 26.

Habet 2) *virtutem juſtificandi*, Rom. I, 17. c. III, 26. 28. c. V, 1. Gal. II, 16.

Habet 3) *virtutem ſanctificandi*, quapropter bona opera fructus fidei vocantur, Rom. XIV, 23. Gal. V, 6. Joh. VII, 38. 2 Petr. I, 56.

Habet 4) *virtutem ſalvificandi*, Marc. XVI, 16. Joh. III, 16. c. V, 24. c. VI, 40. 47. c. XI, 25. 26. Act. XV, 11. c. XVI, 31. 1 Petr. I, 9.

Habet 5) *virtutem*, Deum commovendi *ad exaudiendum preces* noſtras, Matth. XXI, 22.

 Jac.

Jac. I, 6. Prov. XV, 29. Jac. V, 16. Pf. XXXIV, 18. Pf. CXLV, 19. Prov. X, 24. c. XV, 29.

Habet 6) *virtutem, auxilium Dei nobis procurandi*. Marc. IX, 23.

Habet 7) *virtutem, nos omnibus bonis animæ & corporis participes reddendi*, Matth. VIII, 13. c. XXI, 22. Pf. V, 13. Pf. LV, 23. Pf. XCII, 13. Jef. XLI, 10. c. XLIII, 1-3.

Habet denique 8) *virtutem, nos apud Deum gratos & acceptos faciendi*, Jer. V, 3. Hebr. XI, 6.

* *

SECTIO II.

DE JUSTIFICATIONE.

CAPUT I.

DE JUSTIFICATIONE IN GENERE.

Justificatio vi vocis fignificat actum, quo quis per abfolutionem ab omni culpa juftus declaratur aut pronunciatur. In codice Hebræo occurrit vox הצדיק, & in Græco textu vox δικαιοῦν. Utraque non alium *usum* habet quam *forensem*. qui in foro civili & coram judice confuetus eft.

Præcipua loca, quæ vocis הצדיק fenfum forenfem probant, funt: Deut. XXV, 1. Prov. XVII, 15. 2 Sam. XV, 4. Jef. V, 23. c. L, 8. Pf.

Pf. LXXXII, 3. ea vero, quæ respectu vocis δικαιοῦν idem significant, sunt: Matth. XII, 37. Luc. XVIII, 14. Act. XIII, 39. Rom. II, 13. c. III, 20, 24. 28. c. IV, 2. c. V, 1. 9. c. VIII, 33.

Hanc significationem habet etiam vox hæc Matth. XI, 9. qui locus ita vertendus est: *sed justa etiam pronunciatur sapientia a filiis ejus*, h. e. ab iis, qui sapientiæ student & ejus asseclæ sunt.

Nullibi vox *justificationis* magis in malum sensum detorquetur, quam in ecclesia Romana. In ea vox accipitur secundum etymologiam suam. Sicut enim composita est ex nomine *justus* & verbo *facere*, ita eam quoque per infusionem habitualis justitiæ interpretantur Pontificii.

Accipiunt enim vocem hanc in *sensu physico*, quasi qualitates hominis justificandi mutentur ut aqua, quando ex frigida in calidam mutatur. Provocant ad Apoc. XXII, 11. qui locus tamen nil probat.

Distinguunt ideo inter primam & secundam justificationem. *Prima* est, quando ex non-justo fit justus, *secunda* vero, quando ex justo fit justior.

Dispositiones, per quas secundum eorum hypothesin homo ad *justificationem primam* quasi præparatur, sunt fides, timor, spes, dilectio, contritio, propositum melioris vitæ & observatio mandatorum. Has dispositiones *meritum congrui* habere perhibent. Tunc enim con-

I 4 gruum

gruum esse dicunt, ut Deus ejusmodi homini det gratiam s. infundat novas qualitates. Et hoc est, quod *justificationem primam* vocant.

Si postea homo in exercitio novarum qualitatum s. bonorum operum diligens est & crescit, tunc ab iis istud appellatur *justificatio secunda*, quia talis homo *meritum condigni* habeat, cui merces ex debito respondeat.

De duplici hoc merito Pontificiorum infra pluribus agetur.

Omnino quidem fieri debet *mutatio mentis* in homine justificato, sed hæc non ad formam justificationis pertinet. In locum pravarum cupiditatum in ejusmodi homine succedunt quidem boni habitus, at mutatio hæc non fit in justificatione, sed in regeneratione, continuaturque in sanctificatione.

Datur *gratia Dei infusa*, Rom. V, 5. quæ autem non ad justificationem, sed ad sanctificationem pertinet.

Regeneratio & *justificatio* fiunt quidem uno momento, at sunt tamen diversi actus. Prior fit intra hominem & posterior extra hominem, ita tamen, ut publicatio sententiæ absolutoriæ in foro conscientiæ fiat.

Justificationi opponitur *condemnatio*. Hæc est actio illa Dei, qua hominem peccatorem malorum facinorum & omnis pœnæ reum declarat.

Qui non in statu justificationis vivit, versatur in statu condemnationis.

Satis

Satis inde cognoscitur, justificationem omnino habere sensum forensem. Cur autem Deus actum hunc voce judiciali & forensi exprimere voluerit, B. CHEMNITIUS *in Exam. Conc. Trid. Part. I. p. 230* prolixe indicat. Summam verborum ejus B. BAIERUS *in Compend. Theol. Posit. p. 575.* ita profert: *genuina proprietas verbi justificare puritatem doctrinæ justificationis & a Pharisaico fermento & ab Epicuræis opinionibus conservat & defendit, totaque doctrina justificationis non potuit simplicius, rectius & commodius intelligi & ad serium usum in exercitiis pœnitentiæ & fidei accommodari, quam ex vera observatione judicialis significationis verbi justificare.*

CAPUT II.
DE DEO JUSTIFICANTE.

Justificatio est actus *judicis*, qui potestatem habet condemnandi & absolvendi.

Talis judex non alius esse potest, quam *Deus*, quia non modo omnem potestatem in terra & cœlis habet, sed etiam supremus hominum Dominus est, qui sub comminatione gravissimarum pœnarum nos ad certas leges obstrinxit, ut iis pareamus.

Penes eum igitur est jus & damnandi & absolvendi. Vocatur propterea *judex*, Ps. VII, 12. Ps. IX, 5. Ps. L, 6. Ps. LXXIV. *judex hominum*, Ps. VII, 9. Jes. XXXIII, 22. *judex mundi*, Gen. XVIII, 25. Psalm XCIV, 2. & *judex in terra*,

Pſ. LVIII, 12. quia omnes homines judicare ſolet ſecundum eorum opera, Hiob. VIII, 3. c. XIII, 9. Pſ. VII, 9. Pſ. LXVII 5. Pſ. CXIX, 52. Ezech. VII, 27. Sir. XVI, 12. Rom. III, 6.

Jure meritoque hinc Paulus exclamat: *Quis electos Dei accuſet? Deus eſt hic, qui juſtificat!* Rom. VIII, 33. Sicut autem nemo coram ipſo propter peccatum inhærens juſtus habendus eſt, Pſ. CXLIII, 3. Hiob. XV, 14. c. XXXV, 4. Pſ. XIV, 3. Rom. III, 23. ita etiam omnes damnarentur homines, ſi Deus illos ſecundum eorum opera judicare velit, Pſ. CXXX, 3. Pſ. CXLIII, 2. At gratiam ſuam prævalere ſinit juſtitia. Inde orta eſt *juſtificatio*, per quam omnia peccata remittuntur.

Hæc remiſſio in ſolum competit *Deum*, Marc. II, 7. Luc. VII, 4. Quia ſolus per peccata offenditur, & ſolus etiam judicandi poteſtatem habet.

Eſt autem juſtificatio actus Dei ad extra immanens & tribuitur *Patri*, Rom. VIII, 32. 33. *Filio*, Jeſ. LIII, 11. Luc. VII, 48. Matth. IX, 6. & *Spiritui S.* 1 Cor. VI, 11.

Cauſa Dei impulſiva ad juſtificandum homines eſt vel interna vel externa. *Interna* eſt gratuitus Dei favor, qui a Paulo χάρις τοῦ Θεοῦ h. e. *gratia Dei*, quatenus non donum, ſed attributum divinum eſt, appellatur, Rom. III, 24. Eph. II, 4. 5. Exod. XXXIV, 6. Tit. III, 4. Secundum hanc gratiam juſtificatio peccatoris fit δωρεὰν h. e. *gratis*, Rom. III, 24. nec non ſine

ullo

ullo operum nostrorum respectu, Rom. XI, 6. c. III, 24. Tit. III, 5.

Causa impulsiva externa est vel *principalis & meritoria*, vel *minus principalis & organica*. Prior est meritum Christi, posterior vero fides, meritum Christi apprehendens.

Plura de hac duplici justificationis causa infra dicemus.

CAPUT III.
DE
SUBJECTO JUSTIFICATIONIS.

Subjectum justificationis est *homo peccator*, quatenus veram pœnitentiam agit.

Quicunque enim jam per se justus est, uti *Christus*, Jes. LIII, 12. 1 Joh. II, 1. aut justum se esse credit, uti olim *Pharisæi*, Matth. IX, 12. Luc. XV, 7. c. XVIII, 9. non justificari debent. Hinc legimus, publicanum pœnitentem præ Pharisæo, de suis bonis operibus multum gloriante, justificatum e templo abiisse domum, Luc. XVIII, 14.

Ipsi *regeniti*, quatenus in statu regenerationis & gratiæ versantur, non ad subjectum justificationis referri debent. Sunt enim jam justificati, quapropter plerumque in sacris literis vocantur *justi*. Act. XIII, 39. Rom. V, 1. c. X, 4. 10. 1 Cor. VI, 11. Tit. III, 7. Col. II, 13. 14.

Nec tamen *infantes* a subjecto justificationis excludendi sunt, quatenus nempe in statu naturali

rali & irregenito considerantur. Fit autem eorum justificatio in regeneratione, in qua iis meritum Christi, fide apprehensum, imputatur.

Solos *impios* hinc Deus justificare dicitur, Rom. IV, 5. non quidem, quatenus impii sunt & manent, sed quatenus impietatem suam agnoscunt, veram pœnitentiam agunt, & meritum Christi genuina fide apprehendunt. Alias enim odit Deus operantes iniquitatem, Ps. V, 5. ira Dei manet super omnem, qui non in Filium Dei credit, Joh. III, 36.

Homo justificandus autem non consideratur secundum magnitudinem & multitudinem peccatorum suorum, Jes. I, 18. Matth. XII, 31. Rom. V, 20. sed secundum pœnitentiæ suæ veritatem & genuinam indolem. Hac de causa peccatum contra Spiritum S. irremissibile appellatur, quia hominem pœnitentiæ incapacem reddit. Singularia exempla *magnorum peccatorum*, qui justificati sunt, præbent *David* 2 Sam. XII, 13. *Manasse*, 2 Chron. XXXIII, 12. 13. *Petrus*, Matth. XXVI, 75. *publicanus*, Luc. XVIII, 13. 14. *magna peccatrix*, Luc. VII, 47. 48. & *latro ad dextram Christi crucifixus*, Luc. XXIII, 40-43.

Non autem respectu justificationis discrimen datur inter peccatores V. & N. Testamenti. Una eademque justificationis in utroque fuit ratio, Act. XV, 11. c. IV, 12. c. X, 43. c. XIII, 38. Rom. IV, 3. c. V, 19. Christus nuncupatur propterea *heri & hodie*, Hebr. XIII, 8. Negant

gant hoc non solum Socinïani, sed etiam certo modo Pontificii, quatenus Christum novum vocant legislatorem.

Non quidem inficiari possumus, Deum in V. T. magis indulsisse hominibus, tanquam suis debitoribus, quam in N. T. & quidem propter solutionem debiti, a sponsore, Christo, nondum præstitam, sed tantum in sacrificiis adumbratam, Rom. III, 25. Act. XVII, 30. at per se tamen æque ac in N. T. omnes per fidem justificati sunt, Act. XV, 11.

CAPUT IV.

DE CAUSA JUSTIFICATIONIS.

Hæc est ex parte Dei *gratia & misericordia* ejus, quia homines ob defectum virium & valoris nil apud Deum mereri possunt, Rom. III, 24. c. IX, 12. c. XI, 6. Eph. II, 8. Tit. III, 5. 7. 1 Petr. I, 3.

Hæc gratia nititur *merito Christi*, qui per obedientiam & mortem suam justitiæ divinæ pro nobis satisfecit, Rom. V, 2. 2 Cor. V, 19. Gal. III, 13. 1 Tim. II, 5. 6. Eph. II, 14-16. Col. II, 14.

Hoc meritum Christi, etsi universale sit & super totum genus humanum sese extendat, non per se homines justificat, sed quatenus vera fide apprehenditur.

Jure

Jure meritoque hinc *fides in Christum* genuina justificationis nostræ causa est, Joh. XX, 31. Act. XV, 11. Rom. I, 17. c. III, 25. 26. c. IV, 5. 16. c. V, 5. Gal. II, 16. c. III, 22. quia sine fide impossibile est, Deo placere, Hebr. XI, 6. utpote qui oculos suos in solam fidem conjicit, Jer. V, 3.

Non autem fides per se & per suam propriam dignitatem aut valorem causa justificationis dicenda est, sed tantum respectu dignitatis objecti, quod fide apprehenditur. Hinc *in Solida Declar. Form. Conc. p. 684.* recte scribitur: *Fides non justificat, quod tam bonum opus tamque præclara virtus sit, sed quia in promissione evangelii meritum Christi apprehendit & amplectitur.*

Est itaque *fides* in actu justificationis ut instrumentum s. organon ληπτικὸν, aut manus mendici consideranda, qua justitiam Christi accipimus. Nullibi ideo in scriptura S. legimus, quod διὰ πίστιν, h. e. *propter fidem*, sed διὰ πίστεως, h. e. *per fidem*, ἐκ πίστει h. e. *ex fide*, & τῇ πίστει, h. e. *fide* justificemur, Rom. III, 28. 30. Gal. III, 24.

Fides autem debet esse *genuinæ indolis*, si per eam justificari volumus. Distinguunt propterea aliqui Theologi inter fidem, quæ justificat, & fidem, quatenus justificat. Per *fidem, quæ justificat*, naturam & indolem, secundum quam in justificatione fides agit, per *fidem* vero, *quatenus justificat*, modum, quo in actu justificationis fides agit, indicant. Illustrant simili a manu

manu desumto. Sicut enim aliud quid est actus apprehensionis, quem manus exercet, & aliud quid indoles manus, quæ ad actum apprehendendi requiritur: ita etiam fides justificans non modo justitiam Christi apprehendere, sed omnia quoque requisita habere debet, quæ ad apprehendendum requiruntur. Uti igitur manus mortua, picta & occlusa nil apprehendere potest, sic etiam fides mortua, hypocritica & inoperosa nil valet.

Genuina fides est *viva* h. e. virium spiritualium plena, nec non *operosa*, h. e. per charitatem & bona opera efficax. Hisce proprietatibus si destituta est fides, jure meritoque a Jacobo dicitur *mortua*, Jac. II, 17. 20. 26. quia defectus operum satis indicat, fidem in tali homine esse extinctam.

Sunt vero multi inter christianos, qui abutuntur doctrina de fide justificante, dum putant, superflua & inutilia esse *bona opera*. Horum causa Jacobus c. II, 14-26. operam dat demonstrandi, fidem justificantem *genuinæ indolis*, h. e. vivam & operosam, esse debere. Non autem propterea docet, fidem respectu operum virtutem justificandi habere. Opponit enim opera non fidei genuinæ, utpote quæ jam opera includit, sed fidei malæ indolis, intelligitque non alia opera, quam quæ fructus Spiritus S. & veræ fidei sunt.

Sola igitur *fides*, *quæ* operosa, non *quatenus* operosa est, nos justificat, Gal. V, 6. Adscribitur

tur vero *fidei* justificatio non nisi metonymice, quia solus Deus is est, qui justificat, ut supra jam probavimus.

Errant hinc *Pontificii*, negantes, nos sola fide justificari. Statuunt enim, ut supra audivimus, *duplex meritum*, meritum congrui & meritum condigni. *Meritum congrui* dicunt, quando quis aliquid boni per dispositiones naturales facit. Congruum tunc esse perhibent, ut Deus ejusmodi homini gratiam largiatur & novas qualitates infundat. *Meritum condigni* vero est, quando quis ex habitu justitiæ infusæ bona opera facit. Hoc mercede dignum judicant. Merita congrui tribuunt *justificationem primam*, & merito condigni *justificationem secundam.* Juxta primam ex non justo fieri justum, & juxta alteram ex justo fieri justiorem docent.

Verum distinctio hæc non modo nullo in scriptura S. nititur fundamento, sed per eam etiam opera ad justificationis actum referuntur, quæ tamen ad justificationis statum pertinent. Distinguunt quidem Pontificii inter *opera legis* & *gratiæ*. Sed per se sunt una eademque opera, etsi respectu normæ & œconomiæ inter se differant. Redarguuntur hinc a Paulo omnes, qui vel ex his vel ex illis justificari volunt, Rom. IV. Abrahamus in medio cursu operum gratiæ sola fide justificatus esse dicitur, Gen. XV, 6. Rom. IV, 1-3. Gal. III, 6. Jac. II, 23.

B. Lu-

B. Lutherus ad Rom. III, 28. meta-paraphraften egit, dum non modo ad verba textus, fed etiam fimul ad genium linguæ, in qua fcripfit, refpectum habuit. Chriftus idem fecit Matth. IV, 10. cum allegaverit locum Deut. VI, 13.

CAPUT V.
DE
FORMA JUSTIFICATIONIS.

Hæc confiftit in *abfolutione a culpa & pœna peccati.*

Peccata funt caufa noftræ damnationis. Reddunt nos coram Deo injuftos & omnium pœnarum dignos, Rom. V, 16-18. Remiffis igitur peccatis culpa & pœna aufertur, & tunc dicimur *juftificati.*

Peccatum ipfum in nobis non tollitur. Inhæret enim naturæ ita, ut nifi morte deftruatur hominis machina, Rom. VI, 7. non ceffet. Quamdiu itaque homo naturaliter vivit, tamdiu etiam peccato infectus eft, Rom. VII, 14. 18. 1 Reg. VIII, 46. 1 Joh. I, 8.

Neutiqam igitur homo in juftificatione a peccati veneno liberatur, fed tantum a culpa & pœna ejus.

Culpa in imputatione peccati confiftit, Pf. XXXII, 2. Pf. CXXX, 3. *pœna* peccati autem eft mors, Rom. VI, 23. c. V, 12. Ab utraque in juftiticatione homo abfolvitur, 2 Cor. V, 19. Rom. VIII, 1. 33. 2 Sam. XII, 13.

Qui a crimine absolvitur, *justus* declaratur. Hæc *justitia* est vel propria vel aliena. Si *propria* est, homo per se innocens habetur, si vero *aliena*, homo non quidem per se innocens est, sponsione tamen vel satisfactione alterius justus declaratur; & hæc est *justitia imputata*.

Talis justitia etiam ea est, qua participes reddimur in justificatione, scilicet *justitia aliena* & *imputata*.

Per se nemo coram Deo innocens est, Pf. CXLIII, 3. Hiob. XXV, 4. quia omnes caremus justitia propria, Jes. LXIV, 6. Rom. III, 23. Si itaque absolvimur a peccatis, id non fit propter nostram propriam justitiam s. innocentiam, Matth. V, 20. Rom. X, 3. sed propter sponsionem & satisfactionem innocentissimi & justissimi sponsoris & redemptoris nostri Jesu Christi, 1 Cor. I, 30. 2 Cor. V, 21. Rom. V, 18.

Hujus justitia *nostra justitia* facta est, cum pro nobis se spospondertit, 1 Tim. II, 6. Tit. II, 14. Gal. I, 4. Eph. V, 2. omniaque præstiterit, quæ ad satisfactionem Dei pro nostris peccatis requirebantur, Luc. XVIII, 31. c. XXIV, 44-47. Hebr. IX, 12. Gal. III, 13. 1 Petr. I, 18. 19.

Si itaque Christus non per se justus & innocens fuisset, ejus quoque sponsio & satisfactio nobis nil prodesset, nec coram Deo aliquid valuisset, Hebr. VII, 25. Jes. LIII, 11.

Imputatur igitur nobis a Deo in justificatione *justitia Christi* nostri sponsoris & redemptoris, quatenus propter ejus meritum, fide apprehen-

prehensum, nos ab omnibus peccatis ita absolvit Deus, ut οὐδὲν κατάκριμα h. e. *nulla damnatio* ulterius locum habeat, Rom. VIII, 1.

Non autem *justitia* hæc *Christi*, quatenus nostra esse dicitur, Jer. XXIII, 6. c. XXXIII, 16. 1 Cor. I, 30. Jes. XLV, 24. ipsa justitia Christi personalis & essentialis est, quæ ab ejus persona nunquam separari potest, sed est justitia, quam nobis per suum meritum acquisivit, Deus vero credentibus in eum imputat, dum iis peccata remittit.

Vocatur hæc Christi justitia imputata sæpe etiam *justitia Dei*, Matth. V, 6. c. VI, 33. Rom. I, 17. c. III, 22. 26. c. X, 3. 2 Cor. V, 21. item *justitia ex Deo*, Phil. III, 9. quia 1) Deus ejus, tanquam unici redemptionis nostræ medii, auctor est, 2) Filius Dei eam acquisivit, 3) coram Deo illa unice valet, quapropter etiam a B. Luthero in germanica bibliorum versione plerumque die Gerechtigkeit, die vor Gott gilt, nominatur, 4) ea omni justitiæ humanæ opponitur.

Appropriatio hujus justitiæ fit per *fidem*. Hæc est medium, quo ejusdem participes evadimus, Rom. I, 17. c. III, 22. c. IV, 5. 16. c. IX, 30. Phil. III, 9. Sine fide manet meritum Christi factum alienum, per fidem vero fit moraliter nostrum.

Quatuor concurrunt in justificatione *actus fidei*: 1) Christus tanquam unicus noster redemptor & salvator cum sua acquisita justitia

divino aſſenſu agnoſcitur, 2) juſtitia & meritum ejus cum ſpirituali fame & ſiti appetitur, 3) utrumque plena fiducia apprehenditur, & 4) in utroque apprehenſo unice acquieſcitur.

Diverſo reſpectu dici poteſt, nos *ex fide*, *ex merito Chriſti* & *ex gratia* juſtificari per remiſſionem peccatorum. *Deus* dat, *Chriſtus* acquiſivit, fides aſſumit, *verbum Dei* offert, *Spiritus S.* applicat & *ſacramenta* obſignant in juſtificatione remiſſionem peccatorum.

Pontificii circa formam juſtificationis errant, quando 1) negant, eam eſſe actum forenſem, 2) per gratiam juſtificantem tantum charitatem Dei cum gratiæ donis nobis infuſam intelligunt, 3) non modo negant, hominem per ſolam fidem juſtificari, ſed etiam 4) fidem per peccata mortalia amitti, 5) ſolum aſſenſum pro fide juſtificante habent, & 6) negant, hominem de gratia Dei & remiſſione peccatorum certum fieri poſſe.

Sociniani obedientiam legis ad formam fidei juſtificantis referunt. *Credere* enim iis idem eſt, ac Deo obedire.

CAPUT VI.
DE
ACTU ET PROCESSU JUSTIFICATIONIS.

Actus juſtificationis a *forma* & *ſtatu* ejus diſtinguendus eſt.

Forma

Forma ad internam & *actus* ad externam justificationis rationem spectat, *status* vero actum sequitur.

Actus justificationis Deo & *status* homini tribuitur.

Habet autem *actus justificationis* significationem forensem: hinc unica declaratione absolvitur. Non igitur justificatio comparata est, sicut renovatio aut sanctificatio, quarum neutra in hac vita absolvitur, sed perpetuo usque ad mortem continuatur.

Hoc tamen non negandum est, actum justificationis interdum multoties a Deo repeti. Quoties enim peccator, in pristina peccata relapsus, veram pœnitentiam agit, a Deo iterum in gratiam recipitur & justificatur, Prov. XXIV, 16. Ezech. XXXIII, 11.

Cum justificatio actus forensis sit, *processus judicialis* ita se habet:

Judex est Deus, Rom. VIII, 33. *Judicium* est forum justitiæ divinæ, Ps. CXLIII, 2. *Actor & accusator* est lex divina, Joh. V, 45. Jac. II, 10. *Reus* est quilibet homo, Rom. III, 9-20. *Testis* est nostra conscientia, Rom. II, 15. *Debitum* sunt innumera peccata, Matth. VI, 12. c. XVIII, 24. *Chirographum* est obligatio ad legem divinam vivendi, Col. II, 14. *Sponsor & Advocatus* est Christus, Hebr. VII, 22. 1 Joh. II, 1. & denique *Absolutio* est justificatio, Ps. XXXII, 1. 2. Rom. IV, 7. 8. Luc. XVIII, 13. 14.

Quæritur hic: *num in actu justificationis bona opera præsentia sint?* Affirmari hoc posset, si idem sit, ac quæratur: *num fides in actu justificationis debeat esse genuina?* Verum cum quæstionis hujus auctores aliquem bonorum operum influxum in justificationis actum statuant, & ideo idem iis sit, ac dicatur, Deum in actu justificationis ad bona opera aliquem respectum habere, jure meritoque hæc quæstio tanquam suspecta & periculosa rejicitur.

Si quæstio ita formatur: *num in statu justificationis bona opera præsentia sint?* eam tuto affirmare possumus. Status enim justificationis idem est, ac status gratiæ, in quo fidem per bona opera demonstrare debemus.

CAPUT VII.
DE
STATU JUSTIFICATIONIS ET UNIONE MYSTICA.

Actum justificationis sequitur *status* ejus, qui a statu gratiæ & regenerationis non differt.

Hic status comprehendit *unionem mysticam.* Cum enim per justificationem Christi ejusque meriti participes reddamur, tamdiu etiam cum Christo in communione spirituali versamur, 1 Cor. I, 9. quamdiu ejus participes sumus. Et hæc communio est unio illa mystica, de qua

Mystici

Myſtici & Fanatici multa paradoxa proferunt.

Eſt *unio* hæc non realis & eſſentialis, ſed ſpiritualis. Habet vox hæc ſenſum metaphoricum, non proprium. *Vinculum* hujus unionis eſt reſpectu Chriſti *Spiritus S.* & reſpectu fidelium *fides.* Per duplex hoc vinculum conjungitur Deus & Chriſtus cum fidelibus, ita, ut in iis habitare dicatur, 2 Cor. VI, 16. Joh. XIV, 23. 1 Cor. III, 16. Eph. III, 17. 2 Cor. XIII, 5.

Inprimis *Chriſtus* in arctiſſima cum animabus fidelium unione verſatur.

Comparatur propterea Chriſtus cum *capite*, cujus membra ſint fideles, Rom. XII, 5. 1 Cor. VI, 15. c. XII, 27. Col. I, 18. item cum *ſponſo*, Cant. IV. & V. Matth XXV, 10. Hoſ. II, 19. 20. Joh. III, 29. & *marito*, Eph. V, 23 - 32. Ipſe Chriſtus ſe reſpectu unionis myſticæ vocat *vitem*, fideles vero *palmites*, Joh. XV, 1 - 5. Huc ſpectant etiam loca, in quibus Chriſtus in nobis vivere, Gal. II, 20. Phil. I, 21. item μορφωθῆναι, Gal. IV, 19. & ἐνδυσηθῆναι, Rom. XIII, 14. Gal. III, 27. dicitur.

Ex unione oritur *communio cum Deo*, 1 Joh. I, 3. vi cujus non ſolum fideles illius, quod Dei eſt, participes fiunt, 2 Petr. I, 4. ſcilicet ejus gloriæ, 2 Cor. III, 18. amoris, providentiæ, donorum ſpiritualium, beneficiorum &c. ſed etiam Deus ſibi attribuit, quod fidelibus contingit, Matth. XXV, 40. 45. Act. IX, 4.

Fundamentum unionis myſticæ eſt unio duarum naturarum in Chriſto, Eph. II, 13. c. V, 30. Matth. I, 23. & *oppoſitum* ejus hominum ſocietas cum Satana, Eph. II, 2. 3. 2 Cor. VI, 15.

Omnia *bona*, quibus fideles in ſtatu juſtificationis fruuntur, promanant ex hac unione myſtica, cujus omnes participes ſunt, qui in ſtatu juſtificationis verſantur. Arctiſſime hæc bona inter ſe cohærent. Sunt fructus juſtificationis, quapropter de iis in ſequenti capite aliqua dicemus.

CAPUT VIII.
DE
FRUCTIBUS JUSTIFICATIONIS.

Horum præcipui ſunt 1) *pax ſpiritualis*, 2) *υἱοθεσία* ſ. *filiatio Dei*, 3) *unctio ſpiritualis*, 4) *lætitia ſpiritualis* & 5) *certitudo ſalutis æternæ*.

Pax ſpiritualis originem habet a Principe pacis, Jeſ. IX, 6. 7. c. LIII, 6. Luc. XXIV, 36. Joh. XIV, 27. c. XX, 19. Col. I, 20. & conſiſtit in tranquillitate animi, acquieſcentis in gratia Dei reconciliati, Matth. XI, 29. Phil. IV, 7. Col. III, 15. Eſt autem pax hæc ſpiritualis, quam per juſtificationem accipimus, Rom. V, 1. 2. Jeſ. XXXII, 17. multipliciter conſideranda. Habemus pacem cum Deo, Act. X, 36. Rom. I, 8. pacem cum noſtra conſcientia, Hebr. IX, 14. c. X, 22. pacem cum aliis hominibus, Eph. IV, 2-6. Col. III, 12. & pacem adverſus hoſtes ſpi-

rituales,

rituales, Col. II, 15. 1 Cor. XV, 54-56. 1 Joh. V, 4. Character pacis spiritualis internus est præsentia animi, externus vero studium pacificationis, Matth. V, 9. Hebr. XII, 14. Pestis pacis spiritualis est securitas carnalis, 1 Thess. V, 3. Matth. XXIV, 38. 39. Jes. XXVIII, 15. Jer. V, 12. 13.

Υἱοθεσία *Dei* s. *filiatio* est receptio in numerum filiorum Dei. *Deus* ad hanc υἱοθεσίαν nos destinavit, Eph. I, 5. & evexit, 1 Joh. III, 1. *Christus* vero eam nobis comparavit, Gal. IV, 5. Joh. I, 12. & *Spiritus S.* nos de eadem certos reddit, Rom. VIII, 16. 2 Cor. I, 22. Per fidem autem in regeneratione & conversione υἱοθεσίας hujus participes evadimus, Gal. III, 26. Joh. I, 12. quia a peccatis tunc absolvimur & justificamur. Accipimus autem per hanc υἱοθεσίαν non modo propinquum ad Deum aditum, Eph. II, 18. c. III, 12. sed etiam jus hæreditatis, Rom. VIII, 17. Gal. IV, 7. 1. 1 Petr. I, 4. Hanc vero hæreditatem non prius consequemur, quam die extremo, Matth. XXV, 34. Revelabitur tunc δόξα & dignitas filiationis nostræ, quæ in hac vita occulta est, 1 Joh. III, 3. Rom. VIII, 23. Col. III, 3. 4. Sap. V, 5. *Characteres filiorum Dei* sunt vel interni vel externi. *Interni* sunt 1) spiritus filiationis, Rom. VIII, 14. 15. Gal. IV, 6. & 2) novus animus, qui Patrem cœlestem amat, 1 Joh. V, 1-3. honorat & timet, 1 Petr. I, 17. nec non ejus castigationes patienter tolerat,

Hebr. XII, 7. *Externi* characteres vero sunt 1) inculpata vita, Rom. VIII, 14. Gal. V, 22. 2) odium mundi, Joh. XV, 18. 19. 1 Joh. III, 13. & 3) φιλαδελφία s. amor proximi, Rom. X, 10. 1 Joh. III, 14-18. imo ipsorum inimicorum, Matth. V, 44. 45.

Unctio spiritualis est complexus omnium charismatum s. donorum gratiæ. Agitur de ea Ps. XXIII, 5. Ps. XLV, 8. 2 Cor. I, 21. 1 Joh. II, 20. Typus ejus fuit unctio filiorum Aaronis, Exod. XXX, 23-32. Unguentum naturale habebat vim corroborandi, recreandi & fragrandi. Pari modo *unguentum spirituale* corroborat tam intellectum, Joh. XIV, 26. Apoc. III, 8. quam voluntatem fidelium ad perficiendum id, quod per se nequeunt, Hebr. XIII, 21. Recreat etiam cor & conscientiam, 1 Joh. III, 19-21. Hiob. XXVII, 6. Hebr. XIII, 18. item corpus & ossa, Ps. LXXXIV, 3. Jes. LVIII, 11. Dicitur istud propterea unguentum lætitiæ, Jes. LXI, 3. spiratque bonum odorem, 1 Cor. II, 14-16. Ex unctione fidelium oritur *sacerdotium spirituale*, 1 Petr. II, 9. Apoc. I, 9. cujus officia sunt sacrificare, orare & benedicere. Offerunt fideles *sacrificia spiritualia*, Ps. LI, 19. Hæc sunt se ipsi, Rom. XII, 1. preces, Hebr. XIII, 15. gratiæ agendæ, Ps. L, 14. 23. & eleemosynæ, Hebr. XIII, 16. Phil. IV, 18. Orant etiam pro sua & proximi salute, imo pro tota ecclesia, 1 Tim. II, 1-3. benedicuntque proximo

ximo tam votis, quam beneficiis, Rom. I, 11. 1 Petr. III, 9. Matth. V, 44. Rom. XII, 14. Per unctionem spiritualem etiam ad *officia regia* & *prophetica* inaugurantur. Priora præstant dominando in mundum, diabolum & pravas cupiditates, 1 Joh: V, 4. Rom. VI, 12-14. Apoc. XII, 11. posteriora vero loquendo de & cum Deo, aliosque suo exemplo ædificando.

Lætitia spiritualis nomen habet a spiritu, quia non tantum fructus Spiritus S. est, sed etiam in anima præcipue sedem habet Distinguenda est & a naturali & a peccaminosa lætitia. Agitur de ea Ps. XXXII, 11. Ps. LI, 10. Ps. LXXXIV, 3. Neh. VIII, 10. Jes. LXI, 10. Luc. I, 47. c. X, 20. Phil. IV, 4. Fundamentum ejus est Christus, Luc. II, 10. 11. Ordo requirit, ut homo antea 1) super peccatis suis contristetur, 2) corde suo se ad Christum convertat, & 3) in perpetua abnegatione suarum cupiditatum bonam conscientiam conservet. Consistit hæc lætitia in dulcissima & placidissima commotione animi super fruitione præsentium & certissima spe futurorum salutis bonorum. Habet suos gradus, quorum summus ille est, quo homo suis calamitatibus gaudet, Matth. V, 12. Rom. V, 3. Affectiones hujus lætitiæ sunt sinceritas, puritas & perennitas, Joh. XVI, 22. 2 Cor. VI, 10. adjunctum inseparabile vero timor Dei, Ps. II, 11. Matth. XXVIII, 8. Tob. IX, 12. & ejus complementum vita æterna, Matth. XXV, 21.

Certitudo

Certitudo salutis æternæ est præstantissima res fidelium. Agitur de illa Hiob. XIX, 25. Joh. X, 28. Rom. VIII, 33-35. 1 Cor. I, 8. 2 Cor. I, 21. 22. Phil. I, 6. 2 Tim. I, 12. Non sine ordine & certamine obtinetur. Proprium ejus est conservatio bonæ conscientiæ & in bono perseverantia. Arrhabo s. pignus est Spiritus S. Eph. I, 14. 2 Cor. I, 22. quo obsignantur fideles, Eph. IV, 30. 2 Cor. I, 21. 2 Tim. II, 19. Apoc. IX, 4. Ex parte Dei certitudo salutis æternæ fundatur (a) omniscientia, veritate & omnipotentia Patris, 1 Petr. I, 5. Joh. X, 29. (b) merito & intercessione Filii, Luc. XXII, 32. & (c) inhabitatione obsignationeque Spiritus S. Joh. XIV, 16. 17.

LIBER

LIBER XI.

DE SANCTIFICATIONE ET BONIS OPERIBUS.

Sanctificatio & *Bona opera* differunt ut causa & effectus. Hinc uno libro conjungimus. Sanctificatio simul includit *renovationem*, quapropter non opus est, ut hanc speciatim pertractemus. Constituemus igitur *duas* tantum *sectiones*, quarum prior *de sanctificatione* & posterior *de bonis operibus* aget.

* *

SECTIO I.

DE SANCTIFICATIONE.

CAPUT I.

DE SANCTIFICATIONE IN GENERE.

Sanctificatio a *regeneratione* valde distinguenda est. In hac induimus justitiam Christi, in illa vero justitiam nostram. De priori Eph. IV, 22. & de posteriori Gal. III, 27. agitur.

Sanctificatio supponit defectum sanctitatis. *Sanctitas* autem per se est attributum divinum, de

de quo in Libro de Deo egimus. Talis sanctitas huc non spectat. In solum enim Deum competit, tanquam ens infinitum.

Sicut autem Deus in nemine εὐδοκεῖν, nec aliquem suæ communionis & beatitudinis participem reddere potest, qui non aliquam sanctitatis ejus conformitatem habet, Lev. XI, 45. c. XIX, 2. Hebr. XII, 14. 1 Petr. I, 15. ita etiam tam angelos, quam homines ad suam imaginem condidit, quæ inprimis in sanctitate consistit, Eph. IV, 24.

Hanc *sanctitatem* homines cum imagine Dei per lapsum Adami amiserunt. Amissa autem hac sanctitate pleni impuritatis, Jes. LXIV, 5. Hiob. XIV, 4. c. XV, 14. c. XXV, 4. adeoque βδελυκτοὶ h. e. abominabiles, & ad quodvis bonum opus ἀδόκιμοι s. inhabiles, facti sunt, Tit. I, 16.

Ut vero Deus iterum εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις accipiat, hominesque ei iterum placeant, Filium suum nobis fecit ἁγιασμὸν, 1 Cor. I, 30. ita, ut sit causa, exemplar, regula & finis nostræ sanctificationis. Per Christum igitur homines iterum sanctificati sunt, 1 Cor. VI, 11. Eph. V, 26.

Sanctitas in genere omni rei, Deo dicatæ, tribuitur. Est vel interna, vel externa.

Interna sanctitas est, quæ inhæret substantiæ, eamque Deo gratam & ad ejus cultum idoneam reddit. Ejusmodi sanctitas adscribitur angelis, Matth. XXV, 31. & regenitis hominibus.

Externa

Externa sanctitas alias vocatur *sanctitas ecclesiastica* & usurpatur de omnibus rebus, quæ a communi usu separantur & Deo consecratæ sunt. Huc pertinent sancta loca, sancta vasa, sanctæ vestes, sancti dies &c.

Hic tantum sermo est de sanctitate interna, qua homines per *sanctificationem* participes fiunt. Hæc actio alias dicitur *renovatio*, quia in sanctificatione *hominis natura*, Rom. XII, 2. Gal. IV, 19. inprimis *cor, spiritusque*, Ezech. XXXVI, 26. 27. Ps. LI, 12. imo *tota substantia* Eph. IV, 23. spiritualiter quasi mutatur & ad imaginem Dei renovatur, 2 Cor. III, 18. Eph. IV, 24.

Nominantur propterea regeniti *novæ creaturæ*, 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15.

CAPUT II.

DE AUCTORE SANCTIFICATIONIS.

Sanctificatio in sacris literis modo *Deo*, modo *homini* tribuitur.

Homini tribuitur ista tam respectu aliorum, quam respectu sui ipsius. Respectu aliorum dicitur e. g. Moses sanctificasse primogenitos, Exod. XIII, 2. & populum, c. XIX, 10. respectu sui ipsius autem jubentur e. g. Israëlitæ, se ipsos sanctificare, Jos. III, 15. Verum omnis hæc sanctificatio idem significat, ac consecratio, quæ ad sanctitatem tantum externam s. ecclesiasticam pertinet.

Internæ

Internæ sanctitatis auctor est solus Deus, utpote qui homines sanctificare dicitur, 1 Thess. V, 23. Phil. I, 6. Hæc sanctificatio, quæ alias etiam *renovatio* vocatur, opus Dei ad extra est, quod propterea toti sacro-sanctæ *Trinitati*, adeoque *Patri*, Joh. XVII, 17. *Filio*, Eph. V, 26. & *Spiritui S.* 1 Cor. XII, 11. Ezech. XXXVI, 27. Gal. V, 22. Eph. III, 16. adscribitur.

Inprimis *Spiritui S.* tribuitur hominum sanctificatio, quia omnia, quæ ad opus salutis humanæ spectant, in se suscepit, quapropter etiam *Spiritus sanctificationis*, Rom. I, 4. *Spiritus gratiæ*, Zach. XII, 10. *Spiritus fidei*, 2 Cor. IV, 13. & *Spiritus renovationis*, Tit. III, 5. appellatur. In regenitis iste tanquam in templis habitat, 1 Cor. III, 16. eosque agit, Rom. VIII, 14. & regit, Gal. V, 18. nec non eorum infirmitatibus auxiliatur, Rom. VIII, 26.

Omnia hæc ad opus sanctificationis pertinent, quod *Spiritus S.* respectu Christi, fide apprehensi, qui sanctitatis nostræ causa & auctor est, Hebr. X, 24. 1 Cor. VI, 11. peragit. Fit autem ab ipso plerumque *mediate*, scilicet per media salutis ordinaria, quæ sunt verbum Dei & sacramenta, quorum prius in ecclesia docetur, posteriora autem in eadem administrantur.

Extraordinario modo interdum etiam sanctificatio fit *immediate*, & quidem non solum in infantibus, sed etiam in adultis, quando improviso bonis cogitationibus & desideriis implentur,

plentur, & ad agendam pœnitentiam subito instigantur, Luc. II, 27.

Quanquam autem sanctificatio & renovatio soli Deo tribuatur, homines tamen omnino ad eam aliquid conferunt, 2 Cor. VII, 1. quia jubentur, se ipsos renovare, Ezech. XVIII, 31. Eph. IV, 23. veterem hominem deponere & novum induere, Col. III, 9. 10. Eph. IV, 22. 24. corda sua justificare, 1 Petr. I, 22. se expurgare, 2 Tim. II, 21. 22. 1 Joh. III, 3. & se sanctificare, 2 Cor. VII, 1. Sed fit hoc non aliter, quam per usum virium gratiæ & quatenus operationibus Spiritus S. non malitiose resistitur.

CAPUT III.

DE MEDIIS SANCTIFICATIONIS.

Jam audivimus, Spiritum S. homines ordinario modo non nisi *mediate* sanctificare.

Media, huc spectantia, sunt verbum Dei & sacramenta, quæ propterea media gratiæ & salutis vocantur.

Verbo Dei adscribuntur omnia *dona gratiæ*, a Spiritu S. proficiscentia, e. g. *fides*, Rom. X, 17. Gal. III, 2. *veritas*, Joh. XVII, 17. 2 Petr. I, 19. Ps. CXIX, 105. *solatium*, Rom. XV, 4. Ps. XIX, 8. Ps. XCIV, 19. Ps. CXIX, 50. 92. *pax & tranquillitas animi*, Jes. LII, 7. c. XLVIII, 18. Joh. XVI, 33. Ps. CXIX, 165. *studium pietatis*, Ps. CXIX, 9. Luc. I, 6. Jac. I, 22-25. *lætitia spi-*

ritualis, Jer. XV, 16. *arma spiritualia*, Eph. VI, 17. 2 Cor. X, 4. *terror conscientiæ*, Jer. XXIII, 19. Hebr. IV, 12. *spiritualis fertilitas*, Luc. VIII, 15. Col. I, 10. *remissio peccatorum*, Luc. XXIV, 47. Joh. XX, 23. *vita æterna*, Rom. I, 16. Jac. I, 21. &c. Hæc omnia ad sanctificationem hominum spectant.

Tam *lex*, quam *evangelium* ad nostram sanctificationem suum conferunt.

Lex per totam vitam regenitis dictat, quæ facienda & omittenda sunt, Ps. I, 2. Luc. X, 26-28. Matth. XXII, 37-40. 1 Tim I, 8. indicatque, quæ justa & injusta sunt & cum voluntate Dei vel conveniunt, vel pugnant, Rom. VII, 7. 22. 25. Jer. XXXI, 33. Gal. V, 16-23.

Evangelium nos non modo ad abnegandum omnem impietatem mundanasque cupiditates, sed etiam ad vivendum sobrie, juste & pie in hac vita instigat, Tit. II, 11. nosque ad ducendam vitam sanctam obligat, Phil. I, 27. Rom. XIII, 13. Luc. I, 74. 75. Inprimis excitat fidem, quæ omnis nostræ sanctitatis fons est, 2 Petr. I, 5-8. 1 Petr. I, 21. 22. eamque in nobis conservat, confirmat & auget. B. Lutherus hinc *in explicatione Symboli apostolici*, ejusque *articuli tertii* ita scripsit: *Spiritus S. per evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, in recta fide sanctificavit & conservavit.*

In *sacramento baptismi* per immersionem veteris hominis s. corruptæ humanæ naturæ, suffocatio & submersio ejus non modo præfiguratur,

sed

sed etiam perficitur. Jure meritoque hinc a Paulo sacramentum hoc *lavacrum renovationis* vocatur, Tit. III, 5. quia in eo a peccatis purificamur, Eph. V, 26. 1 Cor. VI, 11. viresque spirituales accipimus ad submergendum & extinguendum in nobis per quotidianam pœnitentiam veterem Adamum una cum omnibus peccatis & malis concupiscentiis, ut rursus quotidie emergat & resurgat novus homo qui in justitia & puritate coram Deo vivat in æternum.

Sacra cœna etiam medium sanctificationis est, quatenus nempe non modo spiritualiter nos cum Christo unit, Joh. VI, 56. 1 Cor. X, 17. c. XII, 13. sed etiam fidem in nobis confirmat & obsignat, nec non manducando corpus Christi, pro nobis mortui, & bibendo sanguinem ejus, pro peccatis nostris effusi, nos de remissione peccatorum certos, adeoque ad Deum & Christum amandum, eumque sequendum promtos & idoneos reddit.

Uti autem verbum divinum & sacramenta ministris ecclesiæ tanquam dispensatoribus mysteriorum Dei, 1 Cor. IV, 1. concredita sunt, ita *ministerium ecclesiasticum* omnino etiam ad media sanctificationis pertinet. Est vero non medium effectivum, sed tantum instrumentale, 1 Cor. III, 5-9. per quod Spiritus S. suas operationes peragit, quapropter etiam *officium Spiritus* nuncupatur, 2 Cor. III, 6. Paulus hinc se cum matre comparat, quia auditores suos quasi

in utero conceperat & cum doloribus in lucem protulerat, Gal. IV, 19.

CAPUT IV.

DE

SUBJECTO SANCTIFICATIONIS.

Subjectum sanctificationis & renovationis est *homo regenitus*.

Ante regenerationem homo destitutus est viribus gratiæ, quia operationibus Spiritus S. resistit, sine quibus nemo aliquid boni facere potest, 1 Cor. II, 14. c. XII, 11. Gal. V, 22. Eph. V, 9.

Accipitur autem h. l. vox sanctificationis & renovationis in sensu strictiori. Alias enim voces istæ etiam in sensu latiori de actu regenerationis usurpantur, quatenus idem homo, qui renascitur, etiam renovari dicitur. Fit tunc quasi nova creatura, Gal. VI, 15. 2 Cor. V, 17. Eph. II, 10.

Id, quod speciatim in homine sanctificatur aut renovatur, est primario *anima* cum suis facultatibus, secundario vero etiam *corpus* cum suis membris. Paulus omnia comprehendit, optando, ut *Deus pacis nos sanctificet totos, ut integer noster spiritus, animaque & corpus inculpate serventur usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi*, 1 Thess. V, 23.

Quidam ex hoc loco probare volunt, tres dari partes hominis essentiales, quia spiritus & anima

anima a se invicem ita distinguantur, ut quasi singulares hominis partes sint. At per *spiritum* h. l. regenitus homo ipse, quatenus in vera fide versatur & donis Spiritus S. præditus est, per *animam* autem facultates animæ naturales & per *corpus* externa hominis machina & ejus membra intelliguntur.

Hæc omnia in homine regenito renovari & sanctificari debent.

Spiritus hominis regeniti sanctificatur, quando dona spiritualia f. fructus fidei & Spiritus S. Gal. V, 22. Eph. V, 9. Phil. I, 11. in eo crescunt & augentur, Joh. XV, 8. 1 Cor. I, 5. Col. I, 11. Ps. XCII, 13. Eph. IV, 15. nec non corroborantur & confirmantur, 1 Petr. V, 10. Eph. III, 16. c. VI, 10. 1 Cor. XVI, 13. In Scriptura S. hæc sanctificationis species describitur per οἰκοδομίαν f. *ædificationem*, 1 Tim. I, 4. 1 Cor. III, 9. quo inprimis spectant loca hæc: 1 Cor. III, 10-17. Act. IX, 31. Eph. II, 20-22. 1 Petr. II, 5-8. 1 Cor. VI, 19. 20. 2 Cor. VI, 16. 17.

Hæc ædificatio spiritualis supponit sanctificationem animæ & corporis.

Sanctificatio *animæ* fit, respectu facultatum ejus, quæ sunt *intellectus*, qui illuminatur f. cognitione veritatis donatur, *voluntas*, quæ suppressis malis cupiditatibus bonis desideriis & inclinationibus ad perficiendum, quæ Deus præcepit, impletur, & *appetitus sensitivus*, qui coercetur & ita frenatur, ut cancellis suis non

excedat, sed ad Dei verbum & voluntatem se conformet, Rom. VI, 12. Gal. V, 24.

Corpus sanctificatur, quatenus membra ejus, quæ quasi animæ sanctificatæ ad obeundas ejus actiones necessaria instrumenta sunt, non aliter usurpantur, quam ad gloriam Dei & salutem hominum. Huc spectat hortatio Pauli, ut corpora nostra in hostiam vivam, sanctam & acceptam Deo sistamus, Rom. XII, 1. Vocantur propterea *corpora regenitorum* non solum *membra Christi*, sed etiam *templa Spiritus S.* 1 Cor. VI, 15. 19. Jubemur hinc etiam, carnem nostram crucifigere, Gal. V, 24. membra non dare in arma nequitiæ, Rom. VI, 13. nec carnis s. corporis curam habere ad concupiscentiam, Rom. XIII, 14.

CAPUT V.

DE FORMA SANCTIFICATIONIS.

Hæc consistit in reali intrinsecaque hominis regeniti *mutatione*, quam Paulus μεταμόρφωσιν s. *transformationem*, Rom. XII, 2. 2 Cor. III, 18. nominat. Huc spectat etiam locus Gal. IV, 19. ubi Paulus dicit, se rursus parturire, ἄχρις οὗ μορφωθῇ ὁ Χριστὸς in Galatis, h. e. *usque dum formetur Christus in iis.*

Intelligenda est hæc intrinseca hominis regeniti mutatio modo *transitive*, quatenus Deus in nobis sanctos motus & actiones producit, modo

modo *intransitive*, quatenus homines se ipsos renovare dicuntur.

In hac transformatione hominis regeniti *duo* notandi sunt *termini*, scilicet terminus *a quo* & terminus *ad quem*.

Terminus a quo est id, quod relinqui & deseri debet in renovatione & sanctificatione. Hoc est omne, quod a corrupta natura, quæ post conversionem non cessat, Rom. VII, 14-25. proficiscitur. Huc spectat non modo defectus virium ad cognoscenda & consequenda spiritualia bona, sed etiam proclivitas facultatum animæ ad quævis mala, Gal. V, 17. & ipsa prava concupiscentia, Rom. VII, 7. 8.

Hanc *concupiscentiam* in regenitis vere & proprie peccatum esse, negant Pontificii, dicentes, eam tantum metonymice, quatenus a peccato sit & ad peccandum instiget, peccatum nominari. Refutari possunt ex Rom. VII, 7. 14. 18. 20. Jac. I, 15. Opponunt quidem locum Rom. VIII, 1. ubi tamen non dicitur, in renatis nil damnabile, sed potius nullum *κατάκριμα* h. e. *nullam damnationem* esse.

Pravitas in sanctificatione abolenda vocatur alias 1) *homo vetus*, Eph. IV, 22. non quidem respectu substantiæ, sed respectu qualitatum vitiosarum; 2) *caro cum concupiscentiis suis*, Gal. V, 24. h. e. id, quod in homine post lapsum per carnalem generationem propagatur, & eum a spiritualibus ad sensibilia ducit, & 3) *corpus peccati*, h. e. complexus peccatorum,

 velut

velut partium f. membrorum, Rom. VI, 6. unde etiam *membra terrestria* appellantur variæ peccatorum species, Col. III, 5.

Hæc pravitas in sanctificatione f. renovatione aboletur, non quidem penitus & radicitus, quod in hac vita fieri nequit, Rom. VII, 24. sed tantum *secundum quid*, h. e. pro statu hujus vitæ, quatenus minuitur, infirmatur & opprimitur. Hoc vocatur, *veterem hominem deponere*, Eph. IV, 22. *exuere*, Col. III, 6. *crucifigere*, Rom. VI, 6. Gal. V, 24. & *occidere* Rom VIII, 13. Col. III, 5. Spectat huc tota doctrina de abnegatione sui ipsius & mortificatione carnis, quæ proprie ad Theologiam Moralem pertinet.

Terminus ad quem, f. id, quod in renovatione & sanctificatione acquiritur, sunt non solum *majores spirituales vires*, sed etiam *majora spiritualia dona*, & quidem 1) *respectu intellectus* plenior rerum spiritualium cognitio, Eph. IV, 13. Phil. I, 9. Col. I, 11. c. III, 10. 2) *respectu voluntatis* major & perfectior sanctitas f. plenior complexus virtutum christianarum, quæ per *veram justitiam & sanctitatem*, Eph. IV, 24. indicantur, quarum syllabum videre licet, Gal. V, 22 1 Tim. VI, 11. 2 Tim. II, 22. 2 Petr. I, 5-8. & denique 3) *respectu appetitus sensitivi* promtius & constantius obsequium, facultatibus animæ sanctificatæ scilicet intellectui & voluntati præstandum, Rom. VI, 12.

Nominatur hæc mutata regeniti hominis forma *novus homo*, Eph. IV, 24. non quidem

in

in ſenſu proprio, ſed *ſecundum quid*, h. e. pro ſtatu hujus vitæ, quatenus nempe per novum hominem imaginis divinæ, primis hominibus collatæ, per lapſum vero amiſſæ, nova facies, eique ſimilis quaſi qualitas, uti B. BAIERUS *in Compend. p. 597.* ait, intelligitur.

Hunc *novum hominem* non melius cognoſcere poſſumus, quam ex verbis Pauli Eph. IV, 13-16. ubi iſtum nominat virum perfectum, qui εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριςοῦ, h. e. ad virilem ſtaturam Chriſti pervenit. B. AEGID. HUNNII paraphraſis hujus loci egregie huc quadrat. Eſt hujus tenoris: *Quemadmodum ipſe Dominus ab infantia ſua annis progreſſus quosdam fecit, corroboratus Spiritu, proficiens ſapientia, ætate & gratia apud Deum & homines, donec ab uno ætatis gradu ad alterum in plenam ætatem virilem ſuam proceſſit: ſic & Chriſtiani ſpiritus incremento in fide & agnitione Chriſti in virum perfectum proficiunt. Quod non de omnimoda perfectione Paulus intelligit, quæ in altero expectatur ſeculo: ſed hæc tantum notatur perfectio, qua jactis fidei radicibus homo neque hæreticorum aſtutiis, neque ullis Satanæ fraudibus atque dolis a fundamento ſalutis Jeſu Chriſti dimoveri poteſt.*

Hoc πλήρωμα τοῦ Χριςοῦ, Eph. IV, 13. Paulus alibi πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ h. e. *omnem abundantiam Dei*, quo impleantur veri chriſtiani, appellat, Eph. III, 19. Diſtinguendum autem eſt hoc πλήρωμα τοῦ Θεοῦ & τοῦ Χριςοῦ a πληρώματι τῆς Θεότητος, quod in Chriſto ipſo

 habitat

habitat & ipsam Deitatem ejus significat, Col. I, 19. c. II, 9.

In hac donorum plenitudine & abundantia Christi consistit christianorum *sanctitas*, quæ quidem non perfecta est, 1 Cor. XIII, 10. Jac. III, 2. ex gratia tamen a Deo perfecta habetur, 2 Tim. III, 17. & quidem respectu Christi, vera fide apprehensi, Col. II, 10. Eph. IV, 13. Hoc regeniti in humilitate cordis constanter cognoscunt & simul ad majorem perfectionem quotidie adspirant. Interim in Scriptura S. nomen *sanctorum* gerunt, Deut. XXXIII, 3. 1 Sam. II, 9. Ps. IV, 4. Ps. XCVII, 10. Prov. II, 8. Matth. XXVII, 53. 1 Cor. III, 17. c. VI, 2. 11.

CAPUT VI.
DE
STUDIO SANCTIFICATIONIS.

Sanctificatio non uno actu absolvitur. Perpetuum enim requirit studium & exercitium. Hinc Paulus Timotheum adhortatur, ut se ipsum instar athletæ exerceat ad pietatem, 1 Tim. IV, 7. Comparat propterea christianos cum iis, qui ad certum præmium currunt, 1 Cor. IX, 24. sq. Ipse se nobis ad imitandum suum exemplum sistit, Phil. III, 12-14. c. IV, 8. 9.

In via christianismi persistere, idem est, ac in eadem regredi. Symbolum Caroli M. semper hic valet: *Plus ultra.* Paulus hinc recte scripsit: *Qui stare se putat, caveat, ne cadat*, 1 Cor. X, 12.

Homo

Homo regenitus igitur semper ad majorem perfectionem habitualem tendere debet. Appellari hoc potest *studium sanctificationis s. exercitium pietatis & bonorum operum.* Perpendemus istud tanquam 1) quotidianum, 2) molestum, 3) imperfectum & 4) luctæ carnis & spiritus obnoxium.

Studium sanctificationis 1) *quotidianum* esse debet. Vocatur propterea in *Catechismo* B. Lutheri *p. 377.* quotidiana pœnitentia, quia christianus conscientiam suam quotidie examinare, agnitorum peccatorum pœnitere, eadem deprecari, ab iis desistere, remissionem peccatorum quærere, fœdus gratiæ restaurare, se ipsum renovare, vires spirituales augere, in cursu pietatis pergere bonisque operibus ditescere debet, & quidem singulis diebus. Quoties precibus suis ad Deum appropinquat, inprimis mane, dum e lecto surgit, & vesperi, dum cubitum it, Deum in oratione dominica implorare debet, ut ei remittat peccatorum debita, eumque in statu gratiæ conservet.

Vocatur hoc *quotidiana renovatio fœderis baptismalis* & *quotidiana pœnitentia s. pœnitentia stantium*, pœnitentiæ lapsorum opposita, imo *quotidiana mortificatio*, quia vetus homo sic cum omnibus peccatis & malis cupiditatibus quotidie submergi & mortificari, rursusque novus homo emergere & resurgere debet, qui in novitate vitæ ambulat, Rom. VI, 3 - 6.

Est

Est autem studium sanctificationis II) *valde molestum*, & quidem 1) propter carnis repugnantiam, 2) propter virium debilitatem, 3) propter mundi amorem, 4) propter diaboli tentationem & 5) propter varia impedimenta, quæ regenitis in sanctificationis studio quotidie obveniunt. Inde oriuntur sanctorum querelæ, suspiria & labores. Christus propterea christianos in pietatis studio versantes comparat cum operariis in vinea, qui perferunt totius diei onus & æstum, Matth. XX, 12. Ingemiscunt ideo & valde adspirant ad quietem & liberationem a δουλεία φθορᾶς, h. e. a servitute, qua pii in hoc mundo rebus corruptibilibus subjecti esse coguntur, Rom. VIII, 21; 2 Cor. V, 2. 4. Cupiunt hinc cum Paulo dissolvi, Phil. I, 23. & desiderant liberari a corpore mortis, Rom. VII, 24. Hujus liberationis autem non prius participes fiunt, quam in beata morte. Spiritus S. tunc de iis testatur, quod quiescant ab omni labore, eorumque opera illos sequantur in æternitatem, Apoc. XIV, 13.

Est studium sanctificationis s. pietatis III) *admodum imperfectum*. Defectus enim propriarum virium naturalisque conatus resistendi gratiæ Spiritus S. opus sanctificationis in nobis nunquam perfectum fieri sinit, Jac. III, 2. Luc. VI, 40. Ad perfectionem quidem adspirare debemus, Matth. V, 25. 2 Tim. III, 17. Eph. IV, 13. Matth. XIX, 21. sed eam nunquam

quam in hac vita impetramus. Paulus hinc omnia quæ ad hominis regeniti sanctificationem spectant, τὸ ἐκ μέρους vocat, quod finem habiturum sit, quando τὸ τέλειον veniat, 1 Cor. XIII, 10. Tribuitur quidem bonis christianis aliqua perfectio, 1 Cor. II, 6. Phil. III, 15. at non est perfectio absolute sic dicta & omnibus numeris absoluta, sed secundum quid talis & relativa, quatenus scilicet propius ad divinas perfectiones accedit, quam plerumque fieri solet.

Est denique studium sanctificationis IV) *continuæ luctæ carnis & Spiritus obnoxium.* De hac lucta agit Paulus Gal. V, 17. ubi ita loquitur: *caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem: hæc repugnant sibi invicem, ut non faciamus, quod velimus.* Idem est ac dixisset: Peccatum nobis inhærens reluctatur adversus novas illas vires, quas Spiritus S. in conversione & regeneratione nobis contulit, ita, ut bona opera non perficere possimus, quæ intendimus. Inde apparet, superesse adhuc in *intellectu* aliquam pronitatem ad temeraria judicia de rebus spiritualibus, in *voluntate* vero inclinationem ad bona caduca, spiritualibus præferenda, & in *appetitu sensitivo* propensionem ad bona sensibus grata, sed simul prohibita. Hoc est, de quo ipse Paulus tam anxie conquestus est, Rom. VII, 15-25.

CAPUT

CAPUT VII.

DE NECESSITATE ET EFFECTU SANCTIFICATIONIS.

Necessaria omnino est sanctificatio, quia sine ea nemo Deum videbit, Hebr. XII, 14.

Hoc autem non ita intelligendum est, quasi sanctificatio sit causa salutis nostræ æternæ. Nam hæc salus unice a gratia divina dependet, quatenus vera fide apprehenditur. Sola itaque fide salvamur, 1 Petr. I, 5. Hebr. XI, 33. 1 Joh. V, 4.

Sanctificatio igitur non *necessaria* est propter salutem æternam, sed 1) ex mandato divino, 2) ex debito nostro & 3) ob periculum animæ.

Ex mandato divino necessaria est, quia Deus ab omnibus hominibus eam poscit, 1 Thess. IV, 3. Lev. XIX, 2. nosque ad vitæ sanctimoniam multis cohortationibus incitat, Eph. IV. Col. III. Ezech. XVIII.

Ex debito sanctificationi incumbendum est, quia ad præstandam sanctitatem non modo creati, Eph. IV, 24. sed etiam redempti, Luc. I, 75. & vocati sumus, 1 Thess. IV, 6.

Ob periculum animæ denique necessaria est sanctificatio, quia alias fidem amittimus & iterum in servitutem diaboli & peccati ruimus. Perquam periculosum itaque est, studium sanctificationis & renovationis negligere, aut intermittere, Rom. VIII, 13. Joh. XV, 2.

Sancti-

Sanctificationis *fructus* & *effectus* est *pietas* & *sanctitas*. Hinc in scriptura S. omnes, qui in studio sanctificationis versantur, *pii* & *sancti* appellantur.

Sancti dicuntur non in sensu legali, sed evangelico. In priori sensu nemo sanctus vocari potest, quia omnes infecti sumus peccato, quod nos incapaces reddit ad satisfaciendum voluntati Dei in lege præscriptæ. In posteriori vero sensu sancti nominari possunt, qui vera fide Christum apprehendunt, quippe qui nobis factus est ἁγιασμὸς s. sanctificatio, 1 Cor. I, 30. Joh. XVII, 19. Hebr. II, 11. Fidelium igitur sanctitas magis aliena & imputata, quam propria & inhæsiva dicenda est.

Pietas s. εὐσέβεια proprie habitum significat, Deum rite colendi. In sensu latiori idem ac vitæ sanctimoniam denotat, quia timor Dei vitæ sanctæ principium est. *Pii* itaque vocantur omnes, qui ex timore Dei vitam suam ad Dei voluntatem componere student. B. Lutherus *in bibliis Germanicis* eos nominat Fromme, quales fuerunt Noachus, Gen. VI, 9. Jobus, Hiob. I, 1. c. II, 3. Zacharias & Elisabetha, Luc. I, 6. Simeon, Luc. II, 25. &c.

Pietas hæc πρὸς πάντα ὠφέλιμος h. e. *ad omnia utilis* esse & promissionem hujus & futuræ vitæ habere, 1 Tim. IV, 8. imo magnum lucrum ferre dicitur, 1 Tim. VI, 6.

Recte hinc B. Balduinus *in Comment. suo* ad priorem locum hæc addidit verba: *Deum*

colere

colere & timere, in mandatis ejus ambulare & propter ipsum proximo inservire, hoc omni tempore & in omnibus usum habet. Huic studio pietatis adjuncta est promissio amplissima praesentium & futurorum beneficiorum in hac & altera vita.

Plura de hac doctrina ad Theologiam moralem spectant.

* *

SECTIO II.

DE BONIS OPERIBUS.

CAPUT I.

DE BONIS OPERIBUS IN GENERE.

Bona opera sunt effectus bonae mentis.

Mens s. *cor* hominis est fons non modo omnium cogitationum, sed etiam omnium actionum, Matth. XV, 19. c. XII, 35.

Cujus naturae igitur hominis cor & mens est, ejus naturae etiam sunt illius cogitationis, verba & actiones.

Jam vero nullus homo peccati expers est, quia in cujuslibet carne & corde nil boni habitat, Rom. VII, 18. Unde igitur aliquid boni veniat, ubi nil boni residet?

Facile hinc cognosci licet, proprie non dari *bona opera* apud homines. Bona opera enim sunt

ſunt effectus boni cordis & bonæ mentis, qua omnes deſtituti ſumus. Nemo ideo coram Deo de ulla re gloriari poteſt, Rom. III, 23.

Valde igitur errant *Pontificii*, quando bona opera nimis extollunt, iisque meritum tribuunt, imo ſe *operibus ſupererogationis* ſ. ejusmodi bonis operibus jactant, quæ Deus non præcipit, ſed ultra ejus voluntatem quaſi fiunt. Scriptura S. tale ſtudium bonorum operum ἐθελοθρησκείαν nominat, h. e. *cultum Dei ex arbitrio confictum*, Col. II, 23. Quid vero de ejusmodi operibus electitiis judicandum ſit, infra percipiemus.

Non alia dantur *bona opera*, quam quæ a regenitis inſtinctu Spiritus S. juxta verbum divinum ex vera fide proficiſcuntur. Non itaque ex naturalibus viribus fiunt.

Vocantur *fructus* tam *fidei*, 2 Petr. I, 5. 6. Gal. V, 6. quam *Spiritus S.* Gal. V, 22. Eph. V, 6. Hinc non dantur in ethnicis, nec in irregenitis, nec in hypocritis. Quicquid enim non ex fide fit, peccatum eſt, Rom. XIV, 23.

Inde colligitur, bona opera peccatis mixta eſſe, ſcilicet peccatis imbecillitatis, quæ regenitus non evitare poteſt. Attamen ſi regenitus in ſtatu regenerationis verſatur, ejusmodi peccata ei non imputantur.

Homo regenitus igitur per ſua bona opera nil apud Deum mereri poteſt, quia opera ejus nec perfecte bona ſunt, nec ex propriis viribus fiunt.

Quare, qui salvantur, plus aut minus boni in hac vita fecisse possunt. Sufficit, si ex fide aliquid factum est & quantum per Dei gratiam licuit. Cui enim multum datum est, de eo etiam multum poscitur, Luc. XII, 48.

Definitio bonorum operum hæc est: Sunt actiones hominum regenitorum cum lege divina convenientes & ex vera fide profectæ, quibus illi suum erga Deum amorem, animumque gratum, ac studium promovendi divinam gloriam demonstrant.

CAPUT II.

DE SUBJECTO BONORUM OPERUM.

Subjectum bonorum operum sunt soli *regeniti*, qui veram fidem habent & a Spiritu S. se regere & ducere sinunt, Rom. VIII, 14. Gal. V, 18. Joh. XVI, 13. Luc. II, 23. Recte hinc *fructus Spiritus S.* bona opera nominantur, Gal. V, 22.

Quicunque igitur vera fide caret & Spiritui S. non obtemperat, non bona opera facere potest.

Inde judicari licet, quid de *operibus ethnicorum* aliorumque *irregenitorum* hominum habendum sit? Sunt per se nil nisi peccata, etsi certo modo cum externa lege conveniant & a Deo in Scriptura S. interdum laudentur.

Ethnici hinc expresse dicuntur facere τὰ τοῦ νόμου, h. e. ea, quæ legis sunt, Rom. II, 14. 15.

sed

ſed hoc non idem eſt, ac τὸν νόμον ſ. legem facere. Remanſit enim homini poſt lapſum ſenſus boni & mali, nec non facultas judicandi de actionum moralitate, quæ *conſcientia* vocari ſolet.

Reſpectu hujus ſenſus judiciique naturalis homo irregenitus interdum incitatur, ad faciendum aliquid, quod cum lege & voluntate Dei convenit, & ab eo abſtinendum, quod Deus in lege interdixit. At non propterea ejusmodi *opera* vere *bona* appellari merentur, quia talis homo per ea legi divinæ non ſatisfacere poteſt, etſi ejusmodi opera legi ſecundum externam literam quodammodo conformia videantur. Si ipſa opera regenitorum non per ſe bona ſunt, ſed tantum, quatenus ex fide & impulſu Spiritus S. fiunt, multo minus opera irregenitorum ita dici poſſunt.

In *Apologia Aug. Conf. Art. XVIII. p. 218.* de hiſce operibus confeſſores noſtri ita loquuntur: *Poteſt humana voluntas aliquo modo efficere juſtitiam civilem ſ. juſtitiam operum: poteſt loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum, externo opere obedire magiſtratibus, parentibus, poteſt continere manus a cæde, ab adulterio, a furto* &c. Addi poſſunt eleemoſynæ & opera miſericordiæ erga proximum. At plerumque fiunt omnia hæc opera vel ex inſtinctu naturali, vel ex ſtudio gloriæ, vel lucri cauſa. Sunt itaque non veræ virtutes, ſed tantum ſimulachra virtutum, aut, uti

M 2 Augu-

Auguſtinus loquitur, *ſplendida* ſ. glorioſa *peccata.*

Si *bona opera* vocantur, fit non in ſenſu Theologico, ſed in ſenſu civili & philoſophico.

B. Chemnitius *in Exam. Conc. Trid. P. I. p. 200.* ejusmodi opera dixit *ſuo genere honeſta & bona*, & B. Stegmannus *in Photin. Diſp. XL. p. 647. moraliter aliquo modo bona, non vero ſpiritualiter bona.*

Interim non negandum eſt, Deum in verbo ſuo interdum *opera irregenitorum* non modo laudaſſe, ſed etiam præmiis donaviſſe, ut exemplum regis Jehu teſtatur, 2 Reg. X, 30. Verum laudat Deus ejusmodi opera non abſolute, ſed tantum reſpective, quatenus certo fini ejus conſentanea fuerunt. *Præmia* vero, quæ Deus propterea diſtribuit, temporalia ſunt, & ex *μακροθυμία* ejus proficiſcuntur, ut eo magis magnum hunc Benefactorem quærant & colant.

Merentur hic legi, quæ B. Jo. Gottlob Pfeifferus *de convenientia & differentia virtutum naturalium & ſupernaturalium*, Lipſiæ an. 1718. & 1727. publice diſputavit.

CAPUT III.

DE NORMA ET FORMA BONORUM OPERUM.

Normam hic dicimus id, ſecundum quod aliquid eſt, aut judicatur. Datur hinc quaſi *duplex*

duplex norma, constitutiva & regulativa s. judicativa.

Sicut igitur ad judicandum peccatum norma *lex divina* est, ad quam actio, num bona vel mala sit, judicatur, ita etiam lex norma bonorum operum est. Monstrat enim, quod cum voluntate Dei convenit. Et in hac convenientia consistit *forma* bonorum operum.

Lex Dei itaque est *norma bonorum operum* tam constitutiva quam regulativa s. judicativa. Præcipit enim omnia officia, quæ juxta voluntatem divinam Deo, proximo & nobismet ipsis debemus. Omnia hæc officia comprehenduntur *amore*, qui propterea summa totius legis moralis dicitur, 1 Tim. I, 5. Rom. XIII, 10. Gal. V, 14. Matth. XXII, 37-40. Marc. XII, 30-33. Luc. X, 27.

Quicquid igitur ex sincero amore Deo & proximo secundum divinam legem præstatur, *bonum opus* est.

Præter legem *conscientia* norma bonorum operum vocari potest, non quidem primaria, sed secundaria.

Qui enim revelatam Dei legem non habet, ei *conscientia* lex est, secundum quam vivere debet, Rom. II, 14. 15.

Conscientia boni christiani per cognitam legem divinam egregie emendata & multo firmior reddita est. Solet hinc a quibusdam Theologis *norma* bonorum operum *normata*, lex vero *norma normans* dici.

Sicut autem nemo propter naturalem infirmitatem legi divinæ satisfacere potest, Exod. XXXIV, 7. Ps. CXXX, 3. Ps. CXLIII, 2. Jes. LXIV, 6. Rom VII, 14. 23. 24. 1 Cor. IV, 4. ita etiam non dantur opera perfecte bona. Interim lex & conscientia norma nostra manent, secundum quam actiones nostras instituere debemus.

Qui credens in Christum secundum utramque præstat, quantum per Dei gratiam ii licet, talis habetur, qui legem & præcepta divina perfecte observet. Hac de causa etiam Deus homines ad observandum, quod lex & verbum ejus postulat, tam severe hortatur, Eccl. XII, 13. Matth. XXVIII, 20. Joh. XIV, 15. 1 Joh. II, 3. 4.

Sunt, qui *fidem* normam bonorum operum nominant, quæ tamen potius fons eorum est, quia vires tantum suppeditat ad vivendum secundum legem Dei.

Locus 1 Tim. I, 9. 10. hic non obstat. Agit enim de lege Dei, non quatenus nostrarum actionum norma est, sed quatenus Deus secundum eam aliquando homines judicabit, Matth. XXV, 35 seq. In hoc sensu omnino non justo & fideli homini lex data est, sed tantum impiis & infidelibus.

Forma bonorum operum consistit in conformitate cum lege Dei. Quicquid cum lege Dei pugnat, peccatum, quicquid autem cum ea convenit, bonum opus est. Licet vero opera fidelium non accurate cum lege divina conveniant,

veniant, Deo tamen placent, quatenus ex vera fide fiunt, Jer. V, 3. Rom. III, 28. c. XIV, 23. Hebr. XI, 6.

CAPUT IV.
DE
VALORE BONORUM OPERUM.

Bona opera humana coram Deo *nullum valorem* habent, quia imperfectione laborant.

Propter peccatum, quod etiam regenitis hominibus pertinaciter inhæret, caro semper luctatur adversus spiritum, ita ut ne quidem faciamus, quæ volumus, Gal. V, 17. Hinc in ipsis bonis actionibus peccamus, dum eas non cum debita promtitudine & alacritate, sed segnius facimus, aut saltem intercurrente φιλαυτίᾳ inordinata iis maculam adspergimus.

Nullum igitur bona opera *meritum* habent apud Deum. Si meritum iis tribuere velimus, ista non modo 1) perfecte bona esse, & 2) propriis viribus nec 3) ex debito fieri, sed etiam 3) proportionem cum bono acquirendo habere deberent. Cum vero omnia bona opera viribus gratiæ divinæ peragantur, 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13. nosque ad præstanda illa obligati simus, Luc. XVII, 10. nec cum gloria vitæ æternæ, quam per ea acquirere merentes deberent, aliquam proportionem habeant, iis neutiquam meritum aliquod aut valor tribui potest.

Nostra bona opera ne quidem *ex merito Christi meritoria* fiunt, quia non ut causæ sociæ meriti hujus consideranda sunt, alias ex redemptione Christi alia quasi oriatur redemptio. Si enim Christus nobis virtutem aliquid merendi acquisivisset, non immediate nobis salutem acquisivisset, Joh. X, 28. Hebr. IX, 15.

Pontificii magnum bonis operibus tribuunt valorem, uti supra in *Libro de Justificatione cap. IV.* ostendimus. Solent propterea ista pœnitentibus peccatoribus ad satisfaciendum Deo imponere & sic dictam satisfactionem operis inter genuinas pœnitentiæ partes numerare.

Sunt autem *Pontificii* non unius ejusdemque sententiæ circa doctrinam de merito bonorum operum. Distinguuntur enim inter *Scotistas* & *Thomistas*.

Scotistæ docent, opera fidelium non quidem per se, attamen ex pacto, meritoria esse, quam doctrinam vero Scriptura S. ignorat.

Thomistæ autem contra expressa verba Pauli Eph. II, 8. 9. Rom. IX, 12. c. XI, 6. perhibent, bona opera per se & ex pacto habere meritum.

CAPUT V.
DE
NECESSITATE BONORUM OPERUM.

Multum in ecclesia de hac *quæstione* olim disputatum est, sed quæstio hæc ita comparata

parata eſt, ut diverſo reſpectu & affirmari & negari queat.

Neganda omnino eſt quæſtio de neceſſitate bonorum operum, ſi de ea, quæ ad *ſalutem æternam* dicitur, ſermo eſt. Cum enim opera noſtra, ut in præcedenti capite docuimus, nullum coram Deo valorem aut meritum habeant, neutiquam quoque neceſſaria dici poſſunt ad ſalutem æternam.

Inter noſtrates, in primis *Georgius Major* ſententiam de neceſſitate bonorum operum ad æternam ſalutem propugnavit: ſed ab aliis ſatis ſuperque refutatus eſt. Ex his autem aliqui in alterum extremum inciderunt, quando bona opera vel cum *Andrea Muſculo* in hominum libertate poſuerunt, vel cum *Nicolao Amsdorffio* ad ſalutem æternam pernicioſa eſſe docuerunt. Agit de hac controverſia *Formula Concordiæ in Lib. IV. de bonis operibus.*

Sunt bona opera omnino *neceſſaria* ex mandato Dei & quia ad officia chriſtianiſmi pertinent, Luc. I, 74. 75. c. XVII, 10. Eph. IV, 22 ſq. Rom. VIII, 12. 13. c. XIII, 5. 8. 1 Theſſ. IV, 3-7. Joh. XV, 12.

Officia chriſtianiſmi ſpectant ad Deum, ad proximum & ad noſmet ipſos.

Reſpectu Dei bona opera neceſſaria ſunt, quia Deus nos ſibi creatione, redemptione, regeneratione & adoptione ſua obligavit ad præſtandum, quod cum ejus voluntate convenit, Mal. I, 6. Eph. II, 10. Tit. II, 11. 12. Per bona

 opera

opera eum honoramus, Matth. V, 16. 1 Petr. II, 12. Rom. II, 24. Tit. II, 5. & per eadem Filium ejus imitamur, Eph. V, 1. 2. Matth. XI, 29. 1 Petr. II, 12. 21-23.

Respectu proximi bona opera necessaria sunt, quia ei officia nostra præstare, Rom. XII, 4 sq. 1 Cor. XII, 14 sq. ejus miseram molestamque vitam levare, Gal. VI, 2 sq. & in omnibus calamitatibus & periculis ope consilioque istum adjuvare, nec non bonum ei exemplum præbere, Phil. II, 15. debemus.

Respectu nostri bona opera necessaria sunt, quia per ea vocationem & electionem nostram firmam facere possumus, 2 Petr. I, 10. Hoc fit, quando ex operibus nostris de nostra fide, & ex fide de nostra vocatione & electione ad vitam æternam certiores reddimur. Cavendum etiam est, ne male agendo fidem expellamus, aut Spiritum S. contristemus, vitamque æternam amittamus, 1 Tim. I, 19. Eph. IV, 30. Rom. VIII, 13. studendum potius est, ut præmia pietatis nobis promissa consequamur, 1 Tim. IV, 8.

In summa: *bona opera christianis necessaria sunt* 1) ad præstanda officia christianismi, 2) ad glorificandum Deum, 3) ad imitandum Christum, & 4) ad demonstrandam fidem, Jac. II, 18. neutiquam vero ad consequendam vitam æternam.

LIBER

LIBER XII.

DE VERBO DEI.

PROLEGOMENA

DE

VERBO DEI IN GENERE.

Verbum Dei & scriptura S. inter se differunt ut materiale & formale, ut genus & species, & ut contentum & continens.

Verbum Dei in genere indicat omne id, quod Deus hominibus revelavit vel mediate vel immediate, vel ore vel calamo. Exprimit mentem & voluntatem Dei, de qua alias nil nobis constet, nisi Deus id per verbum suum revelasset.

Quatenus *verbum hoc* literis consignatum & ad certos libros redactum est, vocatur *Scriptura S.* quatenus vero continet mentem & voluntatem Dei, *verbum Dei in genere* nuncupatur.

Est autem *verbum Dei*, qua tale, neutiquam distinguendum in *internum* & *externum*, quia non aliud datur verbum Dei, proprie sic dictum, quam quod mentem & voluntatem Dei literis & verbis ita exprimit, ut homines ejus sensum percipere queant.

Fanaticorum igitur sic dictum *verbum Dei internum* est non-ens, ab iis hac de causa excogita-

gitatum, ut sua falsa dogmata, quæ ex somniis & inspirationibus suis hauserunt, eo magis pro divinitus revelatis venditent.

Pari passu quasi ambulat *Pontificiorum* verbum Dei ἄγραφον, quod a verbo ἐγγράφω distinguunt. Intelligunt per istud suas traditiones & decreta Pontificis M. Sed in hoc sensu verbum Dei ἄγραφον rejiciendum est.

Nititur autem verbo Dei *omnis* nostra *salus*. Est medium gratiæ, quo Spiritus S. omnes suas sanctas operationes in nobis perficit, 1 Thess. II, 13. 1 Cor. II, 4. 5. Habet virtutem illuminandi, Ps. XIX, 9. Ps. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. regenerandi, 1 Petr. I, 23. convertendi, Act. II, 37. c. VIII, 35. 36. c. XVI, 14. & salvificandi, Jac I, 21. 1 Cor. I, 21. c. XV, 2.

Nemo præstantiam verbi Dei melius ostendit, quam David Psalm CXIX. & Siracides c. XXIV, 4-46.

De excellentissima ejus *efficacia* prolixe egimus in *Libro de scriptura S. c. 15. p. 62 sq.* & supra in *Libr. de Regeneratione c. 4.* Nolumus ideo hic ea, quæ ibi diximus, repetere.

Duo inprimis verbum Dei hominibus injungit, 1) Deum diligere & 2) in Christum credere. *Duæ* hinc etiam dantur *Partes verbi divini*, scilicet *Lex* & *Evangelium*. *Lex* Deum diligere & *Evangelium* in Christum credere docet. De utroque singulatim acturi sumus & quidem in *Sectione I. de Lege* & in *Sectione II. de Evangelio.*

SECTIO

* *

SECTIO I.

DE LEGE.

CAPUT I.

DE SUMMO LEGISLATORE.

Quilibet dominus a ſuis ſubditis obedientiam poſcit. Vult, ut ad ſuam voluntatem vivatur. Hæc vero, ut iis cognita ſit, *leges* ferre ſolet, quibus continetur, quod ei placeat aut diſpliceat.

Tali modo etiam *Deus*, ſummus Dominus, *legem* tulit, ut hominibus ejus voluntas innoteſcat. In hac lege patefactum eſt, quid facere, aut omittere debeant homines, ſi Deo placere cupiunt, Mich. VI, 8. Rom. XII, 2. Eph. V, 17.

Aliquo modo Deus legem ſuam jam *cordi* hominum inſcripſit, Rom. II, 15. ſed per lapſum in eo iterum ita deleta eſt, ut de illa paucæ tantum remanſerint reliquiæ, quæ adhuc quaſi in conſcientia latent. Neceſſarium hinc fuit, literis legem mandare, ut inter omnes conſtet.

Locus promulgationis erat *mons* in Arabia Petræa valde magnus & ſterilis, cujus apices vocabantur *Horeb* & *Sinai*, Exod. XIX, 11. 18. 20. Gal. IV, 24. 25.

Promulgatio ipſa fiebat ſolenniſſime, Exod. XIX, 9 ſq. & cum terribilibus circumſtantiis,

Exod.

Exod. XIX, 16. c. XX. 18. quæ hominibus timorem incutere debebant, Exod. XX, 20. Ipse Moses iis perterrebatur, Hebr. XII, 21.

Legislator erat ipse *Deus*, Exod. XX, 1. cap. XXIV, 12. c. XXXII, 16. c. XXXIV, 1. & inprimis *Filius* ejus, Hebr. XII, 25. 26. Act. VII, 38. *Interpres* vero fuit *Moses*, Exod. XIX, 3 seq. c. XXXIII, 11. c. XXXIV, 1. 2. 27 seq. Deut. V, 5. 27. 31. Joh. I, 17. Act. VII, 38. Gal. III, 19. cujus respectu plerumque ipsa lex in sacris literis *lex Mosis s. Mosaica* nuncupatur, *Moses* ipse vero apud Judæos propterea auctoritatem legislatoriam nactus est, Joh. V, 45. 46. Deut. XXXIII, 4.

Ministri in promulgatione legis erant *angeli*, Deut. XXXIII, 2. Act. VII, 53. Gal. III, 19. Hebr. II, 2.

Addidit Deus legi suæ non modo gratiosissimas *promissiones*, sed etiam severissimas *comminationes*, quibus ad præstandam obedientiam homines allicuit & obstrinxit, Exod. XX, 5.-7. 12. Deut. V, 9. 11. 16. c. XXVII, 26. Ps. CXIX, 21. Jer. XI, 3. Gal. III, 10. Rom. III, 18.

Christus in N. T. non novas leges tulit, sed legem Mosaicam tantum amplificavit & ad statum Christianismi accommodavit, ut suo loco pluribus demonstrabimus.

CAPUT

CAPUT II.

DE LEGE DEI IN GENERE.

Lex *in genere* est promulgata voluntas Superioris, subditos suos de faciendis & omittendis cum vi obligandi instruens.

Lex Dei h. l. non totam doctrinam in sacris literis contentam, prout Ps. XIX, 8. & Psalm CXIX, 92. nec solos libros Mosis, prout Luc. XXIV, 44. & Matth. XI, 13. nec totam Scripturam S. V. T. prout Joh. XII, 34. &c. XV, 15. sed illam verbi divini partem, quæ ab evangelio distinguitur, indicat, quæ alias *lex operum*, Rom. III, 27. & *lex mandatorum* Eph. II, 16. Hebr. VII, 16. nominatur, *legique fidei* h. e. evangelio, Rom. III, 27. opponitur.

Tota lex Dei est quasi speculum & exemplar divinæ sanctitatis & justitiæ. Dici propterea potest voluntas Dei, literis expressa, Rom. XII, 2. Eph. V, 17.

Lex Dei dividi potest in *universalem* & *particularem*. Lex universalis spectat ad omnes homines, particularis vero tantum ad Israelitas. *Lex universalis* est vel naturalis vel positiva. *Naturalis* est, quæ naturæ humanæ ingenita est, qualis sunt præcepta de colendo Deo, de præstanda obedientia erga parentes & superiores, & de non lædendo innocente; *positiva lex* iterum vel moralis vel politica est.

Lex particularis spectat tantum ad Israelitas. His data est lex *triplex*, scilicet moralis, ceremonialis & forensis.

Lex

Lex moralis est quidem ea ipsa lex decalogi, quæ, in genere considerata, omnes homines obligat; at hic, quatenus Deus eam præcipue ad populum Israeliticum direxit, consideratur.

Direxit autem Deus legem suam moralem ad hunc populum, ut ab omnibus aliis populis istum separaret & in suum peculium reciperet, Exod. XIX, 5. 6. Quia vero lex hæc sanctissimam Dei voluntatem exprimit & ipsi hominum naturæ convenit, pariter etiam inter christianos viget & valet, eo quidem ordine, quem Christus, cum ad tempora N. T. eam accommodaverit, præscripsit.

Errant igitur, qui cum *Joh. Agricola*, Diacono Wittebergensi, temporibus B. Lutheri vivente, & aliis sic dictis *Antinomis* legem in ecclesia prorsus exstirpandam, aut saltem ex ea in curiam politicam relegandam esse putant. Christus enim nunquam illam sustulit & abolevit, sed tantum implevit, ejusque verum sensum & usum ostendit, Matth. V, 17 sq. Paulus hac de causa christianis legem valde commendat eamque prædicat, Rom. III, 31. cap. VII, 12. 1 Tim. I, 8.

Non autem *lex particularis*, per Mosem data, ad solos Israelitarum *mores*, sed etiam ad *statum* eorum *politicum* & *ecclesiasticum* spectat. Moses hoc per tres diversas voces indicat, Deut. V, 31. c. VI, 1.

Triplex hinc datur *lex Dei*, ut supra audivimus. De singulis in sequentibus capitibus speciatim acturi sumus.

CAP.

CAPUT III.
DE LEGE CEREMONIALI.

Lex *ceremonalis* nomen habet a *ceremoniis ſ. ritibus*, quibus cultus Dei in V. T. peragebatur.

Verſabatur itaque lex hæc circa omnia, quæ ad externum Dei cultum ſpectabant. Hæc ſunt illa ἔθη ſ. *ritus*, quos Moſes Iſraelitis dediſſe dicitur, Act. VI, 1. c. XV, 1.

Paulus vocat tales ritus στοιχεῖα τοῦ κόσμου, Gal. IV, 3. Col. II, 20. item στοιχεῖα ἀσθενῆ καὶ πτωχά, Gal. IV, 9. quia ſunt principia & fundamenta legis Moſaicæ, quæ autem per ſe nihil ad ſalutem conferunt.

Ejusmodi *cultus* plerumque vocatur *Leviticus*, quia ſolis *Levitis* ſ. iis Iſraelitis, qui de tribu Levi erant, incumbebat, Num. III. & IV. Ipſi ſacerdotes de non alia tribu eſſe debebant, Exod. XXVIII, 1. Lev. XXI. & XXII.

Finis Dei in ferenda lege ceremoniali fuit 1) populum Iſraeliticum ab omnibus aliis gentibus diſtinguere, Eph. II, 11-18. Pſ CXLVII, 19 20. 2) ab omni idololatria, ſuperſtitione & ἐθελοθρησκείᾳ cuſtodire, & 3) Chriſtum ejusque beneficia N. T. per eam adumbrare, Hebr. X, 1. Col. II, 17.

Objectum legis ceremonialis ſunt 1) *loca ſacra*, ſcilicet tabernaculum ſ. templum portatile, item templum Hieroſolymitanum; 2) *perſonæ ſacræ*, nempe ſacerdotes & Levitæ; 3) *vaſa & uten-*

ſilia ſacra, e. g. arca fœderis cum propitiatorio, menſa ſacra cum panibus facierum, candelabrum aureum, altaria ſuffimenti & holocauſti, concha ænea & multa alia minora vaſa, Exod. XXV, 29. 38. c. XXVII, 3. c. XXXVII, 1. c. XXXVIII, 3. 4) *veſtimenta ſacra*, quibus induebantur ſacerdotes & inprimis ſummus ſacerdos, Exod. XXVIII. & XXXIX. 5) *actiones ſacræ*, ſcilicet ſacrificia & purificationes, quo etiam referri poſſunt alii ritus religioſi & quæ de eſu carnium obſervanda erant; & 6) *tempora ſacra*, nempe ſabbatha & feſta anniverſaria, de quibus omnibus in libris Moſis prolixe agitur. Huc etiam pertinent 6) *Sacramenta V. T.* ſcilicet circumciſio & agnus paſchalis, de quibus ſuo loco ſpecialiter agetur.

Tota lex ceremonialis *formam* habebat *typicam* repræſentabatque *umbram futurorum*, Col. II, 17. Hebr. VIII, 5. c. X, 1. Ipſi prophetæ V. T. hoc multifariam per phraſes ſuas metaphoricas, a cultu Levitico deſumtas, teſtantur. In *Epiſtola ad Hebræos* myſterium cultus Levitici omnium optime exponitur.

Sicut umbra appropinquante corpore ceſſat: ita etiam lex ceremonialis non diutius durare potuit, quam usque ad tempus Meſſiæ, qui corpus fuit hujus umbræ, Col. II, 17. Ejus adventus legis ceremonialis finem fecit, Jer. III, 16. 17. Dan. IX, 24. 27. Eph. II, 14. 15. Hebr. VII, 18. c. X, 4. 9. 14.

Judæi

Judæi negant, legem ceremonialem usque ad Christi adventum tantum duraturam esse, provocantes ad vocem לעולם, Exod. XII, 14. c. XXIX, 9. c. XXX, 21. &c. Sed vox hæc non aliter quam respectu subjecti interpretanda est. Quando non de Deo, aut de rebus per se æternis usurpatur, semper certam tantum temporis periodum indicat, e. g. Gen. VI, 4. 1 Sam. I, 22. Ps. LXXXIX, 2. R. Maimonides *in More Nevoch P. II. c. 28.* observat, voci לעולם plerumque præponi particulam עד, e. g. Ps. XVIII, 51. si veram æternitatem significet.

Præcipuum, circa quod olim lex ceremonialis versabatur, erant *sacrificia*, quorum varia dabantur genera. Habebant virtutem expiandi peccata, Lev. IV, 31. 35. c. V, 6. 10. 13. 16. 18. c. IX, 7. c. XVI, 10. 11. 16. sq. c. XVII, 11. non tamen *αὐτοενεργητικῶς*, h. e. propria virtute, Hebr. X, 4. 11. Ps. L, 8-14. sed virtute sanguinis Christi, per sanguinem victimarum adumbrati, Hebr. IX, 14. 15. 23. 24. c. X, 10. 12. Rom. III, 25. Hinc ab omni, qui per sacrificia remissionem peccatorum habere voluit, fides in promissum Messiam, Hebr. IV, 2. c. XI. & vera pœnitentia, Jes. I, 11-18. Ps. LI, 4-9. requirebatur.

Ritus, quos lex ceremonialis præcipit, ex liberrima Dei voluntate instituti, neutiquam vero ab Ægyptiorum aliarumque gentium ritibus idololatricis mutuati sunt, uti Jo. Spen-

CERUS & JO. MARSHAMUS docuerunt. Pugnat hæc hypothesis cum Exod. XXV, 40. & Lev. XVIII, 3. item cum sanctitate Dei.

Est etiam convenientia rituum Ægyptiorum & Judæorum non adeo magna, prout dicti Angli perhibent; & si quoque aliqua datur, Judæos non ab Ægyptiis, sed potius Ægyptios a Judæis ritus petiisse, HERRMANNUS WITSIUS luculenter demonstravit.

CAPUT IV.
DE LEGE FORENSI.

Hæc lex nomen habet a *foro*, quia ad forum præcipue spectabat, ideoque per מִשְׁפָּטִים, h. e. *judicia*, Deut. V, 31. c. VI, exprimitur. Continet constitutionem Dei de rebus politicis & judicialibus in Republica Judaica.

Dedit Deus hanc legem per Mosem populo Israelitico, Deut. IV, 14. ut per eam civiliter gubernetur in terra Canaan, in qua usque ad tempora Messiæ tanquam λαὸς εἰς περιποίησιν s. populus, quem sibi asseruit Deus, 1 Petr. II, 9. viveret, & πολιτεία sua cæteris gentibus exemplum præberet.

Dici propterea poterat respublica Israelitica *Theocratia*, quia ipse *Deus* Israelitici populi quasi rex & dominus fuit, Exod. XIX, 5. 6. Psalm. CXIV, 2. Jud. VIII, 23. *Reges Israelitici* erant quasi *Dei Pro-Reges*, qui in ejus solio sedebant, 1 Chron. XXIX, 23.

Finis

Finis legis forensis fuit, 1) populum Israeliticum ab omnibus crassis transgressionibus legis moralis custodire, 2) eundem in bona disciplina servare, 3) a familiari commercio cum ethnicis retrahere, 4) occasionem ei dare, divinam sapientiam, justitiam & sanctitatem eo magis agnoscendi, 5) alias gentes per hanc legem ad quærendum verum Deum allicere, & 6) regimen Messiæ in regno gratiæ adumbrare.

Spectavit itaque lex forensis præcipue ad populum Israeliticum, qua propter etiam post adventum Messiæ cessavit, Gen. XLIX, 10. Dan. IX, 26. Non amplius hinc quenquam in N. T. obligat, & ne quidem Judæos, nisi in quantum substantia ejus cum ipsa lege morali convenit. Interim cum lex Dei forensis nitatur naturali æquitate, jureque naturæ, exemplar adhuc bonæ πολιτείας esse solet omnibus populis, juxta quod etiam adhuc leges forenses ferri possunt.

Abrogatum igitur tantum est τὸ formale hujus legis, non vero τὸ materiale ejus.

CAPUT V.

DE LEGE MORALI IN GENERE.

Lex *moralis* nomen habet a *moribus*, quia mores hominum format, nobisque regulam voluntati divinæ conformem dat. Continet

itaque omnia, quæ homines in vita sua vel facere vel omittere debent, si Deo placere volunt.

Principium hujus legis est ipsa *Dei essentia*, speciatim *sanctitas* & *justitia* ejus. Quod lex præcipit, nititur sanctitate Dei, Lev. XI, 44.45. c. XIX, 2. c. XX, 7.8. & quod vel promittit vel minatur, effectus est divinæ justitiæ, partim retributivæ, partim vindicativæ.

Lex hæc cum ipsa imagine divina primis hominibus ita implantata erat, ut, nisi defecerint a Deo, non opus fuisset promulgatione ejus per literas. Supersunt adhuc aliquæ hujus legis reliquiæ in corde & conscientia, quæ homines, si scripta lege destituti sunt, coram Deo inexculpabiles reddunt; quatenus contra dictamen conscientiæ legem positivam divinam negligunt, Rom. II, 14. 15.

Vocatur lex Dei moralis plerumque *decalogus*. Nominatio hæc sumta est ex Deut. X, 4. ubi Moses expresse meminit *decem verborum*, quæ Deus insculpserit certis tabulis, & quidem duabus vicibus, quia Moses priores tabulas ex zelo super idololatria populi fregerat, Deut. IX, 16.17.

Deus ipse literis consignavit præcepta sua, Exod. XXXI, 18. c. XXXII, 16. Deut. V, 22. c. X, 2. 4. ut eo magis ista magni faciamus, summoque studio observemus. Consignavit ea plus vice simplici, Exod. XXXIV, 1. Deut. X, 2. 4. ut ostenderet, se esse misericordem erga homines & velle serio illos sibi acceptos

&

& in æternum salvos reddere, ita, ut ne quidem eum pœniteat, illorum causa aliquid incassum fecisse.

Insculpsit ista Deus *tabulis lapideis*, ut significet, eadem constanter ab hominibus servanda & nunquam obliteranda esse. Non unam, sed *duas tabulas* adhibuit, ut declaret, decalogum duplex habere objectum, Deum & proximum.

Partitio decem præceptorum, sicut in nostro Catechismo occurrit, non verbis textus definita est, quia nullibi in Scriptura S. expresse indicatur, quot & quæ præcepta vel ad primam vel ad secundam tabulam referenda sint. Nec præcepta ipsa satis clare a se invicem distincta sunt. *Origines* hinc aliam præceptorum Dei partitionem fecit. Ad *primam tabulam* quatuor, & ad *secundam* sex refert. Interdictio de non faciendis & colendis simulachris Dei, quæ plerumque ad primum præceptum refertur, Exod. XX, 4. 5. Deut. V, 8. 9. huic patri ecclesiæ, *speciale* & quidem in ordine *secundum præceptum* est, *duo ultima* vero *præcepta*, quæ de prava concupiscentia agunt, iste conjunxit & in *unum* quasi *præceptum* contraxit. Non propterea heterodoxiæ arguendus est.

Constat decalogus magis ex *interdictis*, quam mandatis, quia Deus nostram propensionem ad mala facinora jam novit, adeoque lege sua conatibus nostris obstare voluit.

CAPUT VI.
DE
SUMMA LEGIS MORALIS.

Summa decalogi s. legis moralis est *amor*, *charitas* & *dilectio*, quæ voces promiscue usurpantur, 1 Tim. I, 5. Matth. XXII, 40. 1 Joh. V, 3. Mich. VI, 8. Rom. XIII, 10.

Hac de causa *amor* s. charitas aut dilectio in Scriptura S. tantopere commendatur, 1 Cor. XIII, 13. Gal. V, 6. Eph. V, 2. Col. III, 14. 1 Petr. IV, 8. Marc. XII, 33. Hos. VI, 6.

Amor in genere est propensio voluntatis ad bonum, quod vel verum vel apparens est.

Si substantiæ intellectuales *amoris objectum* sunt, aliquid in se habere debent, quod nostram inclinationem & benevolentiam allicit. Hoc sunt vel excellentes proprietates & virtutes, quibus ejusmodi substantiæ præ aliis gaudent, vel sunt beneficia, quibus nos cumulant.

Præcipuum itaque amoris objectum est *Deus*, qui non modo per se respectu suarum excellentissimarum proprietatum & virtutum, sed etiam respectu summæ suæ benignitatis erga omnes creaturas, Sap. XI, 25. & inprimis homines, 1 Joh. IV, 9. 10. 19. *summum bonum*, Matth. XIX, 17. & *amor* in sensu eminentissimo, 1 Joh. IV, 8. 16. dicendus est.

Inde apparet, cur Christus *præceptum de diligendo Deo*, Deut. VI, 5. maximum & præcipuum in lege divina nominaverit, Deoque summum amoris

amoris gradum præstare debeamus, Matth. XXII, 37. 38. Marc. XII, 30. 32. 33.

Diligendus enim est *Deus* de toto corde, de tota anima, ex omnibus viribus & de toto animo, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. Luc. X, 27. 28. Hoc idem est ac *amari super omnia.*

Alterum amoris objectum est *proximus*, Lev. XIX, 18. Matth. XXII, 39. Luc. X, 27. Rom. XIII, 8. Gal. V, 14.

Per *proximum* intelligitur quilibet homo, quatenus nostri consilii & adjumenti indiget & ideo nobis quasi proximus est. Christus exemplo misericordis Samaritani hoc bene monstravit, Luc. X, 36. 37.

Quæritur autem: *Quid inclinationem nostram ad proximum flectat, cum plerumque odio & invidia nos prosequatur?* Non homines hic considerare debemus, uti impræsentiarum sunt, sed uti in statu integritatis olim fuerunt, cum secundum Creatoris sui intentionem in summa familiaritate inter se viverent. Tunc nec rixa, nec inimicitia aliqua dabatur.

Hoc est principium omnis *amoris proximi*, ad quem nos simul commovere potest consideratio, quod proximus 1) de nostra carne sit, unde etiam frater noster dicitur, Gen. IX, 5. Rom. XIV, 10. 1 Theff. IV, 6. 1 Joh. III, 15. 17. 20. 21. 2) ad imaginem Dei creatus sit, 3) nobiscum communem Patrem cœlestem & redemptorem habeat, & 4) alterius adjutorio carere nequeat.

Habet autem *amor proximi* suos *gradus*. Homo enim nobis propinquior est altero. Consanguinei primum locum habent. Hos sequuntur gradatim nostri superiores, benefactores, collegæ, clientes, amici, fidei consortes & tandem omnes alii homines citra respectum status, ordinis, sexus & conditionis, Gal. VI, 10. Ultimum locum tenent *veritatis hostes* & nostri *inimici*, quos diligere difficillima res est, quia id quasi cum nostra natura pugnat.

Verum cum 1) inimicitia prorsus non locum inter homines habere debeat, 2) nosmet ipsi facile optimorum amicorum acerrimi hostes fieri possimus, 3) maxima inimicitia in optimam interdum amicitiam permutetur, 4) inimici magis commiserationem, quam odium & vindictam mereantur, 5) inimicus alterius auxilio sæpe indigeat, & 6) Deus ipse inimicos homines amet: cum christiana æquitate mandatum Christi de amandis inimicis Matth. V, 44-48. neutiquam pugnare potest.

Sicut autem quilibet homo *sibi ipsi proximus* est: ita etiam amor a se ipso incipit, Eph. V, 29.

Talem vero sui ipsius amorem per se Deo non displicere, sed potius præcepto de amando proximo inclusum esse, ex eo apparet, quod proximum sicut nosmet ipsos amare doceamur.

Amor sui ipsius itaque est norma amoris proximi, Lev. XIX, 18. Matth. XXII, 39. Marc. XII, 31. Luc. X, 27.

Quæritur

Quæritur autem: *num amor ſui ipſius non inter peccata numerandus ſit?* Reſpondemus negando, ſi nempe talis amor per ſe conſideratur. Eſt potius amor ſui ipſius officium, cuilibet homini incumbens. At poteſt tamen hic amor fons multorum peccatorum fieri, quando nos ipſos magis quam Deum amamus, quod fit, ſi ex amore erga nos contra voluntatem Dei agimus.

Eſt vero amor proximi arctiſſime cum amore Dei conjunctus, quapropter etiam Chriſtus præceptum de amore proximi præcepto de amore Dei adjungit, Matth. XXII, 39. Johannes hac de cauſa quoque eum, qui de amore Dei ſe jactat & tamen proximum odio proſequitur, mendacem nominat, 1 Joh. IV, 20. 21. 1 Joh. V, 1.

Forma amoris, quem decalogus generatim poſtulat, conſiſtit in ſincera inclinatione, cum ſtudio ſe inſinuandi conjuncta.

Cum igitur *Deo* nil magis placeat, quam voluntatis ejus obſequium 1 Sam. XV, 22. Joh. IX, 31. Rom. XII, 2. Eph. I, 9. 1 Joh. II, 17. Hebr. X, 36. Johannes in eo amorem Dei conſiſtere dixit, ut præcepta ejus ſ. legem obſervemus, 1 Joh. V, 3. Hoc etiam Chriſtus teſtatur, Joh. XIV, 15. 23. c. XV, 14.

Amor proximi pari modo comparatus eſt. Quod nobis fieri volumus, id alteri etiam facere debemus. Hoc eſt principium omnis veri amoris proximi, Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. Tob. IV, 6. Non enim verbis ſolum, ſed etiam

etiam factis amorem erga proximum declarare debemus, 1 Joh. III, 18. Jac. II, 16.

Sumus autem non ad omnia, quæ proximo placent, ex amore proximi obligati, sed ad ea tantum, quæ non cum amore Dei & nostris officiis pugnant, proximoque re vera prosunt.

CAPUT VII.

DE PERFECTIONE LEGIS MORALIS.

Lex *moralis*, per Mosem data, *perfecta* est. Continet enim omnia, quæ Deus ex sanctitate sua ab hominibus postulat. Quæ non expressis verbis præcipit aut interdicit, tacite in iis latent & per sanas conclusiones ex iisdem elici possunt.

Deus hac de causa legem moralem tam paucis præceptis conclusit, præcepta ipsa vero tam paucis verbis exaravit, ut Israelitæ eo magis ad eam viverent, adeoque non facile in justissimam Dei pœnam ruerent. Cui enim multum datum est, ab eo etiam multum poscitur, Luc. XII, 48.

Perfectio itaque legis moralis respectum habet ad circumstantias temporis & personarum, quibus data est. Plura quidem in decalogo præcipere aut interdicere potuisset Deus, si omnia, quæ homines decent, expressis verbis semel unquam populo suo Israelitico perspecta reddere voluisset. At maluit Israelitis summam suæ legis successive patefacere, ut ad exemplum

libero-

liberorum impuberum, Gal. III, 23. 24. c. IV, 3. gradatim in cognitione veritatis proficiant, usque dum majorennitatem filiorum Dei consequerentur, Gal. III, 25. 26. c. IV, 4. 5. Eph. IV, 13.

Tota Scriptura S. est quasi *commentarius* in legem decalogi, quia pluribus explicat sensum ejus. Ipse Moses hujus commentarii initium fecit. Prophetæ eum continuaverunt, & Christus denique cum apostolis suis istum perfecerunt. Quicquid autem de lege docuerunt, respectum habuit ad statum ecclesiæ, eo tempore, quo vixerunt, florentis. Magis itaque id, quod a litera legis deflectere nobis videtur, accommodatio ad statum ecclesiæ, quam nova legislatio dicenda est.

Non autem propterea perfectioni legis aliquid decedit. Ejus enim additamenta non sunt novæ leges, nec proprie sic dicta supplementa, sed tantum quasi scholia s. explicationes, illustrationes & ad statum, in quo vivitur, accommodationes.

Quo magis nobis sensus legis divinus cognitus redditur, eo plura etiam sunt officia, ad quæ præstanda obligamur. Huc spectant multæ actiones sic dictæ indifferentes, quæ iis, qui de illegalitate earum ignorantiam invincibilem habent, non mortalia peccata sunt, quas tamen alii, qui majori cognitione de eo, quod cum lege Dei convenit, gaudent, omnino intermittere debent, si non mortalis peccati argui volunt.

Ex

Ex ſupra dictis intelligitur, quid *Pontificiis* & *Socinianis* reſpondendum ſit, quando legem moralem per Moſem datam imperfectam pronunciant. Nominant ideo Chriſtum *novum legislatorem*, quia nova præcepta dederit, & quidem tam moralia, quam ſacramentalia & ad fidem ſpectantia.

At quis *ſacramenta* huc referat, cum proprie actiones divinæ ſint, per quas nobis aliquid datur? Nec *doctrinæ evangelicæ*, quæ quaſi ſuaves invitationes ad regnum Chriſti ſunt, præcepta vocari poſſunt.

Præcepta moralia Chriſtus plane non dedit, etſi 1) legem Moſaicam a corruptelis Phariſæorum purgaverit, Matth. V. & VI. 2) ſe legi de divortio, quod Moſes non præcepit, ſed tantum permiſit, oppoſuerit, Matth. V, 31. 32. 3) juramenta indirecta & non neceſſaria interdixerit, Matth. V, 34-37. & 4) legem de ſabbatho ad ſtatum chriſtianiſmi accommodaverit, Luc. VI, 1-10. c. XIV, 3-6.

Ad nova præcepta referunt Pontificii *conſilia* ſua *evangelica*, qualia ſunt 1) paupertas voluntaria, Matth. XIX, 21. 2) abnegatio ſui ipſius, Matth. XVI, 24. 3) votum caſtitatis, Matth. XIX, 12. 4) vindictæ intermiſſio, Matth. V, 39. 5) injuriarum tolerantia, Luc. VI, 29. 6) eleemoſynæ, Luc. VI, 38. 7) jurisjurandi intermiſſio, Matth. V, 34. 8) evitanda peccati occaſio, Matth. XVIII, 9. 9) intentio in bonis operibus recte formanda, Matth. VI, 1. 10) ſa-

10) factorum cum doctrina convenientia, Matth. XXIII, 3. 11) victus sollicitudo ex animo ejicienda, Matth. VI, 31. & 12) correctio fraterna, Matth. XVIII, 15.

Fundamentum eorum Pontificii in verbis Pauli 1 Cor. VII, 6-9. 25. 35. quærunt. Nos concedimus, dari consilia evangelica, sed tantum in rebus indifferentibus, non vero divinitus mandatis, nec quatenus ad perfectionem, sed potius πρὸς τὸ συμφέρον, h. e. ad commodum spectant.

CAPUT VIII.

DE

OBLIGATIONE LEGIS MORALIS.

Cum lex a *Superiore* proficiscatur, omnino etiam obligat omnes, qui a superioritate & dominio istius Superioris dependent.

Lex Dei *summum Dominum* habet auctorem. Hinc omnes quoque, quibus data est, obligat. Data autem est non solis Israelitis, sed simul omnibus hominibus, non quidem formaliter, at tacite tamen & quatenus continet officia, quæ Deo & proximo ab omnibus hominibus præstanda sunt. Obligat ideo omnes homines, Eccl. XII, 13. Joh. XV, 14. etsi legem Dei ignorent, Luc XII, 48. Quapropter etiam Christus legi submissus dicitur, ut omnes, qui sub

ſub legis obligatione verſentur, redimeret, maledictionem legis in iis tolleret, & iſtos in filios Dei reciperet, Gal. III, 13. c. IV, 5.

Et cur non omnes ac ſingulos homines obliget *lex Dei*, cum 1) ſpeculum juſtitiæ divinæ, 2) naturæ humanæ impreſſa, Rom. II, 14. 15. 3) jam ante diluvium obſervata, 4) ad finem mundi duratura, Matth. V, 18. & 5) in perpetuum uſum eccleſiæ data ſit, Rom. III, 31. Matth. V, 17. 1 Tim. I, 8.

Nunquam vim obligandi amittit, Matth. V, 18. Luc. XVI, 17. nec contra eam diſpenſari poteſt, Deut. XII, 32.

Sicut Dei ſanctitas immutabilis eſt, ita etiam immutabilis eſt lex, tanquam exemplar & ſpeculum ſanctitatis divinæ.

Requirit autem lex *perfectiſſimam obedientiam*, ita, ut eam non modo omnibus præceptis, Jac. II, 10. ſed etiam de toto corde & animo, Deut. VI, 5. 17. 18. & per omne vitæ tempus, Rom. VII, 1. Tob. IV, 6. præſtemus.

Addidit propterea legi ſuæ Deus & *maledictionem* & *benedictionem*, Exod. XX, 5. 6. Deut. V, 9. 16. c. VI, 15. 18. 19. ut eo magis ad præſtandam obedientiam commoveamur.

Maledictum ideo Moſes quemcunque pronunciat, qui non omnia & ſingula legis verba impleat, Deut. XXVII, 26. Repetitur & confirmatur hæc maledictio, Pſ. CXIX, 21. Jer. XI, 21. Gal. III, 10.

Hujus

Hujus maledictionis oppositum est *benedictio*, quam Deus populo suo promittit, si omnia præcepta facturus foret, Deut. c. XI. c. XXVIII. & c. XXX.

Non autem benedictio hæc ad sola *terrestria bona* respectum habuit, sed etiam simul ad *spiritualia* & *æterna*, per illa præfigurata. Hoc contra *Socinianos* probari potest ex Act. X, 43. c. XXVI, 6. 7. Hebr. XI, 10. 13. 16. 25. 26. 35. Rom. IV, 3-13. Inprimis ex Lev. XVIII, 5. colligitur, Deum legem suam Israelitis dedisse cum promissione præmiorum vitæ æternæ, quia non modo Christus Luc. XVIII, 18. 20. sed etiam Paulus Rom. X, 5. Gal. III, 12. locum illum de vita æterna exponit.

Huc spectant etiam verba Christi ad scribam, de lege eum interrogantem, dicentis: *fac hoc* & *vives*, Luc. X, 28. Recte ideo lex Dei a Paulo appellatur *ἐντολὴ εἰς ζωήν*, h. e. *præceptum ad vitam*, Rom. VII, 10.

Causa autem, cur nemo vitam æternam per legis observationem adipisci queat, non in lege ipsa, sed in naturali nostra impotentia, per peccatum contracta, quærenda est. Hujus respectu non lex nobis data esse dicitur, quæ vivificare possit, Gal. III, 21.

Interim omnino obligati sumus, ad legis præscriptionem vivere. Christus quidem nos ab obligatione legis liberavit, sed tantum respectu consequendæ vitæ æternæ, non vero respectu ducendæ vitæ christianæ. Quicquid autem in

ducenda vita christiana præstamus, illud Deus ex gratia propter meritum Christi fide apprehensum gratuitis præmiis in vita æterna remuneratur, Rom. VIII, 1-14. Tit. III, 7.

CAPUT IX.

DE

USU LEGIS MORALIS.

Etsi nemo per legem justus & salvus fieri queat, Gal. II, 16. Rom. III, 28. Gal. III, 11. lex tamen *usum* suum in ecclesia habet, 1 Tim. I, 8. Rom. VII, 12. Christus ideo non abrogavit eam, Matth. V, 17. sed per evangelium potius restauravit, Rom. III, 31. Factum hoc est 1) per ejus obedientiam, Matth. V, 17. & 2) per ejus officium mediatorium, Hebr. VIII, 6. sqq.

Usus legis non in impletione ejus perfecta consistit, quia nemo ei satisfacere potest, & quidem 1) propter infirmitatem carnis, Rom. VIII, 3. Gal. V, 17. Act. XV, 10. quæ etiam sanctissimis hominibus inhæret, Rom. VII, 14. 2) propter summum legis rigorem, Gal. III, 10. 11. Jac. II, 10. Rom. VIII, 7. & 3) propter satisfactionis Christi necessitatem, Act. XIII, 38. 39. Rom. VIII, 3. 4. Gal. II, 21. Hinc etiam *circumcisio* ab apostolis abrogata est, Act. XV, 5. 10. quia homines ad servandam totam legem obligabat, Gal. V, 2. 3.

Quæritur

Quæritur autem: *annon regenitus præcepta Dei servare possit?* Respondemus negando in sensu legali, & affirmando in sensu evangelico.

In *sensu legali* præcepta Dei ex propriis viribus & perfectissime servari debent, Deut. XXVII, 26. Luc. X, 27. 28. Jac. II, 10. Hoc autem nullus regenitus præstare potest ob defectum virium naturalium, 2 Cor. II, 16. c. III, 5. Rom. VII, 18. 23. 24.

Adhortantur quidem Christus & Johannes regenitos ad servanda præcepta, Joh. XIV, 15. 1 Joh. II, 3. 4. c. V, 3. sed fit in *sensu evangelico*, secundum quem non alia observantia præceptorum poscitur, quam quæ ex viribus gratiæ fit, Phil. IV, 13. 2 Cor. III, 5. 2 Petr. I, 3.

Talis præceptorum divinorum observatio non est perfecta, Jac. III, 2. 1 Cor. XIII, 10. quia fidelibus semper inhæret peccatum, ad omne bonum opus eos ineptos reddens, Hebr. XII, 1. Rom. VII, 14. Gal. V, 17. Regeniti quidem ad hanc perfectionem adspirare debent, 2 Tim. III, 17. Eph. IV, 13. Matth. V, 48. sed eam nunquam in hac vita pertingere possunt, 1 Cor. XIII, 10. 12. etsi regenitis omnino aliqua perfectio in hac vita tribuatur, Phil. III, 15. Col. I, 28. c. II, 10.

Pontificii hic errant, quando docent, regenitos non solum ex viribus gratiæ legem moralem perfectissime servare, ideoque aliquid mereri, sed etiam plus facere posse, quam Deus præceperit. Spectant huc eorum opera *super-*

erogationis, quæ ex Matth. XI, 30. Phil. IV, 13. Joh. XIV, 21. 23. 1 Joh. V, 3. Luc. I, 6. Rom. XIII, 8. probare volunt.

Genuinus legis moralis *usus* quatruplex est, scilicet 1) agnoscuntur ex ea peccata, Rom. III, 20. c. VII, 7. 2) dat lex regulam vitæ sanctæ, Ps. CXIX, 4-11. Rom. X, 5. 3) reddit nos coram Deo humiles, Rom. IV, 15. c. V, 13. Rom. VII, 7-9. 23. 24. & 4) ducit nos ad Christum, Rom. V, 20. Gal. III, 22. 24.

CAPUT X.

DE

PRÆCEPTO PRIMO DECALOGI.

Præceptum decalogi primum agit *de cultu Dei interno*, qui in timore, dilectione & fiducia consistit. Vocatur alias *cultus religiosus*, quem soli Deo debemus. *Deum* itaque *habere* h. l. idem est ac religionem habere; *alios* autem *Deos habere* idem est, ac verum Deum non debito modo colere.

Ad *religionem* a natura obligamur, quia idea de Deo cordi hominum inscripta est. Hinc etiam non facile gens in terrarum orbe invenitur, quæ non certam habeat religionem.

Duo primum præceptum nobis injungit, 1) religionem in genere, & 2) religionem veram in specie.

Religio in genere opponitur *atheismo*, quo negatur, esse Deum, qui malum puniat & bonum remuneretur. Non

Non omnis religio vera est. Hinc datur non modo excessus in cultu religionis, sed etiam defectus.

Excessus in cultu religionis alias dicitur *superstitio*, qua plus præstamus, quam debemus. Huc spectat non modo omnis idololatria, sed etiam omnis ἐθελοθρησκεία f. cultus ex arbitrio confictus, Col. II, 23. nec non operum supererogationis præstatio, sacrarum reliquiarum, sanctorumque locorum cultus, & fides in res & ceremonias sacras, nullam divinam promissionem habentes.

Defectus in cultu religionis alias vocatur *subtilis idololatria*, qua Deo timorem, dilectionem fiduciam & quicquid ei ex religionis cultu præstare debemus, detrahimus & ex amore mundi concupiscentiaque carnis aliis rebus tribuimus. Omnia hæc Deus nobis interdixit, præcipiendo: *Non alienos Deos coram me habebis.*

Interdictio de non *faciendis imaginibus* est tantum *appendix primi præcepti*, neutiquam vero singulare præceptum, uti cum *Origine* quidam *Calviniani* perhibent. Eo magis Deus usum imaginum interdicere voluit, quia per istas crassa ethnicorum idololatria orta est. Volebant quidem per ejusmodi imagines invisibilis Dei attributa, operationes & beneficia repræsentare, sed stolidi homines inde occasionem sumserunt, tot Deos fingendi, quot habuerunt imagines, easque tanquam ipsos deos colendi.

Interim *imagines sacræ* non prorsus in ecclesia exstirpandæ sunt, ut Calviniani volunt, quia ad piam divinorum operum & beneficiorum recordationem inserviunt, neutiquam tamen eas aliquo religionis cultu cum Pontificiis prosequi debemus.

Caveamus etiam, ne *Deum* sub mentali repræsentatione adoremus & invocemus, quia hoc species idololatriæ est. Solum *Christum* ita colere licet.

Adoratio est præcipua pars cultus religiosi, soli Deo præstandi.

Valde hic errant *Pontificii*, qui non modo *angelos*, sed etiam *defunctos homines sanctos*, inprimis vero *B. Mariam virginem*, in calamitatibus suis invocare solent.

Valet hic verbum Christi, ad diabolum dicentis: *Deum Dominum adorabis & eum solum coles*, Matth. IV, 10.

Distinguunt quidem inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν, quarum primam Deo, alteram sanctis angelisque, & tertiam B. Mariæ & humanæ Christi naturæ tribuunt. Sed distinctio hæc in Scriptura S. nullo nititur fundamento; ut taceamus, voces has in sacris literis promiscue usurpari.

Angeli ipsi respuunt religionis cultum, Apoc. XIX, 10. c. XXII, 9. *defuncti sancti* vero non audiunt preces hominum, Jes. LXIII, 16. & *B. Maria virgo* cum intercessione sua apud Christum ne quidem tunc temporis, cum iste in

summo

summo exinanitionis statu versaretur, aliquid valuit, Joh. II, 4.

CAPUT XI.
DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum agit de *cultu Dei externo privato*, qui in genuino nominis divini usu consistit.

Interdicit enim Deus *abusum nominis sui*, addita comminatione, quod eum, qui abutatur nomine suo, non impunitum esse velit, Exod. XX, 7. Deut. V, 11.

Nomen Dei hic omne id comprehendit, quod de Deo in Scriptura S. prædicatur & per quod Deus suam gloriam & potestatem manifestat, Ps. XLVIII, 11. Huc spectant non modo ejus essentia, nomina, opera, verbum & sacramenta, sed etiam ejus gloria, judicia, beneficia & quicquid in sua potestate habet.

Abusus nominis divini est vel *profanus* vel *superstitiosus*. Ad *priorem* pertinent omnes blasphemiæ, execrationes, maledictiones & falsa temerariaque juramenta, nec non omnes illusiones & corruptiones verbi divini, ad *posteriorem* vero omnes incantationes, artes magicæ, haruspicia, pacta cum dæmonibus & sacrarum rerum abusus, imo omnes actiones superstitiosæ & religiosæ, in sacris literis vel impro-

batæ vel ſaltem non fundatæ; Deut. XVIII, 10-12.

Hæc omnia in ſecundo Dei præcepto interdicuntur. Vi oppoſiti igitur *præcipitur*, Deum verum genuino modo invocare & laudare, ei ſoli confidere, cultumque ejus in omnibus partibus ita præſtare, uti nobis in Scriptura S. præſcriptum eſt.

Quæritur hic: *num omnia juramenta chriſtianis illicita ſint?* Affirmatur hoc ab *Anabaptiſtis*, verba Chriſti Matth. V, 37. non recte interpretantibus. Chriſtus h. l. tantum juramenta temeraria & injuſta improbat. Ex Exod. XXII, 11. Deut. VI, 13. c. X, 20. & Hebr. VI, 16. ſatis probari poteſt, juramenta, quæ ex juſta cauſa & per verum Deum fiunt, omnino licita eſſe. Ipſa exempla Dei, Chriſti, patriarcharum, apoſtolorum & ipſorum angelorum, Apoc. X, 5. 6. qui omnes juraverunt, hoc confirmant.

CAPUT XII.

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

Tertium præceptum *de cultu Dei externo publico* agit, ad quem Deus certum diem deſtinavit.

Dies hic, qui in hebdomade ſeptimus & ultimus eſt, dicitur *dies ſabbathi*, a שָׁבַת, *quieſcere*, quia Deus in eodem ab omni opere creationis quievit, Gen. II, 2. Exod. XX, 11. Benedixit pro-

propterea huic diei & sanctificavit illum ita, ut omnis homo cum jumentis suis in recordationem divinæ creationis & quietis in eo etiam ab omnibus operibus suis, quibus in antecedentibus sex diebus ad lucrandum, quod ad suam sustentationem necesse habet, occupatus fuit, quiescat, Exod. XX, 9. 10. Deut. V, 13. 14. Excipiuntur itaque die sabbathi *opera necessitatis*, Matth. XII, 1-5. 1 Macc. II, 41. & *charitatis*, Luc. XIV, 3-5.

Quies hæc conjuncta esse debet cum *cultu Dei externo publico*, qui circa preces publicas, audiendum verbum Dei, frequentandam domum Domini & alia exercitia sacra versatur, Ps. XCII, 1-3. Exod. XXXI, 14. Eccl. IV, 17. Ps. XXVI, 6-8.

Ad *dies*, qui cultui divino publico dicati sunt, pertinent etiam *festa anniversaria* Lev. XXIII, aliique dies Deo consecrati & jejunio precibusque publicis destinati, 2 Chron. XX, 3. Esr. VIII, 21. Joel. I, 14. 1 Sam. VII, 5. 6.

Sunt, qui præceptum hoc de sabbatho unice ad *legem ceremonialem* s. *Leviticam* referunt, quæ a Christo abrogata sit, quapropter etiam cultus divinus a die septimo ad primum cujuslibet hebdomadis in N. T. translata fuerit. Verum cum ipsa lex decalogi a Christo non abrogata sit, ut supra audivimus, non quoque morale præceptum aliquod, in ea contentum, abrogatum esse potest. Christus quidem taxavit, quæ ex superstitione & traditione humana legi de

sabbatho affinxerant Judaei, Matth. XII, 1. sq. Marc. II, 27. sed nunquam ipsum hoc praeceptum abolevit.

Datur quidem in quolibet praecepto aliquid, quod ad legem ceremonialem spectat. Sed hoc ab eo, quod morale est, facile discerni potest. Illud abrogatum est, Col. II, 16. non vero hoc.

In tertio praecepto doctrina moralis in eo consistit, ut *certum* in hebdomade *diem* ad cultum Dei publicum impendamus. Ad hunc cultum ex libertate christiana ab apostolis impulsu Spiritus S. loco septimae diei electa est *prima*, 1) in memoriam resurrectionis Christi, quae hac die facta est, quapropter etiam dies haec dicta fuit *dominica*, Apoc. I, 10. & 2) ad distinguendum cultum christianum a cultu Judaico. In V. T. hanc diei sabbathici mutationem jam praedixit *Ezechiel* c. LXIII, 26. 27. uti Pl. Rev. HENRICUS HOECK in seinen Beyträgen zum erbaul. Verstande einiger Schrift-Stellen *Part. II. p. 95. sq.* cum multa probabilitate monstravit.

CAPUT XIII.
DE
QUARTO PRAECEPTO DECALOGI.

Quartum praeceptum primum est in altera decalogi tabula & versatur circa *officia erga parentes*.

Parentes

Parentes sunt h. l. ii, a quibus geniti sumus. Intelliguntur per eos non modo germanus pater & germana mater, sed etiam avus & avia, a quibus descendimus, nec non qui ex parte conjugis nomen patris & matris gerunt.

Hos *honorare*, h. e. in præstanda reverentia, obedientia, charitate & obsequio ab omnibus aliis hominibus distinguere debemus, Mal. I, 6. Sir. III, 9. 14-16. Tob. IV, 3. Prov. XXIII, 22. c. XXX, 16. Eph VI, 1. 1 Tim. V, 4.

Sub *parentibus* in quarto præcepto, proprie loquendo, non simul intelliguntur *superiores*, quia præceptum de eorum reverentia & obedientia ad legem forensem pertinet. Lex moralis enim spectat ad omnes & singulos homines. Cum vero homines dentur, qui non superiores habent, noluit Deus præceptum dare, a cujus observantia aliqui se excipere queant. Interim improprie sub parentibus *superiores* simul intelligi possunt, quia reverentia & obedientia iis præstanda æque legis divinæ est, quam reverentia & obedientia erga ipsos parentes, etsi non claris literis in decalogo expressa sit. Provocari potest ad Rom. XIII, 1. 2. 7. Mal. I, 6. Tit. II, 9. 10. c. III, 1. Eph. VI, 5. 1 Petr. II, 18. 1 Tim II, 1. 2.

Plerumque etiam ad parentes in quarto præcepto referuntur non modo magistratus, heri & heræ, sed etiam tutores, curatores, præceptores & ecclesiæ ministri, in quorum parochia vivitur, 1 Tim. V, 17. 18. Hebr. XIII, 17. 1 Thess. V, 12. 13.

Cæterum

Cæterum valent circa hoc præceptum verba apostoli: *Deo magis obediendum est, quam hominibus,* Act. V, 29. c. IV, 19.

Quarto præcepto addita est *singularis benedictio de longæva & felici vita*, quæ non ad solum vetus Testamentum restringenda est, sed etiam ad N. T. spectat, Eph. VI, 2. 3. Factum hoc est respectu salutis publicæ, quæ ab observantia hujus præcepti dependet.

CAPUT XIV.
DE
QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Præceptum hoc ad *conservationem vitæ & sanitatis* spectat. Interdicitur quidem in eo tantum *homicidium*, sed intelligitur simul sub eo omne id, quod ad homicidium incitat & species ejus est.

Non aliud autem homicidium intelligitur, quam quod ex ira & odio propriaque auctoritate committitur.

Inde colligitur, quod nec *magistratus politicus*, qui maleficos homines publica auctoritate ad supplicium tradit, nec *miles*, qui in prælio hostes interficit, nec *carnifex*, qui jussu judicis pœnam mortis exequitur, nec *homo*, qui alterum vel improviso vel ex moderamine inculpatæ tutelæ occidit, criminis homicidii arguendus sit.

E con-

E contrario a tali crimine coram Deo non absolvendi sunt, qui vel proximum ex hostili animo persequuntur, vel conviciis & verberibus eum afficiunt, vel in vitæ valetudinisque periculum ducunt, vel quævis mala ei imprecantur, vel alio modo se erga illum infensos præbent.

Hic quoque valet, quod communiter dici solet: *quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est.*

In primis inter veros homicidas numerandi sunt omnes αὐτόχειρες, qui se ipsos interimunt, item qui abortum inferunt. Priores in certis casibus quidem excusandi sunt, e. g. mulieres, castitatem suam tuentes & qui melancholia laborant: at factum ipsum omnino improbandum est, quia nemo vitæ suæ dominus est, omnisque αὐτοχειρία cum præcepto de diligendo proximo pugnat, quia dilectio hæc ita fieri debet, uti nosmet ipsos diligimus, Matth. XXII, 39. Est contra naturam, odisse propriam carnem, Eph. V, 26. Valet hic etiam regula: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. II, 8.

Exemplum *Simsonis*, Jud. XVI, 28. 30. est factum heroicum, & exemplum *Raziæ*, 2 Macc. XIV, 41 seq. a scriptore, non θεοπνεύστῳ, laudatur, quæ vero de castratione & abscissione membrorum dicuntur, Matth. V, 29. 30. cap. XVIII, 8. 9. c. XIX, 12. spiritualiter intelligenda sunt.

Plerum-

Plerumque *homicidium* dividitur in *crassum* & *subtile*.

Homicidium subtile committitur 1) in *corde* per odium 1 Joh III, 15. & invidiam, Rom. XIII, 13. 1 Petr. II, 1. 2) *gestibus*: Gen. IV, 5. 6. Eph. IV, 31. Col. III, 8. Matth V, 22. 3) *verbis*, Jer. XVIII, 8. quibus vel proximo maledicitur, Matth. V, 44. Rom. XII, 14. Jac. III, 9. 10. vel iste calumniis afficitur, Pf XV, 3. Tit. III, 1. & 4) *verberibus*, quæ quidem nec vitæ nec valetudini noxiosa sunt, Exod. II, 13. Jer. XX, 2. 1 Reg. XXII, 24.

Homicidium crassum est maximum crimen respectu proximi. Committitur vel propria, vel aliena manu, vel violenter vel fraudulenter, vel in contentione vel in duello. Pertinet ad peccata clamantia, Gen. IV, 10. quæ a Deo vindictam efflagitant & sine pœna capitali non remittuntur, Gen. IX, 6.

Atrocius est homicidium, si in personis committitur, quæ vel secundum quartum præceptum præ aliis honorandæ, vel consanguinitate aut proxima affinitate nobiscum conjunctæ sunt. Vocatur plerumque ejusmodi crimen *parricidium*.

Vi oppositi Deus hoc præcepto nobis omnia officia erga proximum injungit, quæ ad conservationem vitæ & sanitatis in omnibus necessitatibus & periculis spectant, Jes. LVIII, 7. Hebr. XIII, 16. Eph. IV, 32. Col. III, 12. 13.

CAPUT

CAPUT XV.
DE
SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Præceptum hoc verſatur circa *cupiditates carnis* & officia *matrimonii*, a Deo ad procreandam ſobolem & reſtinguendam libidinem inſtituti.

Quicquid igitur cum matrimonio pugnat, in ſexto præcepto interdicitur. Hoc ſunt in primis *ſcortatio* & *adulterium*, Hebr. XIII, 4. Gal. V, 19. Utrumque nec *corde*, Matth V, 28. Col. III, 5. 1 Theſſ. IV, 5. nec *geſtibus*, Sir. XXIII, 5. nec *ore*, Eph. IV, 29. 30. c. V, 4. nec *opere*, Gal. V, 19. Eph. V, 3. Rom. XIII, 13. fieri debet.

Virtus abſtinendi ab omni ſcortationis genere vocatur *caſtitas*, quæ intra & extra conjugium præſtanda eſt, ad exemplum Joſephi, Gen. XXXIX, 8-12. & Tobiæ junioris, Tob. VIII, 4-10.

Inprimis in ſexto præcepto conjugibus commendantur *officia matrimonialia*, quæ in evitando adulterio & alterius conjugis contemtu & deſertione conſiſtunt.

Quæritur: *num etiam ebrietas, otium, laſciva ſaltatio, nudatio corporis, commeſſatio, jocatio* &c. *in ſexto præcepto interdicantur?* Reſpondemus, hæc omnia in eo non quidem per ſe, ſed tantum per accidens, quatenus laſciviam creant, Rom. XIII, 14. interdicta eſſe.

Ebrieta-

Ebrietatem ipſa natura vetat. Eſt peſſimum vitium, quod ad omnia officia nos ineptos, coram Deo vero & hominibus turpes & ad quævis peccata proclives reddit. Interdicitur hinc a Deo ſeveriſſime, Jeſ. V, 11. 22. Luc XXI, 34. Rom. XIII, 13. Eph. V, 18. Gal. V, 20. 1 Cor. VI, 10. etſi ejus in decalogo non mentio fiat.

Quæritur porro: *num ludicre tempus conſumere liceat?* Ad oblectandum animum, ſi juſto tempore & ſine ſcandalo fieri poteſt, id omnino licet, Eccl. III, 1 ſeq. Omnis enim oblectatio animi & corporis permiſſa eſt, ſi nec Deus, nec proximus ac noſmet ipſi per eam læduntur. *Deus* læditur, ſi contra ejus legem & voluntatem agimus. *Proximus* læditur, ſi ei vel damno vel ſcandalo ſumus. Nos ipſos lædimus, ſi ſaluti, nomini, ſanitati & vitæ noſtræ nocemus.

CAPUT XVI.

DE SEPTIMO ET OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

S*eptimum præceptum ad bona & fortunas proximi* ſpectat.

Quocunque modo rem alienam invito domino aufero, meamque facio, *furtum* committo. Committitur autem iſtud vel fraudulenter vel violenter, etſi id tantum, quod violento modo auffertur, plerumque furtum nuncupetur.

Nullum

Nullum peccatum majorem deliberationem requirit, nec bono reipublicæ magis adversatur, quam *furtum*, quapropter etiam inter homines non tolerari, sed potius pœna capitali puniri solet. Plerumque ex arbore suspenduntur fures, quod ex Exod. XXII, 1-4. non improbandum est, quia fur nisi ad furandum & occidendum non venit, Joh. X, 10.

Valet hic etiam, quod dici solet: *crescentibus delictis crescunt pœnæ.*

Restitutio ablati ad pœnitentiam furium maxime necessaria est, Luc. XIX, 8. Jes. LVIII, 6. Exod. XXII, 3. Optimum consilium furibus dat Paulus dicens: *Qui furatus est, non amplius furetur, sed laboret & manibus operetur aliquid boni, ut habeat dare pauperi,* Eph. IV, 28.

Non solum autem in septimo præcepto actuale furtum, sed etiam studium furandi interdicitur, quod per varias fraudes, Jer. IX, 5. 1 Thess. IV, 6. Deut. XXV, 13-16. exercetur. Summa hujus præcepti est: *Suum cuique tribuendum est.*

Octavum præceptum versatur circa *officia honoris* proximo præstanda. Interdicitur enim in eo falsum testimonium & omne mendacium, quod adversus proximum vel in judicio vel extra illud dici solet, nec non omne infamandi & calumniandi studium. E contrario præcipitur, ut veritati studeamus & famæ proximi consulamus.

Quæritur hic: *an nullum mendacium concessum sit?* Respondemus affirmando, si de mendacio per se sermo est, Eph. IV, 25. Lev. XIX, 11. Ps. V, 7. Col. III, 9. Si vero finem & circumstantias mendaciorum perpendimus, distinguenda sunt mendacia a *falsiloquiis*. Illa vergunt in perniciem & opprobrium proximi, pugnantque cum charitate ejus, hæc vero, si ex joco decenti, vel ex genuina proximi charitate proferuntur, non ad vera mendacia referenda sunt, nec a Deo in octavo præcepto interdicta.

Huc spectant exempla *obstetricium Ægyptiacarum*, Exod. I, 19. 20. & *Husai*, 2 Sam XV, 34.

Falsiloquia Abrahami, Saræ, Isaaci, Rebeccæ, Josephi, Rahabæ, Davidis &c. rectius prudentes veritatis occultationes ad promovendum bonum & evitandum majus malum, quam mendacia dicenda sunt, quia vox hæc exosa est & semper in malam partem accipitur.

CAPUT XVII.
DE NONO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

In utroque præcepto *prava concupiscentia* interdicitur, quatenus illa ad id, quod proximi est, tendit.

Concupiscentiam originalem Jacobus in Epist. c. I, 15. ab *actuali* distinguit, dum illam

συλλα-

συλλαβοῦσαν, hanc vero *τίκτουσαν ἁμαρτίαν* nominat. Et hæc est illa *prava cupiditas*, quæ appetit, quod proximi est, & in nono & decimo præcepto interdicitur. Agitur de ea Jac. I, 14. 15. Matth. XV, 19. Mich II, 1. 2. 1 Tim. VI, 9. Prov. XXI, 10. Rom. VIII, 12. 13. Gen. IV, 7. Rom. VII, 18 seq. Gen. VIII, 21. Gal. V, 16. 17. 24. Sir. XIX, 30.

Multum operis consumunt Theologi in demonstranda *distinctione pravæ concupiscentiæ* in utroque præcepto interdictæ. Provocant ad Deut V, 18. ubi in præcepto nono extat vox תַחְמוֹד (ne) *concupiscas*, in decimo vero vox תִתְאַוֶּה, (non) *te concupiscere facies*. Inde probare student, in posteriori præcepto fomitem peccati & in priori incendium ejus interdici. Sed admodum exigua est sensus discrepantia, ex duabus hisce vocibus elicienda, si locum Exod. XX, 17. conferimus, ubi in utroque præcepto una eademque vox occurrit, scilicet לֹא-תַחְמֹד, h. e. *ne concupiscas*.

Interim cum *Origine* non statuere debemus, hæc duo præcepta unum tantum esse. Sunt enim probe a se invicem distinguenda respectu *objecti*. In *nono præcepto* interdicitur concupiscentia prava, quæ ad proximi bona immobilia & hæreditaria, in *decimo* vero ea, quæ ad proximi bona mobilia spectat. Valde tamen hæc duo præcepta discrepant a *septimo præcepto*, in quo ipsum furtum & studium furandi interdicitur, cum in *nono* & *decimo* tantum prava cupi-

ditas omnium, quæ proximi ſunt, quatenus actuali conatu deſtituta eſt, prohibetur. Huc ſpectant *invidia* & *avaritia*, quæ fontes ſunt omnis ſtudii conatusque, id, quod proximi eſt, illicito modo ſuum faciendi, 1 Tim. VI, 20. Hac de cauſa etiam utrumque vitium tanto rigore in ſacris literis interdicitur, Rom. XIII, 13. 1 Petr. II, 1. Jac. III, 16. Luc. XII, 15. Eph. V, 3. 5. Hebr. XIII, 5. 1 Cor. VI, 10.

Amor, qui fons omnium officiorum eſt, quæ proximo debemus, fundamentum quoque illius obſequii eſt, quod nonum & decimum præceptum a nobis poſtulat, ut Paulus docet 1 Cor. XIII, 4-7.

Interim ex hiſce duobus præceptis patet, priora ſecundæ decalogi tabulæ præcepta non eſſe tam amplæ ſignificationis, ut vulgo creditur. Deus enim in iis præcipue externa peccata, quæ verbis, geſtibus & operibus committuntur, interdixit, interna vero ad ultima duo reſervavit.

Quo minus autem homines ob imbecillitatem carnis hæc *duo præcepta* ſervare poſſunt, eo magis nobis occaſionem dant, noſmet ipſos peccaminoſi noſtri ſtatus diligenter arguendi, in quotidiana pœnitentia vivendi, de bonis operibus non gloriandi & naturæ noſtræ corruptionem ſemper perſpectam habendi, Rom. VII, 7.

SECTIO

* *

SECTIO II.
DE EVANGELIO.

CAPUT I.
DE EVANGELIO IN GENERE.

Evangelium vox Græca eſt, compoſita ex *εὐ*, *bene*, & *ἀγγέλλειν*, *nunciare*. Significat igitur *bonum nuncium* h. e. eine gute Bothſchafft. Hinc Chriſtus dixit: *pauperibus evangelium annunciatur*, Matth. XI, 5.

Apud profanos ſcriptores hæc vox quatruplicem ſignificatum habet. Significat enim 1) quodvis lætum nuncium 2) præmium, quod pro læto nuncio datur, 3) feſtum ob læta nuncia indictum & 4) ſacrificium pro læto nuncio oblatum.

In ſacris literis *evangelium* non modo doctrinam de ſalute in Chriſto, ſed etiam hiſtoriam Jeſu Chriſti per virum *θεόπνευστον* literis conſignatam ſignificat. Ejusmodi ſcriptores fuerunt Matthæus, Marcus, Lucas & Johannes, qui propterea *evangeliſtæ* nuncupantur. Incipit ideo eorum hiſtoria hiſce verbis: *Τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον*, h. e. *Evangelium ſecundum Matthæum*, *Marcum* &c.

In priori ſenſu *tripliciter* vox evangelii ſumitur, ſcilicet 1) *late* pro tota doctrina cœleſti,

Marc. XVI, 15. Phil. I, 27. 2 Cor. IV, 4. 2) *stricte* pro doctrina de gratuita peccatorum remissione per & propter Christum, Luc. IV, 18. Matth. XI, 5. Rom. I, 16. quapropter etiam evangelium *concio pœnitentiæ* vocatur Luc. XXIV, 47. & 3) *strictissime* pro concione de Christo ejusque merito, Rom. I, 1. 1 Cor. IX, 14. 2 Cor. XI, 7.

Doctrina de remissione peccatorum per & propter Christum jure meritoque *evangelium* h. e. *bonum & lætum nuncium*, vocatur, quia homines in statu suo naturali & peccaminoso non aliter considerandi sunt, quam captivi, ad mortis pœnam condemnati. Sicut igitur ejusmodi captivis nil lætius annunciari potest, quam remissio criminis & liberatio ex captivitate: ita etiam miseris hominibus annunciatio salutis in Christo verum fuit evangelium s. lætum nuncium de liberatione ex spirituali captivitate, Jes. LXI, 1.-3. Zach. IX, 9.-11.

Hi sunt illi *pauperes* & *mortui*, quibus evangelium prædicari debuit, Matth. XI, 5. 1 Petr. IV, 6.

Pontificii plerumque per *evangelium* scripta N. T. & per *legem* scripta V. T. intelligunt. Sed lex & evangelium in ecclesia semper conjuncta fuerunt. Unus idemque justificandi modus fuit in V. & N. T. Act. XV, 11. Ortus inde est Pontificiorum error de Christo, tanquam novo legislatore, & de evangelio, tanquam doctrina operum. Vocant enim evangelium

gelium novam legem, cujus summus observationis gradus a Deo & Christo non mandatus, sed commendatus sit. Inde eorum consilia evangelica & opera supererogationis veniunt, de quibus suo loco agitur.

Synonyma evangelii sunt *mysterium*, Col. I, 26. Eph. III, 9. Luc. VIII, 10. 1 Tim. III, 16. σοφία ἐν μυστηρίῳ, 1 Cor. II, 7. *perfecta lex libertatis*, Jac. I, 25. *lex fidei*, Rom. III, 27. *lex Spiritus*, Rom. VIII, 2. ἀνεξιχνίαστος πλοῦτος τοῦ Χριστοῦ, Eph. III, 8.

Præcipuæ *affectiones* ejus sunt *sublimitas* cujus respectu *mysterium* vocatur, *suavitas*, Matth. XI, 28.-30. & *summa efficacia*, Rom. I, 16.

CAPUT II.

DE AUCTORE EVANGELII.

Auctor evangelii est ipse *Deus*. Hic fuit primus quasi evangelista, cum in paradiso lapsis protoplastis promissionem de semine mulieris, serpentis caput conterente, dederit, Gen. III, 15.

Hoc semen mulieris fuit Christus de Maria virgine ex Spiritus S. divina operatione verus homo genitus, Luc. I, 31. 35. Gal. IV, 4.

Serpens h. l. est diabolus, qui sub nomine serpentis primos homines in paradiso seduxit & sub suam potestatem redegit, ex qua potestate ut liberentur, Col. I, 13. 14. Christus infensis-

 simum

ſimum hunc hoſtem vicit, Col. II, 15. Hebr. II, 14.

Hoc per *contritionem capitis* ejus indicatur. הוּא יְשׁוּפְךָ ראשׁ, dixit Deus ad diabolum, h. e. *iſtud* (ſcilicet ſemen) *conteret tibi caput.* Sunt verba hæc locutio metaphorica & allegorica, a ſerpentis natura deſumta. Sicut enim venenato hoc animali non aliter quam, contrito ejus capite, potiri poſſumus, quia iſtud ob mortiferum morſum valde metuendum eſt: ita etiam ab infernalis ſerpentis morſibus Chriſtus nos liberare voluit *conterendo caput ejus*, h. e. opprimendo ejus potentiam & poteſtatem, pedibusque ſuis ſubmittendo. Hoc tamen non ſine læſione victoris fieri potuit. Hinc Deus verbis ſuis addit: *& tu conteres ei calcaneum*, h. e. tu vero Chriſti calcaneum morſu tuo vulnerabis.

Factum hoc eſt, cum Chriſtus in diebus carnis ſuæ tot convitiis & vulneribus, imo tandem ipſa morte violenta inſtinctu Satanæ afficeretur. Dicitur propterea ſanguine ſuo nos redemiſſe, 1 Petr. I, 19. Apoc. V, 9.

Hoc *primum evangelium Dei* multoties poſtea repetitum, illuſtratum & clarius redditum eſt a Deo in ſcriptis Moſis & prophetarum, Rom. XVI, 26 usque dum Chriſtus ipſe venit, qui non modo implevit iſtud, ſed etiam, tanquam maximus propheta, omnia, quæ evangelium continet, nobis perſpicue revelavit & applicavit, Luc. IV, 16.-22. Joh. I, 18.

Prima

Prima ideo vox Christi, cum evangelium prædicaret, hujus tenoris erat: *Tempus impletum est & regnum Dei incepit; pœnitentiam hinc agite & credite in evangelium*, Marc. I, 15. Matth. IV, 17.

Ipse *Spiritus S.* multum ad prædicandum evangelium confert, dum operationibus suis ministros ecclesiæ idoneos reddit ad rite & recte fungendum officio suo sacro, 2 Cor. III, 3. 6.

Etsi autem *ministri ecclesiæ* ii sint, qui evangelium prædicare solent, non tamen propria auctoritate, sed nomine Dei & Christi, a quo ad ministerium sacrum constituti sunt, id faciunt, 1 Cor. IV, 17. c. XII, 28. Eph. IV, 11. 12. Gal. I, 11. 12. quapropter etiam dispensatores ejus vocantur, 1 Cor. IV, 1. Tit. I, 7.

Non igitur aliud annunciare debent hominibus evangelium, quam quod a Deo revelatum est. Paulus hinc jure meritoque maledictum pronunciat quemcunque, qui aliud evangelium prædicaturus sit, quam quod jam ex revelatione divina prædicatum sit, Gal. I, 8.-12. Ne quidem angeli Domini hic excipiendi sunt, quorum aliqui interdum a Deo extraordinarie ad annunciandum evangelium olim missi sunt, Luc. I, 30 seq. cap. II, 9 seq. Marc. XVI, 5 sq. Act. I, 10. 11.

CAPUT III.

DE SUMMA EVANGELII.

Summa evangelii eſt doctrina de Jeſu Chriſto ejusque ſatisfactione & applicatione per fidem.

Continet itaque omnia, quæ ad conſequendam gratiam divinam, adeoque ad ſalutem æternam ſpectant, & ab hominibus credi & obſervari debent.

Huc referendi ſunt *omnes fidei articuli*, qui de Jeſu Chriſto, fide, juſtificatione, ſanctificatione, mediis gratiæ, eccleſia, reſurrectione mortuorum & vita æterna agunt.

Objectum evangelii eſt homo peccator, *finis* vero reconciliatio ejus cum irato Deo per fidem in Chriſtum ejusque meritum.

Principium evangelii eſt conſilium & decretum Dei de redimendo, juſtificando & ſalvando genere humano, Act. XX, 20. 21. cap. II, 23. Eph. I, 3.-6.

Hujus reſpectu Deus cum lapſis hominibus *fœdus gratiæ* fecit, quod duplicem œconomiam ſ. diſpoſitionem teſtamentariam habet, quæ *vetus* & *novum teſtamentum* vocantur & per duos Abrahami filios, *Iſmaelem* a ſerva Hagar, & *Iſaacum*, a vera uxore Sara genitum, adumbrantur, Gal. IV, 22.-24.

Hebræi per vocem ברית, & Græci per vocem διαθήκη tam *fœdus*, quam *teſtamentum* exprimunt. Ambo conveniunt reſpectu diſpoſitionis

nis bonorum, quæ in utroque fit, differunt autem respectu modi & temporis. *Fœdus* plus comprehendit, quam *testamentum*. Illud magis promittit, quam dispensat, & hoc magis dispensat, quam promittit. Prius etiam minus & posterius magis restrictum est.

In doctrina evangelii *fœdus* & *testamentum* inter se differunt ut genus & species. *Fœdus* continet *testamenta*, quæ, ut supra audivimus, certas œconomias significant, secundum quas Deus bona gratiæ suæ per & propter Christum diversimode dispensat. Hæc *bona* versantur circa justificationem & sanctificationem, quare dicere possum: *in Domino habeo justitiam & robur*, Jes. XLV, 24.

Duplex datur *testamentum* s. *œconomia fœderis divini*, ut supra indicavimus, scilicet *Vetus* & *Novum Testamentum*.

Vetus Testamentum ea est œconomia s. dispensatio bonorum spiritualium, quæ ante Christi adventum sub variis typis facta est; *Novum* vero *Testamentum* ea œconomia s. dispensatio, quæ post mortem Christi sine typis facta est.

Oeconomia V. T. strictissime sumti incepit in monte Sinai, Deut. V, 2. 3. Jer. XXXI, 32. Hebr. IX, 18 - 20. Gal. IV, 24. & desiit tempore adventus Christi, Hebr. IX, 11. Gal. III, 19. 23. Ante promulgationem legis Mosaicæ erat œconomia patriarchalis.

Oeconomia

Oeconomia N. T. incepit festo Pentecostes & durat usque ad mundi finem.

Mediator V. T. erat Moses, Joh. I, 17. Deut. V, 5. Gal. III, 19. & *mediator N. T.* Christus, Joh. IX, 15. Joh. I, 17. 1 Tim. II, 5.

CAPUT IV.
DE
DIFFERENTIA EVANGELII IN VETERI ET NOVO TESTAMENTO.

Evangelium in *Veteri Testamento* æque ac in *Novo* locum habuit. Non in alio enim nomine salus datur, quam in nomine Christi, Act. IV, 12. Hinc etiam Petrus de neo-conversis christianis testatur, illos per eandem gratiam Domini salvos fieri, per quam majores eorum in Judaismo salvi facti sint, Act. XV, 11. Hæc salus autem cum præcipuum sit, quod evangelium proponit, quis non credat, doctrinam evangelicam in V. T. æque ac in N. T. locum habuisse?

In antecedente capite originem & antiquitatem evangelii satis demonstravimus. Statim post lapsum primorum parentum istud cœpit, cum Deus in paradiso promissionem de semine mulieris, caput serpentis contrituro, dederit, Gen. III, 15. Hanc promissionem secutæ sunt plures aliæ per prophetas, quarum præcipuæ occurrunt, Gen. XII, 3. c. XVIII, 18. c. XXII, 18. c. XXVI, 4. c. XLIX, 10. Deut. XVIII, 15 - 18. Jes.

Jes. VII, 14. c. IX, 6. 7. c. XI, 1. 2. c. XXXV, 5. 10. c. L, 4-7. c. LIII, 2-12. c. LX, 1-7. c. LXI, 1-3. Jer. XXIII, 5. 6. c. XXXI, 22. c. XXXIII, 15. Dan. IX, 24-26. Hos. XIII, 14. Mich. V, 1. Hagg. II, 8. Zach. IX, 9. c. XIII, 1. Mal. III, 1. c. IV, 2. item in Psalmis II. VIII. XXII. XL. XLV. XLVII. LXVIII. LXIX. CX. &c.

Huc spectant etiam *leges ceremoniales*, quæ quidem, quatenus certas actiones & ritus præcipiebant, vim legis habebant, recte tamen evangelio accenseri poterant, quia simul Christum mediatorem ejusque meritum fide apprehendendum sub certis ritibus, velut typis & umbris, repræsentabant.

Requirebatur propterea etiam ab omnibus, qui in V. T. salvi fieri volebant, *fides in Messiam*, sine qua nemo tunc justificabatur, Rom. IV, 1-14. Gal. III, 6-14. Hebr. XI.

Abraham, qui per fidem, quam jam habuit, antequam circumcisionis signum accepit, justificatus esse dicitur, Gen. XV, 6. vocatur hac de causa *pater omnium, qui credunt in præputio*, ad significandum, omnem justificationem oriri ex fide in Christum, Rom. IV, 11.

Interim omnino datur *differentia inter œconomiam evangelicam Veteris & Novi Testamenti.* Differunt enim inter se 1) respectu *promissionis & exhibitionis bonorum.* In V. T. utraque facta est sub pignore bonorum temporalium, in N. T. vero

vero nude fit & fine hoc pignore, Hebr. IX, 11-15. at non cum exceptione crucis, Hebr. XII, 11. vult tamen Deus temporalia spiritualibus ultro addere, Matth. VI, 33.

Differunt œconomiæ evangelicæ V. & N. T. 2) *respectu adumbrationis typicæ & impletionis antitypicæ*, Hebr. VIII. IX. & X. In V. T. confirmabatur fœdus gratiæ morte victimarum, in N. T. vero morte Christi, Hebr. IX, 12-14. 1 Petr. II, 24. Nominat idcirco Jesus suum sanguinem *sanguinem novi testamenti*, Matth. XXVI, 28.

Differunt 3) *respectu cultus divini*, Joh. IV, 23. In V. T. cultus divinus jugum durum erat, Act. XV, 10. Gal. V, 1. in N. T. vero est jugum leve & mite, Matth. XI, 29. 30.

Differunt 4) *respectu objecti*; quod quidem in utraque œconomia *Christus* fuit, sed cum hac differentia, ut in V. T. iste, tanquam promissus & vario modo adumbratus Salvator fiducialiter expectetur, Ps. XIV, 7. Mal. III, 1. Luc. II, 25. Matth. XI, 3. in N. T. vero ut tanquam Salvator, qui in persona Jesu Nazaræni vere in mundum venit & omnia, quæ ad nostram redemptionem spectabant, perfecit, Hebr. IX, 11. Joh. I, 26. 27. 45. c. IV, 25. 26. c. XI, 27. 1 Tim. I, 15. Matth. XVI, 16. Hebr. XII, 2. vera fide apprehendatur.

Differunt 5) *respectu status & indolis fidelium*, qui in V. T. impuberes erant & sub lege ceremoniali, tanquam pædagogo, versabantur,

Gal.

Gal. III, 23. 24. c. IV, 1-3. in N. T. vero adulti liberi dicuntur, Gal. III, 25-29. c. IV, 4-7.

Merentur hic allegari verba B. GERHARDI, qui in *Loco de Evangelio* §. 37. ita ſcripſit: *Quamvis unum idemque evangelium ſit in V. & N. T. tamen evangelicæ promiſſiones ſubinde clarius expoſitæ & illuſtratæ ſunt, donec tandem plena lux in N. T. oriretur. Eſaias certe tantam cognitionis lucem habuit, quantam in nemine anteceſſorum animadvertere poſſumus. Quin imo reſpectu ad lucem N. T. habito doctrina de Meſſia in V. T. confertur nocti & tenebris, nimirum* κατὰ σύγκρισιν: *fuit enim figuris & umbris tecta, quarum involucris remotis clariſſimum cognitionis jubar in N. T. effulſit, quæ proinde diei comparatur.*

CAPUT V.

DE CONVENIENTIA EVANGELII CUM LEGE ET EJUS DISCREPANTIA AB EA.

Si de convenientia Evangelii cum Lege agitur, per *legem* tantum *lex moralis*, in decalogo contenta, intelligitur.

Hæc lex *concordat* cum evangelio 1) quoad *auctorem*, qui utrinque Deus eſt, quem propterea & ſummum legislatorem & ſummum evangeliſtam nominare poſſumus.

Concordant lex & evangelium 2) quoad *ſubjectum*, cui data ſunt. Hoc ſunt omnes homines. Lex enim ipſis cordibus hominum inſcripta

pta eſt, Rom. II, 14. 15. evangelium vero diverſis vicibus toti humano generi quaſi promulgatum. *Quatuor* inſignes *periodi temporis* hic notandæ ſunt. Obtigit enim toti hominum generi ſalus evangelii a) in *Adamo*, Gen. III, 15. b) in *Noacho*, Gen. IX, 9. ſq. c) per *eccleſiam Iſraeliticam*, in toto terrarum orbe celebrem, & d) per *apoſtolos*, univerſum mundum ſua prædicatione replentes, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Rom. X, 18.

Concordant 3) quoad *finem*, qui eſt ſalus æterna. *Lex* propterea dicitur ad vitam data eſſe, Rom. VII, 10. ſed tamen ſub conditione perfectæ impletionis, Luc. X, 28. Gal. III, 12. *evangelium* vero omnibus peccatoribus gratiam Dei ſalutemque æternam in Chriſto Jeſu fide apprehenſo annunciat. Vocatur ideo potentia Dei ad ſalutem, Rom. I, 16. Per accidens autem *lex* vergit in mortem, Rom. VII, 10. & *evangelium* fit odor mortis ad mortem, 2 Cor. II, 16. 1 Cor. I, 18.

Concordant denique 4) quoad *durationem*. Durant enim ambo usque ad finem mundi. *Lex*, etſi homines non juſtificet, tamen non abrogatur, Rom. III, 31. Matth. V, 17. 1 Tim. I, 8. & *evangelium* in æternum manebit, Luc. XXI, 33. prædicabiturque usque ad mundi interitum, Matth. XXIV, 17.

Interim non negandum eſt, *legem* & *evangelium* valde quoque inter ſe differre.

Differt

Differt enim evangelium a lege 1) *respectu patefactionis*, quia lex naturæ inscripta, evangelium vero naturæ incognitum est, quapropter etiam mysterium vocatur, Rom. XVI, 25, 2) *respectu objecti*, quia lex circa agenda & omittenda, evangelium vero circa credenda versatur; 3) *respectu argumenti*, quia lex præstanda officia, evangelium vero divina beneficia proponit; 4) *respectu promissionum*, quæ in lege compensatoriæ, in evangelio vero gratuitæ sunt; 5) *respectu operationum*, dum lex postulat, evangelium donat; lex jubet, evangelium rogat & invitat; lex terret & minatur, evangelium vero promittit & consolatur; lex peccatorum agnitionem, evangelium vero eorum remissionem dat; lex accusat & damnat, evangelium vero absolvit; lex denique concio justitiæ & sanctitatis, evangelium vero concio gratiæ est; & denique 6) *respectu applicationis*; dum lex securis & petulantibus peccatoribus, ut ad contritionem perducantur, evangelium vero contritis & pœnitentibus peccatoribus, ut fidem concipiant & solatio afficiantur, proponi solet.

Ex hisce satis apparet, legem & evangelium diversas quidem, sed non adversas esse doctrinas. Magnam enim inter se habent harmoniam. In primis ambo conjungenda sunt 1) in *opere conversionis*, ubi lex homines ad concipiendam fidem præparat, evangelium vero fidem in iis accendit & conservat; & 2) in *opere re-*

novationis; ubi lex docet, quæ vel agenda vel omittenda ſunt, evangelium vero vires ſpirituales, fidem per bona opera demonſtrandi, ſuppeditat.

CAPUT VI.

DE EFFICACIA EVANGELII.

Liberi hujus mundi parvi quidem faciunt evangelium, iſtudque in oculis eorum aliquid ſtolidi eſt, 1 Cor. I, 18. 21. Nihilo minus tamen iſtud per ſe plenum virtutis divinæ eſt, gaudetque vi ſalvificandi omnes, qui in illud credunt, Rom. I, 16. 1 Cor. I, 18. 21.

Quod de *verbo Dei* in genere dici ſolet, id in ſpecie de *evangelio* valet. Habet ſalutarem efficaciam in ſe, ut granum tritici, aut alius frumenti, Luc. VIII, 5-8. Hoc etſi exigui quid in oculis noſtris eſt, egregiam tamen progerminandi vim præſtat, ſi in terræ ſolum immittitur. Optime hinc comparari poteſt cum verbo evangelii. Fert hoc centuplum fructum, ſi attente auſcultatur & in corde, fidei pleno, conſtanter retinetur, Luc. VIII, 15.

Præcipua evangelii efficacia ad ſalutarem Chriſti cognitionem ejusque applicationem & inde ſperandam vitam æternam ſpectat. Datur hinc *triplex* evangelii *virtus*, ſcilicet 1) illuminandi, 2) juſtificandi & 3) ſalvificandi.

Primum,

Primum, quod evangelium in hominibus efficit, est *salutaris Christi cognitio*. Nisi evangelium nobis prædicatum fuisset, de Christo nil nobis innotuisset. Dicitur ideo doctrina de eo mysterium, Rom. XVI, 25. 26. 1 Cor. II, 7. Col. I, 26. Sicut autem cognitio Jesu Christi ad vitam æternam nobis viam parat, Joh. XVII, 3. ita jure meritoque salutaris dicenda est. Unde vero cognitionem hanc nanciscamur, nisi evangelium nobis omnia, quæ de Christo ejusque redemptione & merito cognitu necessaria sunt, revelet? Rom. X, 14. c. I, 17. Per ejusmodi cognitionem intellectus noster omnino illuminatur, 2 Cor. IV, 6. Eph. I, 8. quatenus scilicet per eam tenebræ ignorantiæ tolluntur, lux vero salutaris in intellectu accenditur. Jure meritoque hinc evangelium *lux lucens* dici potest, 2 Cor. IV, 4. 2 Petr. I, 19. Ps. XXXVI, 10. Ps. CXIX, 105. Prov. VI, 23.

Alterum, quod evangelium in nobis operatur, est *applicatio Christi ejusque meriti*. Per hanc intelligimus fiducialem apprehensionem Christi ejusque meriti, quæ nos justificat, h. e. justos coram Deo reddit, Rom. VIII, 1. c. X, 4. nosque a peccatis absolvit, Rom. V, 18-21. *Fides* manus quasi est, qua Christum ejusque meritum apprehendimus, Rom. III, 25. Gal. II, 20. hæc autem cum per verbum evangelii oriatur, Rom. X, 17. jure meritoque evangelio virtus justificandi tribuitur. Per istud enim

omnis gratia Dei nobis non modo offertur & præsentatur, sed etiam, dum genuinam fidem, tanquam medium ad gratiam perveniendi, in nobis operatur, revera confertur. Est itaque evangelium plenum solatii. Excitat nos ad veram pœnitentiam, refocillat animum in omnibus afflictionibus, & certos nos reddit de gratia Dei remissioneque peccatorum.

Tertium, quod efficaciæ evangelii debemus, est *vita æterna*. Reddit enim nos in æternum beatos, s. vera fide omnia accipimus, quæ de Christi merito & via salutis nos docet, Rom. I, 16. 1 Cor. I, 21. c. XV, 2. Jac. I, 21. Plura de hac virtute alibi dicuntur.

LIBER

LIBER XIII.

DE SACRAMENTIS.

Cum *ſacramenta* non modo ad myſteria fidei, ſed etiam ad media gratiæ pertineant, & tam in V. T. quam in N. T. locum habeant, doctrina hæc optime in *quatuor ſectiones* dividi poteſt. Agemus igitur 1) *de ſacramentis in genere*, 2) *de ſacramentis V. T.* 3) *de baptiſmo* & 4) *de ſacra cœna.*

* *

SECTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NOMINE SACRAMENTI.

Vox *ſacramenti* non eſt biblica, ſed tantum eccleſiaſtica, quia in ſacris literis non expreſſe occurrit.

Eſt originis latinæ & derivatur a *ſacer*, quæ vox de rebus, cultui divino dicatis, uſurpatur.

In Hebræa & Græca lingua nondum repertum eſt vocabulum, quod accurate exprimat ſignificatum ejusmodi ſacræ actionis, quam

 ſacra-

sacramentum dicere solemus. Interpres quidem latinus vocem μυστήριον Eph. V, 32. per *sacramentum* transtulit, sed ibi de non alia re, quam unione mystica agitur.

Merentur hic allegari verba B. GERHARDI *in Lib. de Sacram.* §. 5. ita scribentis: *Quamvis vox sacramenti in latina bibliorum versione occurrat, proprie tamen & specifice non usurpatur de externis illis ac visibilibus gratiæ signis, de quibus hoc loco agimus, sed a scriptoribus ecclesiasticis ad ea demum translata est.*

Apud profanos scriptores *sacramentum* significat 1) pecuniam a litigantibus in judicio depositam, 2) sponsionem pecuniæ ab eo solvendæ, qui causam in judicio amisit, & 3) juramentum a militibus præstitum; apud scriptores vero ecclesiasticos indicat 1) omnem rem arcanam s. mysterium, 2) orationis dominicæ summa capita & 3) quodvis rei sacræ signum.

TERTULLIANUS primus ex patribus primitivæ ecclesiæ fuit, qui *in Lib. de corona militis* vocem sacramenti ita, ut jam in ecclesia consuetum est, usurpare cœpit. Iste ex scriptis profanis, ubi *juramentum militare* sacramentum vocatur, occasionem sumsit, actum, quo baptizandi homines Deo fidem obligant, & sub vexillis Christi fideliter & strenue contra diabolum pugnaturos esse religiose promittunt, *sacramentum* nominandi. Inde factum est, ut postea non solum ipse baptismus, sed etiam sacra cœna ita appellata sit. CYPRIANUS primus

primus fuit, qui Tertullianum in hujus significatus usu secutus est.

Triplex autem in ecclesia datur vocis sacramenti *significatio*, scilicet impropria, propria & propriissima. *Improprie* de quacunque re sacra & arcana, *proprie* (uti *in Apolog. Aug. Confess. p. 167.* fit,) de absolutione a peccatis & *propriissime* de circumcisione, agno paschali, baptismo & sacra cœna usurpatur.

Per se *absolutio a peccatis* non *proprie* sacramentum nuncupari potest. Fit *in Apol. Aug. Conf.* tantum respectu Pontificiorum eorumque spuriorum sacramentorum, de quibus infra plura dicentur. Alias etiam sacramenta *in Aug. Confess. Art. XIII.* partim *notæ professionis inter homines*, partim *signa & testimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam & confirmandam fidem in iis, qui utuntur, proposita*, nominantur.

Accurate loquendo *sacramenta*, propriissime sic dicta, sunt actiones divinitus institutæ & circa aliquod elementum externum & visibile occupatæ, per quas accedente verbo institutionis gratia evangelii de remissione peccatorum & consequenda vita æterna iis, qui rite utuntur istis, confertur & obsignatur.

Dividuntur in *sacramenta initiationis* & *confirmationis*. Illa sunt circumcisio & baptismus, hæc vero agnus paschalis & sacra cœna.

CAPUT II.
DE
AUCTORE SACRAMENTORUM.

Auctor sacramentorum est *Deus* & *Christus*. Pertinent enim ad media gratiæ divinæ, quæ non aliunde, quam a Deo ipso impetranda sunt, quippe qui solus gratiæ auctor est, Eph. I, 3, Hebr. XII, 2.

Deus in V. T. & *Christus*, Filius Dei, in N. T. ista non modo instituit, sed etiam, qua ratione & quibus ritibus celebrari debent, ordinavit, nec non usum eorum præcepit, iisque vim salutiferam indidit.

Neutiquam igitur *ecclesia* potestatem habet, nova sacramenta instituendi, ut Pontificii perhibent. Christus versabatur quidem in statu exinanitionis suæ, cum sacramenta N. T. institueret, sed tunc jam omnem illam habebat potestatem, de qua gloriatur, Matth. XXVIII, 18.

Jure meritoque hinc *divinæ actiones* vocari possunt sacramenta, quia non modo divinæ originis sunt, sed etiam in nomine Dei a ministris verbi divini administrantur.

Commovit Deum & Christum ad ea instituenda summa ejus gratia & benignitas erga miserum genus humanum, cui ob infirmitatem naturalem sine visibili fidei objecto difficile est, non modo in invisibilem Deum credere, sed quoque ejus promissiones evangelicas de remis-

fione peccatorum & salute æterna vera fiducia assumere.

Dicuntur ideo sacramenta non modo *instrumenta gratiæ divinæ*; quibus ista nobis confertur & applicatur, sed etiam *signa* & *sigilla gratiæ*, quibus imbecillorum animus corroboratur & de accepta gratia confirmatur.

Cum itaque Deus & Christus solus sacramentorum auctor sit, sequitur, ab hominibus in iis, quæ ad eorum substantiam spectant, nihil mutandum esse. Habent formam *testamenti*, cui contra expressam testatoris voluntatem Gal. III, 15. nec aliquid addi, nec aliquid detrahi debet.

Errant hinc *Pontificii*, multa circa ritus sacramentorum mutantes, verbaque institutionis corrumpentes & perperam interpretantes. Provocant quidem ad 1 Cor. XI, 34. & Matth. XVIII, 17. sed quis velit ex hisce locis probare, in ecclesiæ ejusque ministrorum potestate situm esse, actiones divinitus institutas suo arbitratu mutare sensumque divinum detorquere? Agunt enim citata loca biblica non de rebus fidei & sacramentis, sed de adiaphoris & ceremoniis ecclesiasticis, ad externi cultus divini bonum ordinem spectantibus.

CAPUT III.
DE MATERIA SACRAMENTORUM.

Per *materiam* h. l. nil aliud intelligitur, quam res externa, circa quam sacramentum ver-

ſatur. Alias hæc materia etiam *elementum ſ. ſymbolum externum* & *viſibile* vocatur, ad quod ſimul a nonnullis *actio*, circa iſtud occupata, refertur, quæ tamen non ad materiam, ſed ad formam ſacramenti pertinet.

Quidam contendunt, in quolibet ſacramento *duplicem* dari *materiam*, ſcilicet *terrenam* & *cæleſtem*. Sed multum difficultatis habet hæc hypotheſis. In ſacra cœna quidem cœleſtis materia adeſt, at non in cæteris ſacramentis, in quibus quidem res ſpiritualis datur & confertur, quæ autem non ſubſtantialiter-cœleſtis eſt, uti in ſacra cœna.

Si in quolibet ſacramento præter materiam terrenam etiam cœleſtis detur, unio quoque inter utramque daretur. At qualis ſit unio ſacramentalis inter terrenam & cœleſtem materiam in circumciſione, agno paſchali & baptiſmo, cum hæcce ſacramenta per externa ſigna homines tantum de gratia Dei per Chriſtum impetrata certos reddant, fidemque noſtram confirment? Conferuntur per ea quidem hominibus varia bona evangelica, e. g. remiſſio peccatorum, pax & filiatio Dei, ſpesque æternæ ſalutis; ſed hæc bona non ſunt res ſubſtantiales.

Recte hinc B. MENZERUS *Tom. II. Diſpp. Giſſ. Diſp. V. p. 164.* de materia cœleſti & terrena ſacramentorum & de utriusque unione contra Calvinianos diſputans ſcripſit: *Generalem unionis illius modum ac rationem omnibus & ſingulis ſacra-*

sacramentis V. & N. Test. promiscue communem definire velle, vere est pugnare cum ipsa institutione singulorum sacramentorum. His concessis satius esse duxit B. BAIERUS in *Compend. Theol. Posit. p. 645.* uti de unione generali duplicis materiæ, sic quoque de ipsa materia cœlesti sacramentorum silere, quam dubia dicere.

Ego sententiam B. ÆGIDII HUNNII, quam in responsione ad quæstionem: *Quot requiruntur ad substantiam vel integritatem substantialem cujusque sacramenti?* declarat, meam facio. Ita enim ad dictam quæstionem respondet: *Duo requiruntur, videlicet elementum seu res in oculos incurrens, & verbum adjunctum, juxta illud Augustini: accedat verbum ad elementum & fiat sacramentum.*

Malunt quidem B. BAIERUS aliique Theologi *verbum institutionis* ad formam, quam ad materiam sacramenti referre. Verum in sequenti capite satis probaturi sumus, quid proprie cujuscunque sacramenti genuinam formam constituat.

Sola *res terrena* & *visibilis* non sufficit ad materiale alicujus sacramenti. Præputium, agnus assatus, aqua, panis & vinum ubique dantur, darique possunt; sed quis has res terrenas per se consideratas materiam sacramentalem dicere velit, cum varium usum habeant & haud raro peccatoribus occasionem male faciendi præbeant?

Symbola sacramentorum non tantum signa significantia, sed simul exhibentia sunt. Solet quidem

dem ad confutandos Calvinianos a multis Theologis distingui inter sacramenta Veteris & Novi Testamenti; at utriusque Testamenti sacramenta exhibent & conferunt gratiam Dei promissam.

CAPUT IV.

DE FORMA SACRAMENTORUM.

Forma sacramentorum est id, quod substantiam eorum constituit. Hoc est ipsa actio circa elementum sacramentale juxta verba institutionis occupata.

Hæc actio *duplicem* habet *respectum*. Spectat enim vel ad personam, sacramentum administrantem, vel ad personam sacramento utentem.

Sunt, qui propterea ex actione sacramentali *duplicem* faciunt *actionem*, aliam δοτικὴν, aliam ληπτικὴν, alias *dationem* & *acceptionem* dictam. Prior est *actio administrantis*, qui præputium amputat, agnum paschalem præparat, aquam baptismalem spargit & consecratum panem vinumque distribuit; posterior vero est *actio utentis*, quæ vel mere susceptiva, ut in circumcisione & baptismo, vel simul activa est, ut in agno paschali & cœna dominica. Utraque actio conjungi debet in quolibet sacramento, si istud formam veri sacramenti habere debet. Nam extra usum non est sacramentum.

Non

Non accurate itaque loquuntur, qui cum B. Baiero *in Comp. Theol. Pos. p. 648.* verbum institutionis formam sacramenti nominant, quia melius ad materiam ejus refertur & ejusdem norma vocatur.

B. Wandalinus *in Brevi Exposit. Theol. p. 236.* duplicem sacramenti *formam* statuit, aliam *internam*, quæ sit unio sacramentalis inter rem cœlestem & visibile elementum, aliam *externam*, quæ sit actio sacramentalis. Hæc distinctio fundatur hypothesi de materia cœlesti, quam B. Wandalinus fovet, plurimi Theologi vero rejiciunt.

Calviniani maxime circa sacramentorum formam errant, quando eam in sola *fide* ponunt. Docent enim, sacramentum extra salutarem usum non esse sacramentum. At fides sacramentum quidem nobis salutare reddit, neutiquam vero istud constituit, alias omne, quod per fidem nobis applicamus, sacramentum dicendum foret.

Iidem prorsus negant, sacramentum aliud quid esse, quam *sacræ rei signum.* Provocant propterea ad *Augustini definitionem sacramenti*, qui illud invisibilis gratiæ visibile signum nominavit. At hoc non vera definitio, sed tantum descriptio, a fine petita, dicenda est. Nihilominus formam sacramenti in relatione signi ad signatum quærunt. Qui itaque non in fide accepit baptismum & sacram cœnam, ab iis quoque non creditur hisce sacramentis usus esse.

CAPUT

CAPUT V.

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM.

Ad genuinam sacramentorum *administrationem* pertinent hæc *duo*, scilicet 1) *consecratio rei sacramentalis* & 2) *actus sacramentalis*.

Res s. materia sacramentalis per se profana est. Ut vero sacra reddatur, a communi profanoque usu separari & ad sacramentalem usum destinari præpararique debet. Hoc plerumque fit per verborum institutionis rectam recitationem, cæterorumque rituum, qui actui sacramentali præcedunt, legitimam observationem. Omnia hæc nomine *consecrationis* comprehenduntur.

Actus sacramentalis consecrationem sequitur. Respectum habet ad eum, qui sacramento utitur. Hujus ut homo particeps reddatur, actus sacramenti juxta institutionem divinam peragi debet. Sola enim consecratio non sacramentum constituit, sed consecratæ materiæ sacramentalis usus legitimus, qui in recta & justa sacramenti administratione & distributione consistit.

Ad administrationem sacramentorum accurata observatio non modo eorum *rituum*, qui a Deo & Christo mandati sunt, sed eorum etiam, quos orthodoxa ecclesia, ut omnia *εὐσχημόνως* fiant,

fiant, 1 Cor. XIV, 40. ordinavit, pertinet. Hinc nullus ecclesiæ minister aliquid in ejusmodi ritibus ecclesiasticis circa sacramenta propria auctoritate mutare debet, quia talis rituum externorum ordinatio & mutatio ab ecclesia & & penes quem regimen ecclesiæ est, dependit.

Ii, quibus sacramentorum administratio incumbit, sunt in N. T. *ministri verbi divini*, Eph. IV, 11. 12. qui propterea *dispensatores mysteriorum Dei* vocantur, 1 Cor. IV, 1.

Praxis ecclesiæ christianæ hoc per omnia tempora confirmat. Christus, cum baptismum instituerit, solis suis apostolis & discipulis administrationem ejus demandavit, Joh. III, 26. cap. IV, 2. Matth. XXVI, 26. 27. qui etiam se postea cum omnibus primitivæ ecclesiæ doctoribus & ministris, utpote qui in eorum locum successerunt, in administratione sacramentorum occupatos præstiterunt.

Non nisi in casu summæ necessitatis *alii homines* interdum sacramenta administrarunt; quod etiam nostro adhuc tempore fieri solet, sed tantum respectu solius baptismi, quia iste summe necessarius est.

In V. T. sacramentorum administratio penes *patrem familias* erat, qui in domo sua sacerdotem agebat. Postea cum cultus Leviticus introduceretur, sacramentorum administratio *Levitis* demandabatur, apud quos ea mansit, post captivitatem Babylonicam, etsi ritus sacramentorum & inprimis agni paschalis aucti sint.

Ad

Ad genuinam & efficacem sacramentorum administrationem neutiquam *administrantis ministri dignitas & intentio* requiritur, quod contra *Pontificios* notandum est, qui sacramentorum efficaciam & veritatem prorsus negant, nisi a vero sacerdote, qui intentionem habet, sacramentum legitime dispensandi, administratum sit. At quis sui baptismi & veræ fruitionis sacræ cœnæ certus esse queat, si ab intentione & conditione personæ, qui sacramentum administrat, veritas & efficacia dependeat? Eandem rationem hic habent sacramenta, quam verbum Dei, cujus efficacia neutiquam a ministri dignitate & sanctitate dependet, Phil. I, 15-18. Matth XXIII, 3.

Distingui alias solet inter *finem operis & finem operantis.* Si deest *finis operis* administratio sacramenti non legitima est, etsi consuetis ritibus fiat, e. g. si aliquis ex joco aut in scena publica baptismum aut sacram cœnam administrare vellet. Defectus autem *finis operantis* in legitimo sacramenti actu nil ipsi sacramento derogat.

CAPUT VI.

DE FINE ET EFFICACIA SACRAMENTORUM.

Sacramenta sunt *media gratiæ.* Hinc iis etiam non efficacia salutaris deneganda est.

Hæc

Hæc *efficacia* dependet a Dei *promissionibus*, quibuscum instituta sunt. Si itaque rite & recte usurpantur, promissiones divinæ implentur. Partim conferunt, partim confirmant gratiam Dei, quatenus scilicet vera fide iis utimur. Adesse igitur in adultis jam debet *fides*, antequam ad sacramentum accedimus, si gratiæ Dei per istud participes fieri volumus. Sine fide enim sacramentum non efficax esse potest. Hinc fides non solum a baptizandis, Marc. XVI, 16. & qui sacra cœna utuntur, 1 Cor. XI, 28. 29. requiritur, sed fide etiam opus erat in sacramentis V. T. si prodesse debebant, Rom. IV, 11. Hebr. XI, 28.

Quamvis vero *gratia divina* cum *fide* plerumque conjuncta sit, fides tamen semper gratiæ Dei præcedit. De sacramentis quidem perhibetur, quod gratiam divinam conferant. At hic per gratiam divinam non favorem Dei, sed beneficia evangelica intelligere debemus.

Hæc gratia, hæcque beneficia non ex opere operato per sacramenta conferuntur, sed quatenus fides accedit. *Pontificii* id negant, in Concilio Tridentino ita docentes: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit.*

Quæstio: *num efficacia sacramentorum physica sit, an moralis?* pertinet ad eas quæstiones, quas Paulus valde improbat, 2 Tim. II, 23. Interim meretur responsio B. MUSÆI, quam ad istam dedit, hic allegari. *Si hoc maneat*, inquit, *fixum*

& firmum, sacramenta esse organa efficacia conferendæ gratiæ, & Deum una indivisa actione operari per illa & conferre gratiam, quod Scriptura S. satis diserte docet; de modo operandi & conferendi gratiam ne simus nimis scrupulosi, sed eum potius divinæ sapientiæ relinquamus.

Finis sacramentorum *principalis* duplex est, scilicet 1) ut gratia Dei, in evangelio promissa, credentibus applicetur, & 2) ut eadem gratia, unicuique applicata, tanquam sigillo obsignetur.

Fines eorum *secundarii* sunt, ut fideles 1) consocientur, 1 Cor. X, 17. Eph. II, 11. 12. 2) ab infidelibus & hæreticis discernantur, Exod. XII, 44. 45. 1 Cor. X, 20. 21. & 3) officiorum suorum admoneantur, e. g. per *circumcisionem* mortificationis carnis, Deut. X, 16. Jer. IV, 4. per *baptismum* renovationis vitæ, Rom. VI, 4. & per *agnum paschalem* & *sacram cœnam* recordationis mortis Christi, 1 Cor. XI, 24-26. mutuæque dilectionis, 1 Cor. XI, 18. coll. c. I, 10. & Joh. XVIII, 35.

CAPUT VII.
DE
NUMERO SACRAMENTORUM.

Etsi *numerus sacramentorum* in Scriptura S. non determinatus sit, non tamen nisi *duo* dari *sacramenta* ex eadem satis cognoscitur. Prius vocari

vocari poteſt *ſacramentum initiationis*, & poſterius *ſacramentum confirmationis*.

Per prius in ſtatu gratiæ initiamur, & per poſterius in eo confirmamur.

In V. T. hæc *duo ſacramenta* fuerunt *circumciſio* & *agnus paſchalis*, in N. T. vero ſunt *baptiſmus* & *ſacra cœna*. Per *circumciſionem* & *baptiſmum* receptio in fœdus gratiæ, & per *agnum paſchalem cœnamque ſacram* progreſſus in eo confirmatur & obſignatur.

Indicantur hæc duo ſacramenta 1 Joh. V, 6. ubi Chriſtus veniſſe dicitur per aquam & ſanguinem. Huc ſpectat etiam pia veterum eccleſiæ patrum meditatio de aqua & ſanguine, ex latere Chriſti perfoſſo fluente, Joh. XIX, 34.

Supra quidem audivimus, vocem *ſacramenti* varium habere ſignificatum, adeoque de variis rebus uſurpari poſſe. At juxta definitionem, quam ſupra de ſtrictiſſime ſic dictis ſacramentis dedimus, non niſi duo eorum eſſe poſſunt tam in V. quam N. T.

Pontificii igitur valde errant cum ſuis *ſeptem ſacramentis*. Præter *baptiſmum* enim & *ſacram cœnam* adhuc quinque habent, nempe, 1) *matrimonium*, 2) *pœnitentiam*, 3) *confirmationem*, 4) *ordinationem* & 5) *extremam unctionem*. In *Concilio Tridentino Seſſ. VII.* anathema iis dicunt, qui ea non credunt & aſſumunt.

Examinabimus iſta paululum & videbimus, num definitio ſacramenti in ea quadret.

Matrimonium in vulgata versione Eph. V, 32. vocatur quidem sacramentum; sed in Græco textu occurrit vox *mysterii*, quæ de unione Christi cum ecclesia usurpatur, ut expresse addit Paulus c. l. Fuit etiam matrimonium jam ante lapsum hominum, nec habet promissionem gratiæ evangelicæ. Et cur quæso ipsi Pontificii clericis istud tanquam rem indecentem & pro eorum statu sacro impuram interdicant, si medium conferendæ gratiæ evangelicæ, s. genuinum N. T. sacramentum foret?

Pœnitentia non sacramentum nominari potest, etsi promissionem gratiæ divinæ habeat. Deest enim non modo elementum externum, quo Deus gratiam suam nobis confert, sed etiam jam in V. T. & statim a tempore lapsus hominum locum habuit. Accedit & hoc, quod magis actio humana, quam divina dicenda sit. Absolutio peccatoris meliori jure inter sacramenta referri potest, ut in *Apol. Aug. Conf. p. m. 167.* fit, ubi tamen non in sensu propriissimo, sed tantum ex hypothesi sacramentum vocatur, ut supra monstravimus.

Confirmatio, quæ vulgo a Pontificiis die Firmung s. Firmelung nuncupatur, est ritus ecclesiasticus, a Deo non præceptus, sed ab ecclesia primitiva libere in eum finem institutus, ut infantes baptizati, qui prima vice ad sacram cœnam admitti volunt, sui baptismi & fœderis in eo cum Deo facti, per peccata autem iterum fracti, admoneantur, ejusque sub promissione

novæ

novæ obedientiæ denuò certi reddantur. Eſt per ſe laudabilis & ſalutaris ritus, ſi non more Pontificiorum peragitur; at neutiquam tamen ſacramentum dicendum eſt, quia nec a Deo & Chriſto inſtitutus eſt, nec ſpecialem promiſſionem divinam habet, nec circa elementum viſibile a Deo præſcriptum verſatur.

Ordinatio ſacra ad ſolos miniſtros verbi divini ſpectat. Vocatur in ſacris literis χειροθεσία, ſ. *impoſitio manuum*, Act. VI, 6. c. XIII, 3. 1 Tim. IV, 14. ordinantur & inaugurantur per talem actionem miniſtri verbi divini ad munus eccleſiaſticum. Quis verò illam vellet propterea ſacramentum, propriiſſime ſic dictum, nominare, cum nec ad omnes homines ſpectet, nec requiſita ſacramenti eſſentialia habeat?

Unctio extrema habet quidem elementum viſibile, nempe oleum, circa quod actio hæc occupata eſt, ſed non determinatum eſt, num oleum hoc naturale ſit, an artificiale. Deeſt etiam divina inſtitutio cum promiſſione gratiæ conferendæ. Probant Pontificii ſacramentum extremæ ſuæ unctionis ex Jac. V, 14. ubi tamen apoſtolus tantum conſilium dat, ægrotos non ad remiſſionem peccatorum, ſed ad recuperandam priſtinam ſanitatem ungere. Provocant etiam Pontificii ad Marc. VI, 13. ubi autem unctio eandem ſignificationem, uti jam indicavimus, habet.

Restant igitur *duo* tantum N. T. *sacramenta*, scilicet *baptismus* & *sacra cœna*, de quibus singulatim acturi sumus, postquam de duobus sacramentis V. T. aliqua præmisimus.

* *

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS V. T.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS V. T. IN GENERE.

Nonnulli Calviniani *sacramenta V. T.* distinguunt in *ordinaria* & *extraordinaria*. Ordinaria sunt circumcisio & agnus paschalis, ad *extraordinaria* vero referunt arcam Noæ, iridem post diluvium apparentem, columnam nubis & ignis, rubrum mare, Manna & aquam ex petra effusam. At vox sacramenti de hisce rebus non proprie usurpatur, sed metonymice, quatenus res spirituales per istas adumbrantur.

Sacramenta utriusque testamenti conveniunt quidem inter se, quatenus 1) a Deo instituta sunt, 2) circa elementum visibile versantur, & 3) virtutem habent, gratiam Dei conferendi & obsignandi; *differunt* tamen a se invicem 1) respectu *objecti*, quod in V. T. Christus venturus, in N. T. vero Christus exhibitus est, quapro-

pter

pter fides in V. T. umbram Christi, in N. T. vero corpus ejus habuisse dicuntur, Col. II, 17. Hebr. VIII, 5. c. X, 1. 2) respectu *promissionum*, quæ in V. T. ad bona temporalia, quibus spiritualia adumbrabantur, spectabant, in N. T. vero solaspiritualia pro objecto habent; 3) respectu *usus*, qui in V. T. non mere sacramentalis, sed etiam typicus erat, nec non magis ad certas loci, temporis & personarum circumstantias restringebatur, quam in N. T. & denique 4) respectu *durationis*, dum sacramenta N. T. duratura sunt usque ad diem mundi extremum, sacramenta V. T. vero cessaverunt, cum Christus in mundum venerit, quia adventu suo omnes umbras, ad quas simul sacramenta V. T. pertinebant, dissipavit. Vox לעולם Gen. XVII, 13. tempus tantum determinatum h. l. ut etiam alibi fit, significat.

Sacramenta V. T. erant certo modo simul *typi* sacramentorum N. T. & quidem *circumcisio* typus baptismi, & *agnus paschalis* typus sacræ cœnæ, quapropter etiam loco *circumcisionis* in ecclesia introductus est *baptismus*, qui hac de causa circumcisio sine manibus nominatur, Col. II, 11. & loco *agni paschalis* a Christo ipso tempore paschali instituta est *sacra cœna*, Matth. XXVI, 26-28. Christus enim noster agnus paschalis est pro nobis mactatus, 1 Cor. V, 7.

CAPUT II.

DE INSTITUTIONE CIRCUMCISIONIS.

D*eus unitrinus* eſt auctor circumciſionis. Apparuit propterea ipſe *Filius Dei* Abrahamo in aſſumta hominis perſona, cum circumciſionis ſacramentum inſtituere vellet, Gen. XVII, 1. Non modo determinabat, quæ ad actum circumciſionis pertinere debebant, ſed etiam hujus actus adminiſtrationem addita gratiæ promiſſione præcipiebat, ipſamque gratiam per circumciſionem conferebat, Gen. XVII, 7-14.

Lapſo enim genere humano, Deus non ſolum verbo ſuo fœdus gratiæ cum illo inire, ſed quoque per externum ſignum homines de fœdere hoc certiores reddere, ideoque ſuam gratiam in largiori menſura diſpenſare voluit.

Hoc fiebat per inſtitutum circumciſionis ſacramentum, quod propterea ברית h. e. *fœdus pactum* vocatur, Gen. XVII, 10. Recte hinc Stephanus ad Judæos dixit: *καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς*, h. e. *& dedit ei fœdus circumciſionis*, Act. VII, 8.

Primus, qui hujus fœderis particeps reddebatur, erat *Abraham*: Hunc Deus ex hominum genere in *patrem ſ. caput omnium fidelium* elegit, Gen. XII, 1-3. Rom. IV, 11. ut fœdus gratiæ, quod jam cum hominibus in paradiſo, Gen. III, 15. & ſtatim poſt diluvium, Gen. VIII, 21.

c. IX,

c. IX, 9-17. fecerat, cum eo confirmaret, novis promissionibus augeret, solennique sacramento obsignaret.

Accepit itaque Abraham *signum circumcisionis* in σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, h. e. *in sigillum justificantis fidei*, quam is jam habuit ante circumcisionem, Rom. IV, 11.

Errant igitur, qui cum *Spencero*, *Tolando* & *Marshamo* statuunt, circumcisionem ab Ægyptiis originem accepisse. Refutantur ab HERRMANNO WITSIO *in Ægyptiacis Lib. III. c. 6.* & a B. SALOM. DEYLINGIO *in Observat. sacr. L. III. c. 6.* A Judæis potius circumcidendi ritus ad alios populos & speciatim ad Muhamedanos pervenit.

Duplex datur *periodus* circumcisionis, *Abrahamitica*, Gen. XVII, 7-14. & *Mosaica*, Lev. XII, 3. Cum enim hactenus tantum domui Abrahami & ejus posteris injunctum fuerit sacramentum hoc, tempore Mosis toti ecclesiæ Israeliticæ demandabatur.

Duæ autem dantur *solemnes* Israelitarum *circumcisiones*. Prior fiebat in Ægypto ante discessum eorum, Exod. XII, 44. 48. 49. posterior vero in finibus terræ Canaan, Jos. V, 2-9.

CAPUT III.
DE
SUBJECTO CIRCUMCISIONIS.

Hoc fuerunt omnes *mares*, tam pueri, quam adulti, Gen. XVII, 10. 23-27. Lev. XIII, 8.

Jos. V, 4. & quidem non modo de semine Abrahami & Israelis geniti, sed etiam omnes alienigenæ & servi, qui vel in domibus patriarcharum nati vel argento emti erant, Gen. XVII, 23. Exod. XII, 44. 48. & nolebant esse ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, h. e. *non ab alienati a jure civitatis Israelitica & alieni a fæderibus promissionis*, Eph. II, 12. Exod. XII, 49.

Infantes non prius, quam *octavo* post nativitatem *die* circumcidi debebant, Gen. XVII, 12. c. XXI, 4. Lev. XII, 3. Luc. I, 59. cap. II, 21. Interim ante hunc diem decedentes non damnabantur. Voluit Deus per circumcisionis dilationem recens natorum puerorum saluti consulere.

Diutius autem circumcisionem non differre debebant parentes, quia sacramentum initiationis erat, per quod liberi in fœdus gratiæ recipiebantur. Interim tam morbi quam itinera permittebant longiorem dilationem, quapropter etiam Deus per quadraginta annos intermissionem circumcisionis in populo suo, in terram Canaan proficiscenti, toleravit, Jos. V, 2. 9. Valebat hic, quod dici solet: *non privatio, sed contemtus sacramenti damnat.*

Ante circumcisionem nemo facile ad sacra Judæorum admittebatur, Exod. XII, 44. 48.

Fæminæ, etsi non circumciderentur, in fœdere tamen circumcisionis erant, & quidem 1) quia fœdus istud generale fuit, cum Deus dixerit:

rit: *ero tibi Deus & semini tuo post te*, Gen. XVII, 7. 2) quia Sara mater omnium fidelium fœminarum fuit, 1 Petr. III, 6. 7. & 3) quia mulier illa gibbosa expresse a Christo filia Abrahami vocatur, Luc. XIII, 16.

Cæterum *mulieres* non modo generabantur a circumcisis patribus, nubebantque circumcisis maritis, sed admittebantur etiam cum circumcisis maribus ad agnum paschalem, Exod. XII, 4-7. participabantque pactum inter Deum & populum Israeliticum renovatum, Nehem. X, 28. 29.

Recens natæ filiæ loco circumcisionis Deo per sacrificia consecrabantur & in fœdus gratiæ recipiebantur, Lev. XIII, 5-8.

CAPUT IV.

DE MATERIA ET FORMA CIRCUMCISIONIS.

M*ateria circumcisionis* duplex fuit, præputium & verbum institutionis.

Præputium est pellicula anterior in membro virili, glandem ejus obducens.

Deus per ejus *amputationem* admonere voluit Israelitas 1) *peccati originalis* per carnalem generationem propagati, Ps. LI, 7. 2) *regenerationis spiritualis*, quæ non sine mortificatione veteris hominis, per dolorosam præputii amputationem significata, fieri potest, Rom. VI, 6. Gal.

Gal. V, 25. Col. III, 5. 6. Eph IV, 22-24. & 3) *adventus Messiæ* ex Abrahami posteritate sine peccato nascituri, Luc. I, 35.

Verbum institutionis occurrit Gen. XVII, 10. & est hujus tenoris: *Hoc est fœdus meum, quod servabitis inter me & vos, & inter semen post te: circumcidi inter vos omnem marem.*

Verbum promissionis in antecedente versiculo 7. & 8. habetur, quod forsitan pari modo in actu circumcisionis cum certis formulis precatoriis recitatum fuit.

Hæc duo, scilicet *præputium* & *verbum institutionis*, constituebant materiam sacramenti circumcisionis. Prius amputabatur & posterius recitabatur. Et in hac duplici actione conjunctim peracta consistebat *forma* hujus sacramenti. Nec sola recitatio verbi institutionis, nec sola amputatio præputii sufficiebat. Utraque actio conjungenda erat.

B. SEBASTIANUS SCHMID *in Tract. de Circumcis. p. 398. 399.* varias vetustas *benedictionum* Judaicarum *formulas* recenset, quæ in actu circumcisionis recitatæ sunt, inter quas præcipue hæc est: *Benedictus tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis tuis & præcepisti, ut initiemus hunc* (scilicet marem circumcidendum) *in fœdere Abrahami patris nostri.*

Num vero hæc aut alia *formula sacramentalis* tempore V. T. in circumcisionis actu vere adhibita sit, in medio relinquitur. Sufficit, in omni circumcisione semper institutionis divinæ

vinæ mentionem factam fuisse vel ipsis Dei verbis, (quod verisimillimum est,) vel verbis idem significantibus.

CAPUT V.
DE
ADMINISTRATIONE CIRCUMCISIONIS.

Si de administratione hujus sacramenti agimus, attendendum inprimis est ad *personam*, quæ circumcisionis actum peregit.

De hac non quidem expressum mandatum in Scriptura S. occurrit, discimus tamen ab exemplo Abrahami, cui Deus circumcisionem præcepit, quales personas Deus ad functionem hujus sacramenti elegerit, nempe patres familias & ministros sacrorum.

Abraham utriusque muneris functionem habuit. Spectandus non modo erat ut pater familias, sed etiam ut minister sacrorum in domo sua, Gen. XVII, 23. c. XXI, 4. Num vero se ipsum circumciderit, aut ab Eliesere, præfecto domus suæ & sacrorum quasi administratore vicario, circumcisus fuerit, uti quidam conjecturarunt, non liquet.

Abrahamo successerunt alii *patriarchæ*, ex lumbis ejus prognati, tanquam principes & sacerdotes in familia Abrahamitica, qui sacris functi sunt & ideo etiam circumcisionis actum exercuerunt. Hoc duravit usque ad tempus, quo *sacerdotium Leviticum* a Deo institutum est, cui

cui omnes ſacras & eccleſiaſticas functiones Deus demandavit. Diſtribuebantur ideo ſacerdotes & Levitæ per omnes tribus Iſraeliticas Joſ. XXI. ut ubique ſuis officiis fungerentur, 1 Macc. II, 46. Interim cura circa ſacra & ſacerdotalia manſit penes *principes*, 1 Reg. VIII. 2 Reg. XXIII. 1 Chron. XV. & c. XVI. qualis etiam fuit *Joſua*, qui propterea ex mandato divino Iſraelitas incircumciſos in finibus terræ Canaan per Levitas & ſacerdotes circumcidi juſſit, Joſ. V, 3-9.

Hoc continuatum eſt usque ad tempora Chriſti. Noſtris adhuc temporibus inter Judæos conſuetum eſt, per ſic dictum *Mohel*, qui munere Levitæ fungitur, circumciſionis actum perficere.

Modo extraordinario circumciſio interdum etiam a *laicis* & *fœminis* facta eſt, ut Zippora, uxor Moſis, Exod. IV, 25. & aliæ mulieres tempore perſecutionis, 1 Macc. I, 63. & 2 Macc. VI, 10. ſuis exemplis docent.

Inſtrumentum, quo præputium in V. T. amputabatur, erat culter lapideus acutus, Exod. IV, 25. Joſ. V, 2. Hodierni Judæi adhibent acutam novaculam, qui ſimul multos alios a Deo non mandatos ritus obſervant. *Impoſitionem nominis* autem, quæ in actu circumciſionis fieri ſolet, jam in V. T. conſuetam fuiſſe, ex Luc. I, 59. & c. II, 21. ſatis patet. Num vero ſanguis in patina humi poſita exceptus & amputatum præputium in terram miſſum fuerit, in medio

medio relinquitur, quia nil de hisce ritibus in sacris literis legitur, iidemque non ad substantiam hujus sacramenti pertinent.

CAPUT VI.
DE
FINE ET USU CIRCUMCISIONIS.

F*inis primarius* circumcisionis fuit gratiæ divinæ collatio & confirmatio, quatenus is, qui circumcidebatur, divinas promissiones, quibuscum Deus circumcisionem instituit, vera fide accipiebat.

Hæ promissiones occurrunt Gen. XVII, 7-10. ubi Deus fœdus cum Abrahamo & ejus posteris renovat, promittitque, se fore Deum Abrahami & seminis ejus, cui totam terram Canaan in perpetuam possessionem dare vellet, si omnes, qui in domo ejus de sexu masculino sint, circumciderentur. Addidit simul Deus graves comminationes adversus eos, qui intermissa circumcisione fœdus ejus neglecturi forent, Gen. XVII, 14.

Spectant *promissiones* istæ quidem ad beneficia temporalia, non tamen exclusis spiritualibus, quæ simul sub illis intelligebantur. Hisce promissionibus si in circumcisionis actu credebatur, circumcisio sigillum justitiæ & fidei justificantis fiebat, ut Abrahami exemplum docet, Rom. IV, 11.

Redde-

Reddebantur ideo Israelitæ per circumcisionem pleni fiduciæ. Testantur hoc Jonathan & David pugnaturi cum Philistæis, 1 Sam. XIV, 6. c. XVII, 26.

Finis circumcisionis secundarius erat separatio populi Israelitici ab aliis populis. Per signum enim amputati præputii Israelitæ & qui ad eorum ecclesiam pertinebant, ab omnibus gentibus, quas propterea ex contemtu *Gojim*, vulgo Heiden, nominabant, distinguebantur. Ipsa nomina *circumcisionis* & *præputii* ab ipsis apostolis ad distinguendum Judaicum populum ab aliis populis usurpabantur, Rom. III, 30. Eph. II, 11. Israelitæ & Judæi valde abominabantur omnes, qui non circumcisi erant, Gen. XXXIV, 14. Ipse Deus præputium in suo populo *opprobrium Ægypti* vocabat, Jos. V, 9. Hæc abominatio Judæorum animis ita impressa fuit, ut eam ne quidem Petrus aliique ex Judæis ad christianismum conversi facile ex animo exstirpari potuerint, Act. X, 28. c. XI, 2. 3. c. XV, 1. 5.

Hac de causa etiam Israelitæ, etsi multifariam negligerent præcepta Mosis, circumcisionem tamen nunquam intermittebant. Hoc etiam hodierni Judæi summa diligentia observant. Cautum quoque apud eos est nova lege post tempora Maccabæorum, ne præputium sibi adducat aliquis, sed ut potius glandis nuditatem quovis modo conservet.

Circumcisionis usus triplex fuit, sacramentalis, typicus & mysticus, neutiquam vero medicinalis, ut nonnulli docuerunt. *Usus*

Usus sacramentalis consistit in collatione & obsignatione promissæ gratiæ divinæ, *usus typicus* in adumbratione sacramenti initiationis N. T. seu baptismi, & *usus mysticus* in excitatione hominum ad conversionem & renovationem, Jer. IV, 4. Deut. X, 16. c. XXX, 6. Act. VII, 51.

Propter *usum typicum* abrogari debebat circumcisio tempore N. T. Loco istius *lavacrum regenerationis*, quod propterea *circumcisio sine manibus* nuncupatur, Col. II, 11. instituebatur, ut per istud non modo in fœdus Dei recipiantur omnes, qui in fide baptismum accipiunt, sed etiam ab ethnicis & infidelibus, æque ac olim Israelitæ ab aliis gentibus, distinguantur. Sicut etiam circumcisio Judæos ad legem Mosaicam obligavit, Gal. V, 3. Christus autem ab onere hoc, quod neque patres neque nos portare potuerunt, Act. XV, 10. liberavit, Gal. III, 23-25. c. IV, 3-5. abroganda quoque erat circumcisio, Act. XV, 24-28.

Sublatum nunc est discrimen inter Judæos & alias gentes, inter liberos & servos, & inter mares & fœminas, quia in Christo jam omnes, qui baptizati sunt & in ipsum credunt, citra respectum nationis, ætatis, sexus & status pari jure gaudent, Gal. III, 26-28. 1 Cor. XII, 13. Eph. II, 11-14.

CAPUT VII.
DE
INSTITUTIONE SACRAMENTI PASCHATOS.

Hoc ſacramentum originem cepit in Ægypto, cum Iſraelitæ juſſu Dei ad migrandum ex hac terra parati eſſent.

Deus ejus auctor eſt, Exod. XII, 1. ſq. Non ſolum Iſraelitis, cum Ægyptios, inter quos habitabant, puniret, parcere, ſed etiam memoriam tranſeuntis angeli illius, qui primogenitos tunc percutiebat, conſervare volebat, & quidem ita, ut de futuro Meſſia ejusque morte & merito ſalutarem ſimul repræſentationem haberent.

Nomen accepit a פסח ſ. *tranſitu*, quia in eadem nocte, in qua ſacramento hoc Iſraelitæ prima vice uſi ſunt, angelus percuſſor per omnes domos Ægyptiorum tranſiit & in iis primogenitos tam hominum, quam pecudum occidit. Vocabatur propterea ſacramentum hoc apud Hebræos & Judæos *Peſach*, Chaldaice vero *Paſcha*, & Græce πάσχα. Proprie igitur vox hæc tranſitum percutientis angeli, poſtea vero etiam 1) feſtum in ejus memoriam, 2) agnum paſchalem, qui hoc feſto comedebatur & 3) ritum comeſtionis hujus agni, Luc. XXII, 7. ſignificat.

Hic agimus de *paſchate*, tanquam ſacramento V. T. & intelligimus actionem illam ſacramentalem, quæ circa agnum, certis ritibus ma-

ctandum

ctandum & comedendum, olim occupata fuit.

Hoc facramentum Deus inftituit non modo pro *Ifraelitis* ex Ægypto migrantibus, fed etiam pro omnibus eorum pofteris & in Ifraeliticam ecclefiam recipiendis, Exod. XII, 14-17. 24-27. 42-48.

Commovit Deum ad agni pafchalis inftitutionem nil nifi ejus fingularis *favor erga populum* fuum, ut per hunc agnum, tanquam vifibile gratiæ fignum, Ifraelitas de fuo amore & gratia eo certiores redderet, memoriamque beneficiorum fuorum apud eos confervaret, nec non Chriftum, agni pafchalis antitypum, adumbraret.

CAPUT VIII.
DE
MATERIA SACRAMENTI PASCHATOS.

Agnus pafchalis erat materia hujus facramenti f. elementum vifibile, circa quod actio facramentalis verfabatur.

Per *agnum* plerumque pullus ovium intelligitur, quo Judæi in hoc facramento frequentiffime utebantur.

Poterant loco ejus etiam *hædum* fumere uti ex Exod. XII, 5. patet, ubi communis vox שֶׂה occurrit, quæ de omnibus minorum pecudum fpeciebus ufurpatur, inprimis, uti expreffis verbis c. l. additur, de agno & hœdo, quorum

 uter-

uterque typus Christi fuit, quanquam usitatius *agnus*, quam hœdus in sacris literis appelletur.

Talis agnus certa habere debebat *requisita*, quorum præcipua fuerunt 1) integritas, 2) sexus masculinus & 3) ætas unius anni.

Integer & *sine ullo vitio* esse debebat agnus paschalis, sicut omnes victimæ in V.T. Lev. XXII, 19-25. fuerunt. In sacro textu occurrit vox תם, quam LXX. interpretes verterunt per τέλειος h. e. *perfectus*. Respectum hæc agni paschalis qualitas ad Christum antitypum habuit, 1 Cor. V, 7. qui agnus inculpatus & immaculatus vocatur, 1 Petr. I, 19.

Debebat agnus hic porro esse *de sexu masculino*, quia sexus hic præstantior est fœminino 1 Petr. III, 7. agnusque typus Christi, filii Dei, fuit, in qua mascula vis se satis manifestavit.

Debebat denique esse tantum *unius anni*, quia Christus, tanquam antitypus, in flore ætatis crucifixus est. B. Baierus *in Comp. Theol. Pos. p. 661.* hanc agni paschalis ætatem hisce verbis exponit: *Erat anno præterito natus, ita, ut annum ætatis primum vel mox impleturus fuerit vel impleverit; non tamen ita excesserit, ut pro bimo haberi posset.*

Materia cœlestis in hoc sacramento æque ac in circumcisione cessat, etsi sint, qui Christum typice repræsentatum 1 Cor. V, 7. aut ejus corpus & sanguinem pro ea habeant. Quod typice repræsentatur, non est res ipsa. Supra quoque

satis

satis probavimus, materiam cœlestem non ad essentialia sacramentorum pertinere.

CAPUT IX.
DE FORMA SACRAMENTI PASCHATOS.

Forma hujus sacramenti consistebat in legitima rite præparati agni paschalis manducatione, adhibito verbo institutionis.

Tria itaque ad formam sacramenti paschatos pertinebant, 1) justa præparatio agni paschalis, 2) legitima ejus manducatio & 3) verborum institutionis commemoratio.

Primum, quod ad formam s. essentiam sacramenti paschatos pertinebat, erat *justa agni paschalis præparatio*, ad quem tres requirebantur actus, 1) agni hujus separatio a grege, 2) ejusdem mactatio & 3) ejus assatio.

Separatio agni paschalis *a grege* fiebat quarto die ante ejus mactationem, Exod. XII, 3. 6. Hoc tempus simul Israelitæ ad purificandum se & ad tollendum omne fermentum in domibus suis adhibebant, 2 Chron. XXX, 17. 1 Cor. V, 7. Separatio agni paschalis forsitan indicabat non modo Christi singularem sanctitatem, secundum quam κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν nominatur, Hebr. VII, 26. sed etiam ejus captivitatem, per quam a discipulis suis separabatur, Matth. XXVI, 56.

b *Mactatio* agni paschalis ita fieri debebat, ut sanguis effunderetur, qui in Ægypto ad adspersionem liminum & postium adhibebatur, Exod. XII, 7. 22. in terra Canaan vero ad altare effundebatur, a quo per certos ductus in torrentem Kidron ducebatur. Fuit hoc typus Christi, sanguinem suum pro nobis profundentis, Apoc. V, 9.

Fieri etiam debebat mactatio *inter duas vesperas*, h. e. circa horam tertiam pomeridianam, aut paulo post, ante occasum solis, Exod. XII, 6. Num. IX, 5. Hoc tempore etiam Christus mori voluit, qui instar paschalis agni mactatus dicitur, 1 Cor. V, 7.

Assatio agni paschalis a Deo expresse mandata est, quia nec crudus nec in aqua coctus comedi debebat, Exod. XII, 9. Assandus quoque erat integer cum suis intestinis, non fractis ossibus, Exod. XII, 46. Num. IX, 12. & quidem, ut Maimonides memorat, ad veru ligneum in crucis forma alligatus. Adumbrabat hoc crucifixionem Christi, igne iræ divinæ ita quasi assati, ut nullum os in corpore ejus expanso frangi debuerit, Joh. XIX, 33. 36.

Alterum, quod ad formam hujus sacramenti pertinebat, erat *manducatio agni paschalis* rite præparati. Hic actus erat præcipuus & ita fiebat, ut de assato agno nil relinqueretur. Si aliquid remanebat, ante diluculum sequentis diei igne comburebatur, Exod. XII, 10. Num. IX, 12. Adumbrare hoc forsitan debebat manducatio-

ducationem Christi tam sacramentalem in sacra cœna, quam spiritualem in fide, in quarum utraque totus Christus accipitur.

Comedendus etiam erat agnus paschalis cum *pane azymo* & אַל־מְרֹרִים h. e. *cum rebus amaris*, Exod. XII, 8. Num. IX, 11. & quidem ad recordationem miseræ vitæ in Ægyptiaca servitute. Respectum hoc habebat ad pœnitentiam, afflictionem & mortificationem carnis, quæ ab hominibus, qui Christi ejusque meriti participes fieri volunt, requiruntur, 1 Cor. V, 6-8. Act. XIV, 22. Matth. XVI, 24.

Cum Israelitæ prima vice agnum paschalem ederent, vestibus induti erant tanquam *peregrinantes*, Exod. XII, 11. Hoc ad circumstantias pertinebat, quæ non essentiales erant & ideo etiam posthæc, cum Israelitæ terram Canaan occupaverint, cessaverunt.

Tertium denique, quod ad formam sacramenti paschatos referendum est, consistit in *commemoratione verborum institutionis*, quæ occurrunt Exod. XII. & inprimis v. 11. & 27. ubi hæc leguntur: פסח הוא ליהוה, h. e. *Pascha hoc est Domino*. Addiderunt postea Israelitæ & Judæi varios sacros hymnos & psalmos, quibus Deo gratias agebant pro collatis ejus beneficiis, Matth. XIV, 26.

CAPUT X.

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI PASCHATOS.

Perſona, quæ agnum paſchalem præparabat, erat quilibet *pater familias*, Exod. XII, 3. & cui a patre familias aut principe familiæ hæc præparatio demandabatur, Matth. XXVI, 17-19.

In Ægypto & deſerto Sinai, ubi nondum ſacerdotium Leviticum inſtitutum erat, penes ſolum *patrem familias* omnis præparatio & adminiſtratio agni paſchalis fuit. Poſtea vero, cum Deus certum locum elegiſſet, in quo publice coli voluit per certos ſacerdotes, omnes agni paſchales, antequam mactarentur, a patribus familias ad ſacerdotes ferri debebant, qui accurate iſtos contemplabantur, num debita requiſita habeant. Levitæ tunc eos in atrio tentorii conventus, aut templi mactabant &, cum interceptum ſanguinem ſacerdotibus ad ſpargendum tradidiſſent, pellem detrahebant exemtoque adipe, quem ſacerdotes ſale adſpergebant & in ignem altaris holocauſti mittebant, patri familias ad aſſandum & comedendum reddebant, 2 Chron. XXX, 15-17. c. XXXV, 11. 12. Eſr. VI, 20.

Tempus, quo ſacramentum paſchatos celebrari debebat, erat *primus menſis* anni ſacri, quem *Abib* ſ. *Niſan* vocabant, & quidem *dies decimus quartus hujus menſis*, quo Iſraelitæ olim ex Ægy-

pto

pto migraverunt, Exod. XII, 2.6. in ſpecie vero tempus veſpertinum ſ. tempus *inter duas veſperas*, Exod. XII, 6. Num. IX, 5. Lev. XXIII, 5.

Duæ dabantur apud Judæos *veſperæ*. Prima veſpera erat circa horam tertiam, qua dies ſe inclinare incipit, & altera circa horam quintam & ſextam, qua ſol ad occaſum tendit. Intra hoc tempus Judæi agnum paſchalem mactabant, præparabant & comedebant, quo peracto *feſtum azymorum* incepit, quod per ſeptem dies in tota terra celebrabatur, Lev. XXIII, 6. Exod. XXIII, 15. Num. XXVIII, 17. Hoc feſtum ab ipſo die paſchatos bene diſtinguendum eſt, Lev. XXIII, 5.6. Plerumque dicebatur hic dies παρασκευὴ, h. e. *dies ſabbatum præcedens*, quo, quæ ad feſtum neceſſaria erant, præparabantur, Matth. XXVII, 62. Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54. Joh. XIX, 14. 31. 42. Incipiebant jam hoc die Judæi azymum panem edere, quapropter etiam primus azymorum dies nuncupabatur, Matth. XXVI, 17.

Locus mactationis & manducationis agni paſchalis erat primum quælibet domus Iſraelitica, Exod. XII. deinde vero ipſum deſertum Sinai, Num. IX. Poſtea juſſit Deus agnum paſchalem non alibi comedere, quam in urbe, quam ad ſuum publicum cultum electurus erat, Deut. XVI, 5-17. Hac de cauſa etiam hodierni Judæi non amplius agnum paſchalem comedunt, quia templum & Hieroſolyma deſtructa ſunt, iis autem non alius locus ſacer ad publicum Dei cultum conceſſus eſt.

CAPUT XI.
DE
SUBJECTO SACRAMENTI PASCHATOS.

Hoc fuerunt omnes *Israelitæ circumcisi*, non exclusis servis & proselytis, per circumcisionem in ecclesiam Judaicam recepti, Exod. XII, 44. 48. Jos. V, 7-10.

Propter morbum, immunditiem legalem & legitimam absentiam Israelitis licebat, usum agni paschalis usque ad alterum mensem ejusque diem decimum quartum differre, Num. IX, 10-12. 2 Chron. XXX, 18.

Fœminas omnino etiam ad manducationem agni paschalis admissas esse, non obscure colligitur ex Exod. XII, 4. 16. Deut. XXIX, 11. 12. 2 Chron. XXX, 21. c. XXXV, 7. Esr. VI, 19. Admittebantur quoque *pueri*, si informationis capaces erant, Exod. XII, 26. 27.

Quæritur hic: *utrum Christus ultimum pascha eodem tempore & die, quo Judæi comedere solebant, comederit?* Sunt inter nostrates Theologos, qui statuunt, Christum paschalem agnum ultima vice non cum cæteris Judæis, sed die antecedente comedisse, ut eo convenientius ipso paschatos die tanquam verus agnus paschalis N.T. mactari potuisset, 1 Cor. V, 5. Provocant ad Matth. XXVI, 18. 62. Marc. XV, 42. Joh. XIX, 14. 31. ubi partim Christus meminit, suum tempus venisse, quo pascha cum discipulis

celebrare velit, partim diei præparationis, qui παρασκευὴ & προσάββατον vocatur, mentio fit, quem isti Theologi a die paschatos distinguunt, & cum primo die festi azymorum, diem paschatos semper sequente, confundunt, uti supra demonstravimus.

Verum si Jesus non cum Judæis pascha celebrasset, hostibus suis occasionem dedisset, ipsum manifestæ transgressionis legis Mosaicæ accusandi. Cæterum quoque Marcus c. XIV, 12. expresse scripsit, Jesum eodem die, quo agnus paschalis mactatus fuit, a discipulis interrogatum esse, in quonam loco eum apparari vellet; quod etiam Matthæus c. XXVI, 17. confirmat.

CAPUT XII.

DE FINE ET USU SACRAMENTI PASCHATOS.

Agnus paschalis non modo sacramenti, sed etiam sacrificii formam habuit.

Sacramenti formam habuit, quatenus edebatur, *sacrificii* vero formam, quatenus mactabatur, sanguisque ejus & adeps Deo sacrificabantur, 2 Chron. XXXV, 11. 12. Exod. XXIII, 18. c. XXXIV, 25.

Si pascha ut sacramentum consideramus, *finis* ejus fuit recordatio perpetuæ liberationis a servitute Ægyptiaca, & cædis primogenitorum, Exod. XII, 26. 27. Quæ recordatio fidem Israe-

Israelitarum in Deum ejusque promissiones tam temporales quam spirituales confirmabat, Hebr. XI, 28. 2 Chron. XXX, 19. Communis quoque agni paschalis manducatio ad communionem Israelitarum faciebat, eosque in illa servabat.

Quatenus pascha *sacrificium* fuit, uti expresse nuncupatur Exod. XII, 27. c. XXXIV, 25. virtutem typicam habuit, & quidem duplicem, tam respectu Christi, quam respectu redemptionis ejus.

Agnus paschalis omnino *typus Christi* fuit, 1 Cor. V, 7. 8. Joh. XIX, 36. Adumbrabat enim 1) ejus innocentiam, mansuetudinem & obedientiam, 2) ejus passionem & mortem respectu loci, temporis & modi, & 3) ejus appropriationem tam sacramentalem in sacra cœna, quam spiritualem per fidem. Pluribus hoc jam supra in Cap. IX. monstratum est.

Erat etiam *pascha*, quatenus in recordationem liberationis a servitute Ægyptiaca celebrabatur, *typus redemptionis* nostræ per Christum factæ, qua a servitute diaboli & mortis æternæ liberati sumus, 1 Petr. I, 18. 19. Hebr. II, 15. c. IX, 12. 2 Cor. I, 10. Sanguine Christi enim si spiritualiter corda nostra aspergimus, Deus tanquam justus judex, ad ultionem veniens, nos præteribit.

Pontificii in agno paschali typum sui sacrificii missatici frustra quærunt.

SECTIO

* *

SECTIO III.

DE BAPTISMO.

CAPUT I.

DE BAPTISMO IN GENERE.

Baptismus est primum N. T. sacramentum, quod alias vocatur *sacramentum initiationis*, quia christiani per istum initiantur & quasi in ecclesiam introducuntur.

Præter *baptismum* & *sacram cœnam* non alia dantur sacramenta N. T. quibus nomen & definitio univoce sic dicti sacramenti tribui queat, uti supra satis probavimus. Errant hinc *Pontificii* cum suis septem sacramentis, de quibus alibi egimus.

Voces βαπτισμὸς & βάπτισμα, quæ de hoc sacramento in sacris literis usurpantur, descendunt a verbis βάπτω & βαπτίζω, quorum prius proprie *tingo* & *intingo*, Luc. XVI, 24. Apoc. XIX, 13. posterius vero non modo *mergo* & *immergo*, sed etiam *abluo* & *lavo*, Marc. VII, 4. Luc. XI, 38. *humecto* & *madefacio*, 1 Cor. X, 2. *largiterque profundo*, Act. I, 5. significat.

Uti vero de variis rebus vox βαπτίζειν usurpatur, ita etiam *varius* datur in Scriptura S. *baptismus*. Denotat enim vox βαπτισμὸς 1) ablutionem manuum, poculorum, aliarumque re-

rum,

rum, Marc. VII, 4. Sir. XXXIV, 30. 2) passionem mortis & omnis generis afflictionum, Matth. XX, 22. 23. 3) donorum Spiritus S. miraculosorum collationem, Matth. III, 11. Luc. III, 16. Joh. I, 33. Act. I, 5. 4) humectationem in transitu per Mare Rubrum factam, 1 Cor. X, 2. & 5) judicia divina contra incredulos Judæos, quæ dicuntur *baptismus iræ*, Matth. III, 11. 12. Luc. III, 16.

Nonnulli *triplicem* statuunt *baptismum*, scilicet *baptismum fluminis*, *baptismum flaminis* & *baptismum sanguinis*. Primus est sacramentum baptismi, alter est collatio donorum Spiritus S. & tertius est martyrium.

Hic tantum de sacramento baptismi agitur, quod a *baptismo proselytorum* distinguendum est, qui inter Judæos consuetus fuit. *Proselyti justitiæ* enim non modo circumcidebantur, sed etiam cum certis ceremoniis baptizabantur. Ejusmodi baptismus autem neutiquam erat baptismus Johannis, de quo postea acturi sumus.

Calviniani *duplicem* statuunt *baptismum*, externum & internum, & quidem ex falsa hypothesi de absoluto electionis divinæ decreto. Priorem tantum iis adscribunt, qui non absolute ad vitam æternam electi sunt. Vide *Colloq. Montispelgardense p. 432. sq.*

Nonnulli ex nostratibus Theologis hanc distinctionem baptismi in externum & internum admittunt quidem, sed non ipsum sacramentum

tum propterea diffindunt. Sententia eorum hæc eſt: Simul ac miniſter verbi divini aquam affundit, Chriſtus etiam Spiritu S. & ſanguine ſuo baptizat. Dici hoc poteſt *ſpiritualis baptiſmus.* Sed accurate loquendo unus tantum datur baptiſmus, Eph. IV, 5. qui optime *definiri* poteſt, quod ſit ſacramentum N. T. quo per aquam in nomine Patris, Filii & Spiritus S. adſperſam nobis Deus promiſſiones gratiæ ſuæ, per Chriſtum acquiſitæ, confert, applicat & obſignat.

CAPUT II.
DE AUCTORE BAPTISMI.

Auctor baptiſmi eſt ipſe *Deus.* Hic enim non modo Johannem ad baptizandum miſit, Joh I, 33. c. III, 26. 27. Luc. III, 2. 3. ſed etiam Chriſto, poteſtatem dedit, diſcipulos ſuos in omnem terram mittendi ad baptizandas omnes gentes, Matth. XXVIII, 18. 19.

Ex hac divina auctoritate *Chriſtus* etiam non modo in ſtatu exinanitionis per diſcipulos baptiſmum in Judæa exercuit, Joh. IV, 1. 2. ſed etiam pro eccleſia ſe tradidit, ut illam ſanctificet, dum lavacro aquæ per verbum nos mundat, Eph. V, 26.

Et quis non baptiſmum divinæ originis eſſe credat, cum 1) ii ex Judæis, qui a Johanne baptizari noluerunt, conſilium Dei ſpreviſſe dicantur, Luc. VII, 30. & 2) miſericordiæ Dei adſcri-

adſcribatur, ſi per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. ſalvamur, Tit. III, 5.

Chriſtus ideo juſſit *baptizare in nomine* h. e. ex auctoritate *Patris, Filii & Spiritus S.* Matth. XXVIII, 19.

Origo baptiſmi nec cum B. DANZIO a temporibus Moſis, nec cum JACOBO RHENFERDIO a temporibus Adami deducenda eſt. Utriusque paradoxas hypotheſes ſolide refutavit D. CHRIST. GOTTLIEB KLUGIUS, Theologus Wittebergenſis, tam in *Orat. de fictis baptiſmi originibus*, quam *in Commentatione de baptiſmo Adami*.

Baptiſmum Johannis omnino divinæ originis fuiſſe, teſtantur ſupra allegata dicta biblica, ex quibus divina hujus viri miſſio ad baptizandum ſatis probanda eſt. Interim non negari poteſt, ejus baptiſmum a baptiſmo apoſtolorum, ſi non quoad eſſentialia, tamen quoad accidentalia, diverſum fuiſſe. Habebat enim reſpectum ad Chriſtum moriturum, non vero jam mortuum, ſpectabatque tantum ad Judæos, non vero ſimul ad ethnicos. Cæterum iſte omnino genuinus baptiſmus fuit, quem etiam Jeſus cum diſcipulis ſuis ab eo accepit, Matth. III, 13 ſeq.

Pontificii hinc perperam agunt, in *Concil. Trid. p. 82.* ita docentes: *ſi quis dixerit, baptiſmum Johannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti & apoſtolorum, anathema ſit.*

CAPUT

CAPUT III.
DE
ADMINISTRATIONE BAPTISMI.

Hæc fit ordinarie per *ministros ecclesiæ*, tanquam mysteriorum divinorum dispensatores, 1 Cor. IV, 1. Joh. IV, 2.

Hos ideo Christus alloquitur, cum baptismum universalem institueret, Matth. XXVIII, 19.

Talis minister ecclesiæ erat etiam *Johannes Baptista*, qui primum in N. T. baptizavit, Luc. III, 2.-4. Matth XI, 9. 10.

Sed quæritur: cur *Christus*, etsi prophetam verbis & factis coram Deo & omni populo potentem sese præstiterit, Luc. XXIV, 19. a functione muneris baptizandi abstinuerit? Joh. IV, 2. Factum hoc esse videtur propter formulam in baptismo usurpandam. Non enim in *nomine Filii Dei* baptizare potuit, cum ipse fuerit Filius Dei. Interim valet, quod dici solet: *quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est.*

Neutiquam autem virtus baptismi ab ordinatione, aut intentione ministri ecclesiæ, uti *Pontificii* statuunt, dependet, modo rite & recte peragatur. Hinc nec impiorum nec heterodoxorum verbi divini ministrorum baptismus rejiciendus est.

Hac de causa etiam baptismus, in Papistica aut Calvinistica ecclesia acceptus, valorem suum retinet, etsi talis baptizatus cognitis erroribus

ad veram evangelicam ecclesiam transiret. Potest ideo etiam *baptismus papisticus*, si secundum naturam & valorem consideratur, *sanctus* dici etsi non commode id fieri queat, quia ei saltem sanctitas externa & ecclesiastica deest, quæ circa externos ritus & circumstantias versari solet.

Ad quæstionem: *quis baptizare debeat in casu necessitatis, si minister ecclesiæ non adsit?* cum TERTULLIANO *de Baptismo c. 17.* responderi potest: *in casu necessitatis etiam laicis jus baptizandi est.*

Nemo autem *se ipsum* baptizare potest. Pugnat non modo cum mandato Christi, *baptizate eos*, dicentis, Matth. XXVIII, 19. sed etiam cum ipsius exemplo, qui non se ipsum baptizare, sed ab alio baptismum accipere voluit.

Ministri verbi divini sunt quidem dispensatores mysteriorum Dei, sed iis deficientibus dispensatio hæc ad ecclesiam redit. Hinc ex laicis Aquila & Priscilla verbum Dei docuisse dicuntur, Act. XVIII, 26. Inprimis periculum in mora est, si imbecillis infans nascitur. Melius tunc est, infantem absente ministro ecclesiæ per aliam personam statim baptizare, quam periculo sine baptismo moriendi exponere.

Ipsæ *obstetrices* actum baptismi in casu summæ necessitatis peragere possunt, quod probatur 1) ex jure sacerdotii spiritualis, cujus simul cum maribus participes factæ sunt mulieres, Gal.

Gal. III, 28. 2) ex praxi primitivæ ecclesiæ, quæ diaconissis id concessit; & 3) ex parallelismo circumcisionis, Exod. IV, 25. 1 Macc. I, 63. 2 Macc. VI, 10.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Hoc sunt *omnes homines*, tam masculini, quam fœminini sexus, qui in lucem hujus mundi vere editi sunt & baptismum non respuunt. Est enim *baptismus* universale medium gratiæ pro omnibus hominibus propter universale meritum Christi institutum, Matth. XXVIII, 19. Joh. III, 5. Marc. XVI, 15. 16.

Nec *fœminas* hic excludendas esse, testatur exemplum Lydiæ, Act. XVI, 14. 15. & praxis totius primitivæ ecclesiæ.

Quilibet itaque animatus, veramque humanam formam habens homo subjectum baptismi est. Monstra autem, bruta, campanæ, aliæque res inanimatæ, aut humana cadavera neutiquam baptizari debent.

Debet etiam homo perfecte *natus* esse, si per baptismum renascendus est. *Fœtus* hinc utero materno inclusus & ex parte tantum in lucem editus, baptismum non accipere potest.

Cæterum non modo *adulti* baptizandi sunt, sed etiam *infantes*.

Multum de *pædobaptismo s. baptismo infantum* in ecclesia disputatum est, quia in Scriptura S.

nec expresse mandatur, nec de eo exempla occurrunt. Potest autem pædobaptismus omnino tanquam legitimus & necessarius probari 1) ex universali mandato Christi, Matth. XXVIII, 19. 2) ex universali necessitate baptismi, Joh. III, 5. 6. 3) ex universali promissione, Marc. XVI, 16. ad infantes speciatim directa, Matth. XVIII, 3. Marc. X, 14. Luc. XVIII, 16. 17. 4) ex universali praxi apostolorum, integras familias baptizantium, Act. XVI, 15. 33. 1 Cor. I, 16. & 5) ex universali testimonio primitivæ ecclesiæ, quæ μαθητευθέντες vocabat omnes baptizatos.

IRENÆUS *adversus hæreses Valentini Lib. II. c. 39.* & ORIGINES *in Lucam homil. 14.* testantur, pædobaptismum seculo II. & III. sine contradictione in usu fuisse.

Approbandus etiam est 1) *baptismus infantum* 1) quia Christus παιδία adduci vult, Luc. XVIII, 16. Marc. X, 14.-16. 2) quia Israelitæ etiam puerulos circumciderunt, & 3) quia infantibus fides non deneganda est, Luc. I, 41. 44. Matth. XVIII, 6. Pf. VIII, 3. Pf. LXXI, 5. 6. Accedit 4) quod etiam apud Judæos infantes æque ac adulti baptismum proselytorum acceperint.

Infantes infidelium contra voluntatem parentum non baptizari debent, quia sacramenta sunt bona ecclesiæ, ad quam tales infantes per se nondum pertinent, 1 Cor. V, 12. Eph. II, 12. Beneficia etiam nemini obtrudenda sunt.

Pædo-

Pædobaptiſmum omnium optime defendit & probavit GUILIELMUS WALLUS, Anglus, *in Hiſtoria baptiſmi infantum*, a Jo. LUDOVICO SCHLOSSERO ex anglica in latinam linguam verſa, & Bremæ A. 1748. & 1753. in duobus partibus edita.

Noſtris temporibus pædobaptiſmus adhuc ab *Anabaptiſmis* rejicitur.

CAPUT V.
DE MATERIA BAPTISMI.

M*ateria*, circa quam baptiſmus verſatur, eſt *aqua*, Joh. III, 5. Act. VIII, 36. c. X, 47. cum verbo *inſtitutionis*, Matth. XXVIII, 19. Eph. V, 26. conjuncta.

Aqua eſt hujus ſacramenti res terrena & viſibilis, qualis in omni ſacramento requiritur. Ordinavit autem Deus & Chriſtus *aquam* ad baptiſmum, 1) quia ubique gratis habenda & 2) ad repræſentanda dona ſpiritualia, quæ in baptiſmo conferuntur, idonea eſt, Tit. III, 6.

Hujus aquæ baptiſmalis *typus* fuit 1) aqua, Noachum in arca ſua tempore diluvii conſervans, 1 Petr. III, 20. 21. & 2) aquatica nubes, Iſraelitas per mare rubrum & deſertum proficiſcentes humectans, 1 Cor. X, 1. 2.

Non alius liquor, nec ulla alia res fluida in baptiſmo uſurpari debet, ne ſubſtantia hujus ſacramenti mutetur. Num autem aqua fluvialis an fontana, num frigida an tepida ſit, nil refert,

dummodo ſit vera & naturalis aqua. Chriſtus enim de ea nihil determinavit.

Debet autem aqua baptiſmalis *pura*, nec cum alia re mixta eſſe. Errant propterea *Pontificii*, qui non ſolum aquam luſtralem adhibent, ſed ei etiam oleum chriſmaticum admiſcent, variasque ſacras reliquias addunt. Omnes ejusmodi circumſtantiæ cum inſtitutione baptiſmi pugnant, quapropter intermittendæ ſunt.

Materia cœleſtis in ſacramento baptiſmi prorſus ceſſat, etſi multum de ea in eccleſia diſputatum ſit, & inter noſtrates Theologos ipſos ſemper aliqui fuerint, qui vel *Spiritum S.* vel *ſacroſanctam Trinitatem*, vel *Chriſtum* ejusque *ſanguinem*, vel *verbum Dei* vel *gratiam Dei fœderalem* vel aliud quid materiam baptiſmi cœleſtem nominaverunt. Admodum difficile iis eſt, ſe ex tricis expedire, in quas circa hanc cœleſtem baptiſmi materiam incidunt.

Deus unitrinus eſt quidem cum gratia ſua in actu baptiſmi præſens; at quis propterea eum nominare velit materiam cœleſtem, quæ nobis in baptiſmo conferatur? B. Spenerus in ſeiner Glaubens-Lehre *p. 79.* hoc inprimis fecit.

Spiritus S. eſt quidem cauſa efficiens illius gratiæ, qua per baptiſmum participes evadimus, non autem ipſa materia cœleſtis, nobis in baptiſmo conferenda, dicendus. Loca Joh. III, 5. 5. & Tit. III, 5. 6. huc non quadrant. In priori loco per *ſpiritum* virtus verbi divini, tanquam alterum regenerationis medium, a ſacramento

mento baptiſmi diſtinctum, 1 Petr. I, 23. intelligitur, in poſteriori vero *effuſio Spiritus S.* non ad baptiſmum, ſed ad meritum Chriſti Joh. XVI, 7. Joel III, 1. reſpectum habet.

Chriſtus cum *ſanguine* ſuo eſt quidem cauſa meritoria effectus ſacramentalis, Hebr. IX, 14. 1 Joh. I, 7. c. V, 6. Gal. III, 27. Rom. VI, 3. 4. non vero materia ſacramenti ipſa. Effuſio aquæ adumbrat quidem in baptiſmo effuſionem ſanguinis Chriſti, pro nobis factam, non autem ipſe ſanguis Chriſti propterea in baptiſmo in nos re vera effunditur.

Verbum Dei pertinet quidem ad materiam baptiſmi; at non quatenus formaliter & tanquam medium gratiæ conſideratur, ſed tantum, quatenus nil aliud, quam mandatum Chriſti & inſtitutionem baptiſmi continet, Matth. XXVIII, 19. Hujus reſpectu Paulus baptiſmum nominat *lavacrum aquæ per verbum*, Eph. V, 26.

Gratia Dei fœderalis ad cauſam finalem quidem & efficaciam baptiſmi, non vero ad ejus cauſam materialem & ipſam hujus ſacramenti ſubſtantiam pertinet. Jo. Joach. Langius *in œconomia ſalutis* inprimis hanc tuetur hypotheſin.

Ex omnibus hiſce ſatis colligitur, materiam cœleſtem non commode in baptiſmo ſtatui poſſe. Aſſenſum potius damus B. Luthero, qui *in Art. Smald. art. 5.* ita ſcripſit: *Baptiſmus nil aliud eſt, quam verbum Dei cum merſione in aquam ſecundum ipſius inſtitutionem & mandatum.*

Hoc prolixius docetur in *Catechismo maj.* quando *in Lib. Symb. p. 537.* hæc habentur verba: *Interrogatus, quid baptismus sit? ita responde: Non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo & præcepto Dei comprehensa & illi inclusa sit & per hoc sanctificata, ita, ut nihil aliud sit, quam divina aqua; non quod aqua hæc per se quavis alia sit præstantior, sed quod ei verbum ac præceptum Dei accesserit.*

Occasionem ad quæstionem de materia cœlesti baptismi præbuerunt inprimis *Calviniani* & speciatim Theodorus Beza, qui sanguinem Christi ad baptismi substantiam, tanquam partem alteram eamque principalem requiri statuit. Vide *Acta Colloq. Mompelg. p. 428 sq.* Volebat autem per hanc materiam cœlestem sententiam Calvinianam eo magis tueri, quasi in sacra cœna æque ac in baptismo sanguis Christi se habeat ut signatum, a signo ipso remotum.

CAPUT VI.
DE FORMA BAPTISMI.

Forma baptismi consistit in adspersione, aut immersione aquæ, quatenus in nomine Patris, Filii & Spiritus S. fit.

Hac ratione baptismus secundum *verbum institutionis* Matth. XXVIII, 19. peragitur, quod altera pars hujus sacramenti substantialis est, cujus usus ideo ad formam hujus sacramenti pertinet.

Ipsum

Ipſum Johannem non aliter baptizaviſſe homines, patet ex Matth. III, 16. 17. ubi legitur, totam ſacroſanctam Trinitatem ſe manifeſtaſſe, cum Johannes Chriſtum in Jordano baptizaverit.

Propter hoc verbum inſtitutionis *baptiſmus* λουτρὸν τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, h. e. *lavacrum aquæ per verbum* vocatur, Eph. V, 26. Recte hinc B. Ægid. Hunnius *Tom. I. opp. fol. 1016. 1020.* huic dicto biblico hæc addidit verba: *vides & Aquæ & Verbi tanquam ſubſtantialium baptiſmi partium meminiſſe divum apoſtolum. Aqua enim ſine Verbo virtutem ſanctificandi non haberet, per verbum autem inſtituentis Dei acquirit hanc ſupernaturalem ſanctificandi facultatem. Duo* itaque in baptiſmo requiruntur, *Aqua* & *Verbum.*

Aqua duplici ratione adhiberi ſolet, vel per actum *adſperſionis* vel per actum *immerſionis.*

In eccleſia orientali baptizandi immerguntur aquæ, in occidentali vero adſperguntur ea. Utrumque non repugnant uſui primitivæ eccleſiæ, quia vox βαπτίζειν utramque habet ſignificationem, ut ſupra Cap. I. monſtravimus.

Actus immerſionis fit per *ſubmerſionem* capitis. *Adſperſio* diverſa eſt. Plerumque adſpergitur caput, in certis regionibus vero pectus. Indifferens hoc eſt, dummodo in nomine Patris, Filii & Spiritus S. adſperſio aut immerſio fit. Interim a conſuetis *ritibus* nullus miniſter eccleſiæ propria auctoritate recedere debet, etſi iſti non ad formam & ſubſtantiam baptiſmi

T 5 perti-

pertineant. Huc pertinent præsentia patrinorum, exorcismus, impositio nominis, recitatio certarum precum, terna adspersio s. immersio, &c.

Cum in nomine Patris, Filii & Spiritus S. omnis verus baptismus fieri debeat, quæritur: *quid de baptismo in nomine Jesu Christi*, aut *in Jesum Christum* aut *in nomen Jesu Christi*, Act. II, 38. c. VIII, 16. c. X, 48. c. XIX, 4. 5. Rom. VI, 3. Gal. III, 27. judicandum sit? Annon liceat formulam baptismi mutare? Respondemus negando. Verba enim in allegatis locis non de formula, sed de fine & fructu baptismi intelligenda sunt. Solebant enim in primitiva ecclesia baptizandi homines confessionem fidei de Christo facere; in primis Judæis hoc incumbebat, qui Jesum respuerant & crucifixerant.

Negari non quidem potest, quod is, qui in nomine Christi baptizat, non etiam in nomine sacro-sanctæ Trinitatis baptizet, quia Christus a Sancta Trinitate non separari potest; quapropter etiam Basilius M. dixit: *Christi professio est totius Trinitatis confessio: manifestat enim τὸν χρίσαντα Θεὸν, τὸν χρισθέντα υἱόν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ ἅγιον πνεῦμα.* Attamen cum dicta formula a Christo præscripta & ab apostolis eorumque discipulis constanter observata sit, ad substantiam hujus sacramenti ista omnino pertinet, atque ideo neutiquam intermittenda est. Hoc tamen in libertate christiana positum est, num is, qui baptizat, ad exemplum ecclesiæ latinæ

latinæ perſonaliter dicat: *ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* an cum eccleſia Græca imperſonaliter: *baptizetur hic in nomine Patris, Filii & Spiritus S.*

In nomine triunius Dei, hic idem eſt, ac non modo auctoritate & virtute iſtius, ſed etiam in ejus peculium & ſervitium baptizari. Per baptiſmum itaque homo quaſi Deo conſecratur & vi redemptionis Chriſti εἰς περιποίησιν αὐτοῦ recipitur, 1 Petr. II, 9. Eph. I, 14. ita, ut totus ei ſit, inque regno ejus ſub ipſo vivat ac ei ſerviat in perpetua juſtitia, innocentia & beatitudine.

CAPUT VII.

DE FOEDERE BAPTISMI.

In baptiſmo Deus gratiam ſuam per Chriſtum acquiſitam cum hac conditione, ut conſtanti fide & perpetua obedientia & dediti ſimus, nobis confert, applicat & obſignat.

Solet hoc *fœdus baptiſmi* nominari, quod reſpectu Dei *fœdus gratiæ* dici poteſt, quia Deum ad pangendum iſtud nil commovet, niſi ſumma ejus gratia & miſericordia erga miſeros nos homines. Eſt autem non tanquam plane novum, ſed potius, tanquam ſub alia forma alioque ſigno confirmationis reſtauratum, fœdus habendum.

Deus enim jam in paradiſo cum hominibus ſtatim poſt eorum lapſum fœdus gratiæ fecit, promittendo iis Salvatorem, qui eos redimat, Gen.

Gen. III, 15. Hoc fœdus poſtea multoties reſtauravit, perque varia gratiæ ſigna confirmavit, usque dum promiſſus Salvator in mundum venit, qui promiſſiones divinas præſtito ſuo merito implevit.

Fædus gratiæ tunc novam œconomiæ formam accepit, ideoque etiam novum ſigillum confirmationis. Hoc fuit *baptiſmus*, per quem omnes in fœdus Dei recipiuntur, qui vera fide in ſalvatorem mundi credunt & baptizantur, Marc. XVI, 16.

Partes contrahentes in hoc fœdere ſunt *Deus unitrinus* & *homo baptizandus*.

Deus, recipiendo hominem per baptiſmum in ſuum fœdus, imputat ei meritum Chrſti, fide apprehenſum, remittit ei omnia peccata, eumque certum reddit de ſua paterna gratia, filiatione & vita æterna. Hoc eſt ſponſio Dei.

Homo e contrario *baptizandus* ſpondet Deo unitrino conſtantem fidem, reverentiam & obſequium, renuntiat ſervitio diaboli, mundi & peccati, & obſtringit ſe ad ſtudium bonorum operum, per totam vitam præſtandum. Hac de cauſa etiam homo baptizandus ante baptiſmum non modo fidem ſuam publice confiteri, ſed etiam interrogatus de præſtandis Deo afficiis affirmando reſpondere debet. Si non ipſe hoc facere poteſt, iſtud per *ſponſores ſ. patrinos* pio ritu ad baptiſmum adhibendos, fieri ſolet.

Petrus hoc fœdus baptiſmi propterea nominat συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα, 1 Petr. III, 21.

h. e.

h. e. *fœdus bonæ conſcientiæ*, quod per reciprocam ſtipulationem fit, quæ jam in primitiva eccleſia conſueta fuit, ut Wetterkampius *de baptiſteriis Vet. in præf.* & B. Buddeus *in Theol. Mor. p. 315.* teſtantur.

Fœdus hoc *baptiſmale* ab hominibus per quotidianam renovationem, quam juxta *Catech. min. quæſt. 4. de baptiſmo* immerſio aquæ in baptiſmo conſervatur; ſi autem per peccata malitiæ & neglectum officiorum chriſtianiſmi iſtud frangitur, reſtauratio ejus non per reiterationem baptiſmi, ſed per veram pœnitentiam fieri ſolet, ut ſuo loco pluribus monſtravimus.

CAPUT VIII.
DE
PRÆCIPUIS RITIBUS BAPTISMI, AD EJUS FORMAM NON SPECTANTIBUS.

Omnes ejusmodi *ritus* non ſunt apoſtolicæ originis, ſed Seculo II. & III. in eccleſia pia mente inſtituti. Poſtea cum Papiſmus oriretur, valde iis abuſi ſunt clerici, magnamque iſtis ex ſumma ſuperſtitione tribuerunt virtutem.

B. *Lutherus* in ſalutifera eccleſiæ reformatione non omnes abrogavit, ſed antiquiſſimos & innocentiſſimos eorum retinuit, ita tamen, ut tantum pro piis ceremoniis, quæ non ad formam & ſubſtantiam baptiſmi per ſe pertinent, habean-

habeantur, iisque nulla salutaris virtus tribuatur.

Horum *rituum*, qui adhuc in ecclesia nostra evangelico-Lutherana observantur, præcipue quinque sunt, scilicet 1) sponsorum admissio, 2) nominis impositio, 3) exorcismus, 4) signum crucis & 5) indusium candidum, quo baptizatus tegitur.

Sponsores s. *susceptores* & *patrini*, qui vulgo Pathen & Gevattern nominantur, in primitiva ecclesia ad actum baptismi tanquam testes requirebantur, ut baptizati temporibus difficilibus ad eos provocare possent, si eorum baptismus dubius redderetur. In papistica ecclesia patrinis respectu eorum, quorum baptismo adstiterunt, consanguinitatis jura tribuuntur. In nostra vero ecclesia nil nisi infantum baptizandorum sponsores sunt, qui eorum nomine fidem confitentur, diabolo renunciant & Deo obedientiam promittunt. Hinc ad officium eorum non admittuntur homines diversæ religionis, aut hæretici, aut notorie scelerati, aut infantes, aut qui non sanæ mentis sunt.

Impositio nominis est antiquissimus baptismi ritus, forsitan jam ab apostolis observatus, ad imitationem circumcisionis, in qua puerulus parimodo suum accipiebat nomen. Non quidem nomine hoc baptizatus, ut vulgo dicitur, libro vitæ inscribitur, quia per baptismum nemo ad vitam æternam eligitur; at inservit tamen

istud

istud ad sempiternam commemorationem fœderis cum Deo in baptismo initi.

Exorcismus s. expulsio Satanæ ex baptizando respectum habet ad verba Pauli deliberatione ex potestate Satanæ, qui opus suum in liberis incredulitatis habet, Eph. II, 2. Antiquissimum hujus ritus testimonium suppeditat JUSTINUS MARTYR *in Dialogo cum Tryphone*, qui seculo II. vixit. *Cœlestinus V.* Pontifex M. exorcismum hunc cum ipso baptismo tanquam essentiale quid conjunxit. In terris Protestantium non ubique in consuetudine est. Ubi autem usu receptus est, tolerari potest, quia non modo antiquissimus, sed etiam utilis ritus est. Suppeditat enim de peccato & dominio Satanæ varias meditationes salutares. Interim omnino ritus indifferens est, qui salva sacramenti substantia, e. g. in periculo mortis, omitti potest. Verba, quibus exorcismus fieri solet, magis improprie, quam proprie intelligenda sunt, quia nullus baptizandus pro vere obsesso imo ne quidem pro spiritualiter obsesso habendus est, cum nemo sine fide ad baptismum accedere debeat.

Signum crucis, quod apud nos baptizandus in fronte & pectore accipit, respectum habet 1) ad meritum Christi crucifixi, cujus virtutis per baptismum participes simus, 2) ad mortem Christi crucifixi, in quam baptizamur, Rom. VI, 3. 3) ad crucem Christi, cujus nunquam oblivisci, 2 Tim. II, 8. sed potius semper gloriari

riari debemus, Gal. VI, 14. 4) ad ſpiritualem crucifixionem ſ. mortificationem carnis, ad quam per baptiſmum obſtringimur, & 5) ad crucem ſ. tribulationem, ad quam patienter ferendam in baptiſmo quaſi initiamur, Matth. XVI, 24. Luc. XIV, 27. Act. XIV, 22.

Induſium candidum, vulgo das Weſter-Hemde, adumbrat non modo innocentiam Chriſti nobis in baptiſmo imputatam, Gal. III, 27. ſed etiam ſtatum regenerationis & renovationis, in quem per baptiſmum pervenimus, Eph. V, 26. 1 Cor. VI, 11. Tit. II, 14. Pſ. LI, 9. In primitiva eccleſia recens baptizati per totam hebdomadem in albis veſtibus incedebant, quapropter *Cyprianus* eos nominavit *candidam cohortem.*

In omnibus ejusmodi ritibus, etſi non ad ſubſtantiam baptiſmi pertinent, nullus verbi divini miniſter propria auctoritate aliquid mutare aut omittere debet. Dependet enim hoc a principe, in quem jus epiſcopale in ſua regione competit.

CAPUT IX.
DE NECESSITATE BAPTISMI.

Baptiſmus omnino neceſſarium ſalutis medium eſt. *Niſi quis ex aqua & ſpiritu regeneratur, non in regnum Dei introire poteſt*, dixit Chriſtus, Joh. III, 5. Hinc etiam diſcipulis præcepit, ut omnes gentes doceant & baptizent, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15.

At

At inde non ſequitur, ſine baptiſmo neminem ſalvum fieri poſſe. Chriſtus enim eos tantum damnat, qui non credunt, Marc. XVI, 16. Joh. III, 18. 36.

Fides jam adeſſe debet in baptizando, ſi ſacramentum ei ſalutare ſit. Hac de cauſa omnes adulti ante baptiſmum de rebus fidei erudiendi ſunt, Matth. XXVIII, 19. quia ex verbo Dei fides naſcitur, Rom. X, 17.

Id, quod baptiſmus nobis confert & obſignat, ſunt *promiſſiones gratiæ divinæ* per Chriſtum acquiſitæ. Has ſpernere, in periculum ſalutis æternæ nos ducit. Hoc autem ab omnibus fit, qui baptiſmum reſpuunt.

Eſt itaque baptiſmus non reſpectu Dei, ſed reſpectu noſtri neceſſarius. Homo enim ad baptiſmum obligatus eſt, non vero Deus, qui ſuam gratiam & ſalutarem efficaciam non ita alligavit baptiſmo, ut in caſu privationis non eam extraordinarie in hominibus operari velit & poſſit.

Non itaque privatio baptiſmi, ſed contemtus ejus damnat.

Sunt, qui cum B. Gerhardo *in Loc. de Baptiſmo* §. 237. ſtatuunt, infantes ante baptiſmum morientes per piorum parentum, aut ipſius eccleſiæ preces in gratiam & vitam æternam a Deo recipi. At tali modo ſalvi fierent *fide aliena*, quæ fides autem promiſſione divina caret.

Melius eſt ſtatuere, tales infantes virtute univerſalis meriti Chriſti per extraordinariam Dei gratiam, qua neminem, qui non malitioſe Spiritui S. ejusque operationi reſiſtit, deſtitutum eſſe, ex Matth. XVIII, 14. Jon. IV, 11. Ezech. XVI, 20. 21. Luc. I, 41. 2 Sam. XII, 18. 23. & Luc. XVIII, 17. ſatis probari poteſt, ſalvos fieri. Nam univerſale meritum Chriſti, intenſiſſimumque Dei ſtudium, omnium hominum ſalutem promovendi, neminem ſpe ſalutis æternæ privat, qui media gratiæ non ſpernit, nec Spiritui S. malitioſe reſiſtit. Hoc cum nequidem de infantibus ethnicorum ſuſpicandum ſit, nec de eorum ſalute æterna plane deſperare debemus.

Eſt itaque *neceſſitas baptiſmi* valde limitanda. Vult enim Chriſtus verba ſua Joh. III, 5. 1) magis de regeneratione ipſa, quam de ejus mediis & modo, 2) ſub conditione poſſibilitatis, 3) extra caſum neceſſitatis, & 4) quoad modum ordinarium intelligi. Quod autem verba illa non univerſaliter & abſolute accipienda ſint, probamus (a) exemplo latronis converſi, Luc. XXIII, 43. qui ſine baptiſmo regeneratus & ſalvus factus eſt, (b) exemplo catechumenorum in prima eccleſia, qui in Chriſtum crediderunt, etſi nondum baptizati fuerint, & (c) exemplo incircumciſorum in V. T. qui non obſtante divina comminatione Gen. XVII, 14. per ſe non damnati ſunt, Exod. I, 22. 2 Sam. XII, 18. 23.

Pontificii

Pontificii finxerunt certum locum, quem infantibus sine baptismo mortuis assignant & *limbum infantum* nominant. Est quasi locus medius inter cœlum beatorum & infernum. Sed tacente Scriptura S. jure meritoque hic limbus simul cum purgatorio rejicitur.

CAPUT X.
DE
VIRTUTE ET VALORE BAPTISMI.

Baptismus multifariam habet virtutem. Non modo virtute regenerandi & renovandi gaudet, sed confirmat etiam fidem.

Prima virtus, quæ baptismo tribuitur, est *virtus regenerandi*. Nasci hinc dicimur ex aqua Joh. III, 5. quapropter Paulus baptismum nominat *lavacrum regenerationis*, Tit. III, 5. Proprie regeneratio per Spiritus S. gratiam, fidem in nobis operantem, fit. Resuscitamur tunc ad vitam spiritualem. Hoc fit partim mediate, partim immediate. Mediate hæc regeneratio fit in adultis per verbum Dei, immediate vero in infantibus per extraordinariam operationem. Ut vero eo certiores simus de hac regeneratione, a Deo solenni actu baptismali quasi inauguramur. Est ideo baptismus quasi *inauguratio in filios Dei* cum multis promissionibus gratiæ conjuncta. Hac de causa etiam B. LUTHERUS *in Catech. min.* baptismum vocat salutarem gratiæ & vitæ aquam. Recipimur tunc

solenni ritu non solum in fœdus Dei, sed etiam in statum divinæ filiationis. Indicat hoc Paulus dicendo, *nos omnes per fidem in Christum filios Dei esse; quotquot enim baptizati sumus, Christum induerimus*, Gal. III, 26. 27.

Altera baptismi *virtus* est *virtus renovandi s. sanctificandi*, quapropter etiam Paulus hoc sacramentum appellat *lavacrum renovationis*, Tit. III, 5. Accipimus enim per baptismum vires spirituales, quibus non modo malis concupiscentiis incitamentisque diaboli & mundi resistere, sed etiam sobrie, juste & pie vivere possumus, Tit. II, 12. Plura de hac baptismi virtute alibi dicta sunt.

Tertia virtus, quæ baptismo tribuitur, est *confirmatio fidei*. Etsi fides in adultis non per baptismum conferatur, quia jam in baptismo adesse debet, tamen per eum obsignatur & confirmatur, dum de fœdere gratiæ nos certos reddit, animumque ita solatur & erigit, ut in Christo tranquillius acquiescamus. Non solum autem hanc virtutem baptismus in ipso actu baptismali, sed etiam per omnem vitam præstat, dum fidem conservat & auget, eamque ad majorem spem & dilectionem, nec non ad crebra virtutum exercitia excitat.

Sociniani, qui baptismum pro externo ritu religionis habent, & *Calviniani*, qui ei virtutem tantum significativam tribuunt, peccant in defectu, *Pontificii* vero, qui externo actui & operi operato ubique omnem valorem adscribunt,

bunt, peccant in excessu. Statuunt ultimi simul, baptismum imprimere baptizatis characterem indelebilem, qui autem tacente Scriptura S. jure meritoque rejiciendus est.

Habet autem baptismus *valorem* suum per totam nostram vitam. Cum enim per eum recipiamur in fœdus Dei & regnum gratiæ, non iterari debet, etsi fœdus baptismale frangatur. Nostrum est fructum fœdus renovare, quod vero ex parte Dei non opus est, quia fidelis est, & promissa constanter servat, 2 Tim. II, 13. *Iteratio baptismi* non solum cum revelato verbo Dei pugnat, sed etiam per se res execrabilis est, œconomiam salutis turbans.

Qui baptismum iterare solent, vocantur *Anabaptistæ*. Hodie isti plerumque *Mennonitæ* audiunt, ab auctore *Mennone Simons* ita dicti.

Pontificiorum hypothesis de *prima naufragi tabula* valde quoque cum perpetuo baptismi valore pugnat. Nominant ita baptismum, & quidem respectu pœnitentiæ, quam alteram naufragi tabulam vocant. At baptismus rectius cum navi firmissima, qualis fuit arca Noachi, 1 Petr. III, 20. 21., quam cum tabula naufragi comparari debet. Valet enim fœdus baptismale in perpetuum, Hos. II, 19. Jes. LIV, 10. Gen. XVII, 13. Pœnitentia vero est tantum reditus ad hoc fœdus, Apoc. II, 5.

* *

SECTIO IV.

DE SACRA COENA.

CAPUT I.

DE SACRA COENA IN GENERE.

Sacra cœna nomen habet a *cœna* illa, quam Christus cum discipulis suis tunc habuit, cum sacramentum hoc instituеret. Alias etiam vocatur *mensa Domini* 1 Cor. X, 21. *cœna dominica*, 1 Cor. XI, 20. *fractio panis*, Act. II, 42. c. XX, 7. Luc. XXIV, 30. 35. *evcharistia*, Matth. XXVI, 27. Marc. XIV, 23. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24. *communio*, 1 Cor. X, 16. *synaxis*, 1 Cor. XI, 20. *sacramentum altaris*, *liturgia*, *mysterium*, *missa* &c. Nomen *missæ* s. Messe, quo inprimis Pontificii utuntur, ex ritu, quo in prima ecclesia catechumeni ante celebrationem sacramenti hisce verbis: *ite, missa est ecclesia*, ortum est.

Certi patres primitivæ ecclesiæ sacram cœnam vocabant *sacrificium*, non quidem propitiatorium, sed *evcharisticum*, quod tamen proprie loquendo sacrificium dici nequit.

Pontificii abutuntur hoc nomine & inde occasionem sumserunt, sacram cœnam pro vero *sacrificio*, & quidem non tantum evcharistico & com-

commemorativo, sed etiam propitiatorio, etsi *incruento*, habendi, quo vivi & mortui expiari possint.

Provocant 1) ad typum *agni paschalis*, qui ut victima immolatus sit, Marc. XIV, 12. 1 Cor. V, 7. At vox θύειν proprie significat *mactare*, Matth. XXII, 4. Luc. XV, 23. Joh. X, 10. Act. X, 13. Provocant 2) ad typum *Melchisedeci*. Gen. XIV, 18. At juxta textum Hebræum Melchisedek non *obtulit*, sed *protulit* panem & vinum; consistebat etiam officium ejus sacerdotale magis in benedicendo, quam sacrificando. Provocant 3) ad Mal. I, 11. At hic non de sacrificio missatico, sed de prædicatione evangelii agitur. Provocant 4) ad Dan. VIII, 11-13. At anti-christus h. l. est *Antiochus*, sacrificium Judaicum abrogaturus, 1 Macc. I, 46-48. Provocant 5) ad 1 Sam. II, 35. At h. l. *Zadok*, repudiato Abjathare, intelligitur, qui ex Eleasaris posteritate fuit. Provocant 6) ad verba institutionis sacræ cœnæ, in quibus in præsenti dicatur: *datur, effunditur*. At Christus h. l. more prophetico de futuris, tanquam præsentibus, propter certitudinem eventus loquitur. Provocant 7) ad Act. XIII, 2. coll. Hebr. VIII, 2. At λειτουργία h. l. nil aliud significat, quam functionem officii publici, ut ex Rom. XIII, 6. & Hebr. I, 14. satis patet. Provocant denique 8) ad Christi summum sacerdotium, cujus respectu Ἀρχιερεὺς vocatur Hebr. IX, 11. At ille ita vocatur

non respectu sacerdotum subordinatorum, sed respectu summi sacerdotis V. T. qui typus ejus fuit.

Sacram cœnam neutiquam *sacrificium* vocari posse probatur 1) ex natura sacramenti, in quo Deus nobis aliquid dat, cum e contrario in sacrificiis Deo aliquid offeratur; 2) ex Hebr. IX, 12. 25. 28. c. X, 12. 14. ubi Christus semel oblatus dicitur, & 3) ex eo, quod Christus unicus & æternus N. T. sacerdos sit, Hebr. IV, 14. c. VII, 21. 24. c. IX, 11.

Sacrificium missaticum apud Pontificios est 1) absurdum, quia ἀναίμακτον s. incruentum est, Hebr. IX, 22. 2) Christi sacrificio injuriosum, Hebr. X, 10. 14. & 3) summe blasphemum, quia in eo pro Christi corpore oratur, ut gratum sit Patri cœlesti. Miser sacrificulus tunc pro Mediatore apud Patrem intercedit, ut velit eum gratiose respicere, rogatque, ut jubeat deferri corpus & sanguinem Christi per manum angeli in conspectum divinæ majestatis.

Hoc sacrificium *Pontificii* pro vivis & mortuis faciunt, dum Deo Patri Christi corpus offerunt. Provocant ad 2 Macc. XII, 43-46. At locus hic non canonicam auctoritatem habet. Solent etiam in variis necessitatibus sacrificio suo missatico uti, provocantes ad 2 Sam. XXIV, 25. At ejusmodi sacrificia non sacrificium propitiatorium, sed tantum sacrificia eucharistica adumbrant.

Pascha-

Paschasius Radbertus, Abbas Gallicus, qui seculo IX. vixit, auctor sacrificii missatici esse dicitur. Hunc enim dixisse fertur, necesse esse, Christum sacrificatum iterum quotidie sacrificatum iri, quia quotidie peccemus. In Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. dogma hoc approbatum & postea in Concilio Tridentino confirmatum est.

Sociniani sacram cœnam inter singularia Christi præcepta referunt & pro nuda boni operis præstatione habent, provocantes ad 1 Cor. XI, 26.

Nos Evangelici sacram cœnam *sacramentum confirmationis* nominamus, quia nostram fidem & statum Christianismi confirmat.

CAPUT II.

DE AUCTORE SACRÆ COENÆ.

Hic non alius est, quam *Christus*, Salvator noster, qui brevi ante abitum suum ex hoc mundo, cum ultimum pascha cum discipulis suis celebraret, sacramentum hoc instituit, Matth. XXVI, 26-28. Marc. XIV, 22-24. Luc. XXII, 19. 20. 1 Cor. XI, 23-25. c. X, 16. 17.

Christus tunc erat erga discipulos *plenus amoris*, Joh. XIII, 1. 34. c. XV, 12. 16. c. XVII, 26. *tristitiæ*, Joh. XII, 27. *consolationis*, Joh. XIV, 1-3. 18. c. XVI, 20-22. 33. *precum*, Joh. XVII.

valedictionis, Joh. XIII, 33. c. XVI, 5-7. 16-20. 28. *benevolentiæ*, Luc. XXII, 15. Joh. XII, 3-5. *studiique promovendi salutem hominum*, Joh. XII, 32. 33. 47. c XIV, 6. c. XVII, 19. 20.

Supra allegata loca evangeliſtarum & Pauli ſunt genuina *ſedes doctrinæ* de hoc ſacramento, ad quæ neutiquam referenda ſunt verba Chriſti, Joh. VI, 53-56. ubi tantum de ſpirituali manducatione ſuæ carnis & ſpirituali bibitione ſui ſanguinis agit. Tunc enim Chriſtus nondum ſacramentum hoc inſtituerat.

Omnia ac ſingula, quæ ad ſubſtantiam hujus ſacramenti pertinent, determinavit Chriſtus, dum non modo panem in menſa poſitum, ſed etiam calicem vino repletum poſt cœnam accepit, utrumque diſcipulis porrexit, &, ut edant & bibant, monuit, additis hiſce verbis: *hoc eſt corpus meum pro vobis traditum: hoc eſt ſanguis meus pro vobis effuſus.*

Inſtituit *Chriſtus* ſacramentum hoc in *ſtatu* quidem *exinationis*, non vero in actu *exinanitionis.* Eſt enim opus divinæ auctoritatis & poteſtatis, quapropter etiam Paulus Chriſtum per totam hiſtoriam inſtitutionis ſacræ cœnæ cum ſingulari emphaſi nominat Κύριον ſ. *Dominum*, 1 Cor. XI, 23. 26. 27.

Pater & *Spiritus S.* in inſtitutione hujus ſacramenti non excludendi ſunt, quia Chriſtus divina auctoritate & poteſtate, quam cum Patre & Spiritu S. communem habet, in actu inſtitutionis uſus eſt. Pro opere hinc divino,

ad

ad extra transeunte, habenda est hæc sacræ cœnæ institutio.

Non modo autem Christus sacramentum hoc instituit, sed etiam jussit, ut crebro ab omnibus, in eum credentibus, celebretur, interprete Paulo 1 Cor. XI, 26.

Autorem itaque habet sacra cœna, qui est *summe verax*, Matth. XXII, 26. Joh. VIII, 46. *summe sapiens*, Matth. XIII, 54. Luc. XI, 49. Col. II, 3. & *summe potens*, Luc. XXIV, 19. Quis ideo intellectum suum circa mysterium hujus sacramenti non captivum ducat sub obedientiam Christi? 2 Cor. X, 5.

Nil aliud autem Christus tunc temporis instituere potuit, quam quod ad hominum & inprimis fidelium salutem spectavit. Jure meritoque hinc sacram cœnam ἀγάπας, h. e. ein Liebes-Mahl, nominare possumus, sicut in primitiva ecclesia dictam esse legimus, Jud. v. 12.

CAPUT III.
DE
MATERIA TERRESTI SACRÆ COENÆ.

Materia terrestris & visibilis, quæ in omni sacramento requiritur, est in sacra cœna *panis* & *vinum*.

Panem dicimus cibum, ex farina cum aqua mixta per æstum ignis præparatum, *vinum* vero potum, qui ex uvis premitur & propterea γέννημα τῆς ἀμπέλου, h. e. *fructus vitis*, appellatur, Matth. XXVI, 29. *Panis*,

Panis, quem Christus adhibuit, fuit *azymus*, quia non alius propter festum paschatos tunc apud Judæos dabatur. Qualem nunc adhibeamus panem, expressis verbis in Scriptura S. non indicatur. In ecclesia Orientali christiani plerumque fermentatum, in occidentali vero azymum adhibent, exceptis Calvinianis, qui etiam fermentato utuntur pane. Interim præstat, azymum panem ad exemplum Christi in sacra cœna adhibere.

In ecclesia Romana *placentulæ orbiculares* jam abhinc aliquot seculis ante Reformationem B. Lutheri usurpatæ sunt, quas in nostra ecclesia evangelica retinuimus, quia verus panis sunt, ex farina, aqua permixta, constans, etsi virtute nutriendi destitutæ sint, quæ in cœna sacra non requiritur. Vulgo *hostias* & *oblatas* nominamus, quia imago Christo pro nobis in cruce sacrificati iis impressa est. Pontificii eas etiam extra usum sacramentalem sacras esse volunt.

Causa, cur Christus *panem* ad sacramentalem usum adhibuit, sine dubio non alia fuit, quam quod panis cibus nobilissimus & præstantissimus sit, quo minime omnium carere possuimus. Habet enim singularem nutriendi & corroborandi virtutem, Ps. CIV, 15. quapropter etiam Christus se ipsum cum eo comparavit, Joh. VI, 35. 48. 51.

Quale *vinum* Christus adhibuerit, cum sacram cœnam institueret, num rubrum an album, incognitum est. In nostra hinc libertate positum

tum eſt, quale vinum in ſacra cœna uſurpare velimus, dummodo ſit verum vinum, ex vite prognatum. Uti autem voluit Chriſtus *vino*, cum ſacram cœnam inſtitueret, quia nobiliſſimus hominum potus eſt, qui non modo ſitim extinguit, ſed etiam ſpiritus excitat & cor exhilarat, Pſ. CIV, 15. Pſ. XXXI, 6. Egregie igitur virtutem ſanguinis Chriſti ſpiritualem depingit.

Quæritur hic: *num etiam vinum aqua pauliſper dilutum in ſacra cœna adhiberi debeat?* In iis regionibus, ubi vina fortiora non aliter, quam aqua mixta, bibuntur, iſtud fieri poteſt, ſi modo vinum copia, colore, odore & ſapore immixtam aquam antecellit. Interim omnino melius agimus, ſi purum vinum uſurpamus, quia ſolius γεννήματος vitis in hiſtoria inſtitutionis ſacræ cœnæ mentio fit.

Valde circa materiam ſacræ cœnæ terreſtrem errant *Pontificii*, dum unam tantum ſpeciem ſ. ſolum panem, in ſacra cœna diſtribuunt, calicem vero iis, qui ad eam accedunt, ſubtrahunt. Vinum ad exemplum orientalis eccleſiæ aqua miſcent, quam miſturam a voce κεραννύειν ſ. miſcere, *crama* vocant. *Miſtura* hæc in orientali eccleſia poſt conſecrationem, in Romana vero ante conſecrationem fieri ſolet. Provocant Pontificii fruſtra ad Joh. XIX, 34.

Erraverunt etiam circa materiam ſacræ cœnæ in veteri eccleſia 1) *Peputiani*, caſeum cum pane euchariſtico jungentes, unde *Artotyritæ* dicti

dicti sunt 2) *Cataphryges*, farinam sanguine humano miscentes, 3) *Manichæi*, farinam semine virili miscentes, 4) *Ophitæ*, panem a serpente lambitum adhibentes, & 5) *Aquarii s. Hydroparastatæ*, aquam pro vino usurpantes.

Reprehendendus etiam est *Innocentius VIII.* Pont. Max. Norwegianis olim permittens, ut loco vini mulsum, ex aqua & melle confectum, in sacra cœna adhibuerint, nec non *Beza* & *Bucanus* ex Calvinianis, qui deficiente pane & vino usum alius rei esculentæ & potulentæ in sacra cœna concedendum esse statuerunt.

CAPUT IV.
DE
MATERIA SACRÆ COENÆ COELESTI.

In sacramento sacræ cœnæ omnino datur *res s. materia cœlestis* & *invisibilis*, realiter substantialiterque præsens, quæ in aliis sacramentis deest.

Hæc est *corpus* & *sanguis Christi crucifixi*, quæ duo autem non conjunctim, sed separatim consideranda sunt.

Dicuntur *res s. materia cœlestis:* non, quia tantum ad cœlum pertinent, aut de cœlo seu cœlestis substantiæ sunt, sed quia cœlesti, h. e. supernaturali modo præsentes & cum materia terrestri conjunctæ sunt.

Ad

Ad perfectas epulas non modo cibus, sed etiam potus pertinet. Hac de causa etiam in sacra cœna utrumque datur. *Cibus* est corpus Christi & *potus* est sanguis ejus.

Id, quod ad edendum affertur, est *Christi* verum substantialeque *corpus* animatum, pro nostris peccatis in mortem crucis traditum. Dixit enim Salvator expresse ad discipulos suos: *edite, hoc est corpus meum, pro vobis datum*, Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24.

Id, quod bibendum porrigitur, est verus & substantialis *sanguis Christi*, ex ejus corpore emissus & pro nobis in remissionem peccatorum effusus, Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20. 1 Cor. XI, 25.

Maximi adversarii hujus doctrinæ sunt *Calviniani*, qui præsentiam veri corporis & sanguinis Christi in Sacra cœna prorsus negant.

Circa quæstionem: *an corpus & sanguis Christi substantialiter in cœna sacra præsens sint?* prioribus seculis in ecclesia non mota est controversia. At vero cum posteris temporibus ex dictionibus patrum primitivæ ecclesiæ durioribus figmentum transsubstantiationis, licet adhuc sine certo nomine, sensim gigneretur, *Scotus Erigena* & *Bertramus* Seculo IX. huic dogmati sese opponere ceperunt. Hoc postea Seculo XI. multo apertius & vehementius fecit *Berengarius*, ecclesiæ Andegavensis in Gallia Diaconus, qui ex Scylla quasi in Charybdim incidit

dit & præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantialem in ſacra cœna prorſus negavit.

Ex hujus Berengarii ſchola circa finem Seculi XIV. prodiit *Johannes Wicleff*, Oxonienſis, qui doctrinam hanc acerrime propugnavit, quapropter poſtea per decretum Concilii Conſtantienſis e ſepulchro erutus & igne combuſtus eſt.

Hujus caſtra nunc ſequuntur omnes *Calviniani*, ſeu ſic dicti *Reformati*, quorum argumenta contra præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna hujus ſunt tenoris: 1) *Chriſtus in cœlum adſcendit:* at non propterea omnis præſentia ejus in dubium vocanda eſt, etſi ſit inviſibilis, cum dixerit ante adſcenſionem, ſe fore apud ſuos fideles quotidie usque ad finem mundi, Matth. XXVIII, 20. c. XVIII, 20. 2) *omne corpus eſt in loco*: at Chriſti corpus juxta corpora naturalia æſtimandum non eſt; 3) *noſtra corpora ſimilia erunt corpori Chriſti glorificato, quæ tamen non poſſunt eſſe omnipræſentia:* at Chriſti corpus non modo glorificatum, ſed etiam majeſtaticum eſt; 4) *corporalis præſentia Chriſti nobis nihil prodeſt*, Joh. VI, 63. at h. l. non de carne Chriſti ipſa, ſed de carnali Capernaitarum ſenſu agitur; 5) *commemoratio verſatur circa abſentia:* at hæc in verbis inſtitutionis non ad corpus Chriſti, ſed ad ejus paſſionem & mortem ſpectat; 6) *Συνουσία ſ. conſubſtantiatio ſic ſtatuenda foret:* at negatur illa in ſenſu Calviniſtico, conceditur autem in ſenſu evangelico, ut

ut in sequenti capite ostendetur; 7) *Christus non amplius cognoscitur secundum carnem*, 2 Cor. V, 16. at distinguendum est inter Christum cognoscendum ἐν σαρκὶ & κατὰ σάρκα: non prius, sed posterius h. l. intelligitur; 8) *post adscensionem corpus Christi coelo clauditur*, Act. III, 21. at h. l. vox οὐρανὸς regitur ab articulo postpositivo, vox δέξασθαι vero non passivae sed mediae vocis est; hinc locus ille ita interpretandus est: *quem oportebat coelum capere*; & 9) *sacramentum est signum*; *signum autem est rerum absentium*: at ultimum negatur; sunt enim sacramenta signa visibilia rerum invisibilium.

Manducationem & *bibitionem* in sacra coena *non spiritualem* esse constat 1) ex claris verbis institutionis, ubi semper vox ἐστὶ usurpatur; 2) ex manducatione indignorum, 1 Cor. XI, 27. 29. quia manducatio spiritualis semper salutaris est; 3) ex verbis Pauli, κοινωνίαν vocantis manducationem sacramentalem, 1 Cor. X, 16. & 4) ex discrimine V. & N. Testamenti: in illo σκιὰν s. umbram futurorum, in hoc vero σῶμα eorum Col. II, 17. habemus.

Ex 1 Cor. XI, 24. nonnulli volunt voculam ἐστὶ interpretari per *significat*, quia calix ipsa non possit esse novum testamentum; sed verba in contextu proprie ita sonant: *haec calix cum meo sanguine est novum testamentum.*

Verba Christi: *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus;* Calviniani non proprie, sed tropice intelligunt.

Carolostadius pronomen *hoc* per adverbium *hic* interpretatur. *Zwinglius* vocem *est* per *significat* explicat. *Oecolampadius* per corpus & sanguinem figuram tantum corporis & sanguinis, & *Calvinus* virtutem & efficaciam utriusque intelligit. *Keckermannus* ex logicis principiis demonstrare vult, ejusmodi propositiones esse relativas, extrinsecas & analogicas prædicationes. Nonnulli verba Christi ex ritu & formula Judæorum paschali derivant, contra quos omnes prolixe disputavit B. DEYLINGIUS *in Observ. Misc. p. 221. sq.*

Nos *verba Christi* in sacra cœna jure meritoque in *sensu proprio* accipimus, quia 1) verba testamenti & ultimæ voluntatis sunt, quæ non tropum admittunt; 2) ad certum fidei articulum spectant, qui verbis propriis & perspicuis proponi solet; 3) a litera Scripturæ S. sine necessitate non recedendum est, & 4) Christus, si fidei mysteria sub parabolis proposuit, ea ipse etiam explicuit.

B. *Lutherus* agnovit quidem in verbis sacræ cœnæ synecdochen, sed grammaticam, non vero rhetoricam.

Errant hic etiam *Leonhardus Christophorus Sturmius*, celebris Mathematicus, qui verbum τοῦτο ita interpretatus est, quasi dixisset Christus: dergleichen ist mein Leib; sicuti igitur panis nutriat corpus, ita corpus Christi nutriat nostram animam.

CAPUT

CAPUT V.

DE
UNIONE SACRAMENTALI IN SACRA COENA.

Cum *duplex* sit *materia sacramentalis* in sacra cœna, terrestris & cœlestis, quæ uno actu ab iis, qui sacramento utuntur, accipitur, *unio* omnino inter utramque materiam datur, quæ prorsus singularis, per se autem incomprehensibilis est.

Est hæc unio sacramentalis nec *substantialis*, nec *personalis*, nec mere *παραστατικὴ*, aut *localis*, nec *transsubstantialis*, nec mere *significativa* dicenda, sed ita comparata, ut non solum tunc demum fiat, quando ore accipimus utramque materiam, sed utraque etiam materia in unione suam propriam essentiam retineat.

Inde cognoscimus, vere & realiter uno actu in sacra cœna accipi non modo verum panem & verum vinum, sed simul quoque verum corpus & verum sanguinem Christi. Prius visibiliter, & posterius invisibiliter, uno tamen actu, fit.

Et hoc est nostra evangelica doctrina de hoc sacramento, quam probamus ex 1 Cor. X, 16. ubi Paulus de *pane* & *vino* sacræ cœnæ expresse testatur, esse *κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi.* *Κοινωνία* autem ejusmodi unionem indicat, in qua unienda ita conjuncta sunt, ut neutrum

alterius naturam participet, etsi utrumque præsens sit.

Solent propterea particulæ *in*, *cum* & *sub* a nostris Theologis usurpari, si de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna loquuntur. *Calviniani* & inprimis *Theodorus Beza*, nos hac de causa, sed perperam, arguunt impanationis, companationis & subpanationis, nec non in-vinationis, con-vinationis & sub-vinationis, aut sic dictæ *consubstantiationis*. Explanant quidem istæ particulæ non ipsum modum præsentiæ corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, at destruunt tamen transsubstantiationis dogma, adstruuntque veritatem utriusque præsentiæ sub symbolis panis & vini.

Pontificii unionem sacramentalem in sacra cœna interpretantur per *transsubstantiationem*. Horrendum hoc dogma in ecclesia ex controversiis enatum est, quæ inde a Seculo IX. cum iis, qui præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna impugnaverunt, agitatæ sunt. Nomen ipsum in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. an. 1215. habito, primum auditum & postea constanter pro magno fidei salvificæ articulo in ecclesia Romana habitum est.

Diversimode Pontificii *modum transsubstantionis* describunt. Quidam statuunt *mutationem corporis Christi productivam*, quasi corpus in altari producatur & denuo creetur; alii *adductivam*, quasi de cœlo adducatur. Prius præcipue *Dominicani* & posterius *Franciscani* in Concilio Triden-

Tridentino defenderunt. Alii ſtatuunt *mutationem conſervativam*, in qua corpus in ſua eſſentia priſtina conſervetur; alii *conſtitutivam*, per quam nova introductio corporis Chriſti ſub ſpecie panis ſuam ſubſtantiam amittens fiat, & alii cum doctiſſimis Gallis *unitivam*, quam per completionem & dilatationem myſterii incarnationis deſcribunt. Sed omnes cum ſua transſubſtantiatione errant.

Fruſtra provocant ad verba Chriſti, expreſſe dicentis: *hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus.* Sunt enim propoſitiones exhibitivæ, in quibus ſubjectum *hoc* totum complexum, ex re terreſtri & cœleſti conſtantem, prædicatum vero partem nobiliorem, in ſenſus non incurrentem, indicat. Idem per eas dicitur, ac ſi aliquis exhibendo patinam, ceraſorum plenam, diceret: *hoc ſunt ceraſa!*

Ex dogmate de transſubſtantiatione ſequuntur plura *abſurda*. Si enim in verum Chriſti corpus permutatur panis conſecratus, talis panis etiam religioſo cultu proſequendus eſt, calix vero vino repletus, in ſacra cœna non neceſſarius eſt, quia ſanguis Chriſti ſimul cum ejus corpore accipi poteſt. Utrumque docent Pontificii, qui propter hoc dogma quotannis *feſtum corporis Chriſti*, vulgo das Fronleichnam-Feſt, celebrant, in quo ſolenni & religioſa proceſſione corpus Chriſti ſub ſpecie conſecratæ hoſtiæ circumferunt. Temere provocant ad

 arcam

arcam fœderis, a sacerdotibus circum muros Hierichuntinos olim gestatam.

Christi corpus & sanguinem non mediantibus symbolis nobiscum communicari in sacra cœna, sed intra nos fieri carnem & sanguinem Christi, docent *Valentinus Weigelius* aliique *Fanatici*, unionem fidelium cum Christo essentialem fingentes.

CAPUT VI.
DE
SUBJECTO SACRÆ COENÆ.

Hoc sunt omnes *homines christiani*, qui conscientiam suam explorare, 1 Cor. XI, 28. & mortis Christi meminisse queunt, 1 Cor. XI, 26.

Arcentur hinc ab usu sacræ cœnæ 1) omnes, qui nondum baptizati & in numerum christianorum recepti sunt; 2) omnes aperti hæretici & schismatici, qui extra communionem veræ ecclesiæ externæ vivunt; 3) omnes notorii peccatores non pœnitentes, qui tanquam canes, Apoc. XXII, 15. & porci, Matth. VII, 6. a sanctuario arcendi sunt, 2 Thess. III, 6. 4) omnes infantes, qui nondum ad annos discretionis pervenerunt, & 5) omnes mente capti. Cæteri omnes, qui fidem profitentur, etsi sint hypocritæ & peccatores occulti, non arceri possunt, ut exemplum Judæ proditoris docet, quem Christus æque ac cæteros discipulos ad usum sacræ

sacræ cœnæ admisit, Matth. XXVI, 27. Luc. XXII, 21.

Fecit hoc Salvator, ut significet, 1) malos in ecclesia semper admixtos esse bonis, 2) eos, quorum malitia nondum in aprico est, tolerandos esse, 3) indignorum accessum non obesse dignis, ad sacram cœnam accedentibus, & 4) neminem propter indignos convivas usum sacræ cœnæ respuere debere.

In primitiva ecclesia etiam *infantes* sacræ cœnæ participes reddebantur, quod autem in Concilio Tridentino abrogatum & condemnatum est. In ecclesia orientali & Russica adhuc infantes post baptismum eucharistiam accipiunt, quod autem contra scopum Christi est, quia infantes ejus mortis meminisse nequeunt. Provocatur ad Joh VI, 53. ubi vero de spirituali tantum manducatione Christi agitur.

Pontificii non nisi *sacerdoti*, sacram cœnam administranti, sacramenti usum sub utraque specie concedunt, subtrahentes cæteris omnibus calicem. Existit hic error ex dogmate absurdo de transsubstantiatione, invaluitque ita in ecclesia, ut tandem in Concilio Constantiensi blasphemis verbis: *non obstante institutione Christi*, formam legis acceperit & inter articulos fidei receptus sit. Distinguunt inter *calicem benedictionis* & *ablutionis*, quem vulgo den Spühl-Kelch nominant. Illum omnibus, qui non sacramentum administrant, denegant, hunc vero in quibusdam locis laicis porrigunt ad abluen-

 dos

dos dentes, ne quid de consecrato pane iis inhærescat. Est autem in hoc calice vinum non consecratum.

Pontificii, dum laicis usum calicis denegant, aperte contra institutionem & mandatum Christi, Matth XXVI, 27. 1 Cor. X, 21. c. XI, 25-29. agunt. Provocant ad probandam suam hypothesin 1) ad naturam corporis vivi, quod non sit sine sanguine: at distinguendum est inter unionem corporis naturalem & sacramentalem; 2) ad particulam ἢ i. e. *aut* 1 Cor. XI, 27. inde concludunt, liberum esse utriusque speciei usum: at hæc particula non divulsiva, sed distinctiva est; & 3) ad Luc. XXIV, 30. ubi sacra cœna fractio panis dicatur: at est locutio synecdochica.

Ad objectionem, discipulos Christi sacra cœna sub utraque specie usos esse, respondent, eos clericos fuisse. At si ex hac causa consecratum vinum non bibere debent laici, nec consecratus panis iis dandus esset

Calviniani negant, indignos sacramenti sacræ cœnæ vere participes fieri, frustra provocantes ad 1 Cor X, 21. & Matth. VII, 6. Verum refutari possunt 1) ex verbis 1 Cor. XI, 27. 29. 2) per exemplum Judæ proditoris, Luc. XXII, 21. & 3) ex eo, quod fides quidem sacramentum salutare reddat, non vero ipsum sacramentum constituat.

CAPUT

CAPUT VII.
DE
FORMA SACRÆ COENÆ.

Forma ſacræ cœnæ conſiſtit in *orali manducatione* & *bibitione* conſecrati panis & conſecrati vini juxta inſtitutionem Chriſti diſtributi.

Très itaque dantur in ſacra cœna *formales actus*, conſecratio, diſtributio & acceptio.

Primus formalis actus ſacræ cœnæ eſt *conſecratio*, quæ fit per preces & recitationem verborum inſtitutionis. Hoc modo ſeparantur panis & vinum a vulgari uſu & deſtinantur ad uſum ſacramentalem. Dicitur hic actus etiam εὐχαριστία ſ. *benedictio*, qua ipſe Chriſtus in inſtitutione ſacræ cœnæ uſus eſt, Matth. XXVI, 26, 27. 1 Cor. XI, 24. Paulus propterea calicem dixit τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, h. e. *poculum benedictionis cui benedicimus* 1 Cor. X, 16. Diſtinguunt nonnulli voces εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν, quaſi prius ad ſolum Deum, alterum vero ad ſymbola directum ſit. Sed ſine dubio unius ejusdemque ſunt ſignificationis.

Chriſtum ritus quosdam Judaicos in inſtitutione ſacræ cœnæ ex liberrimo beneplacito retinuiſſe contendunt HOTTINGERUS *ad Goodwini Moſem & Aaronem p. 17.* item RELANDUS *in Antiq. Hebr. p. 6.* & PFAFFIUS *in Diſſ. de Conſecrat. Vet. euchariſtica*, provocantes ad Judæorum כּוֹס שֶׁל בְּרָכָה, ſ. tertium calicem,

 ex

ex iis, quos nocte paschali quilibet Judæus ebibere cogebatur.

B. Rambachius *in Theol. Dogm. P. II. p. 1371.* docet, per verba institutionis & eorum recitationem fieri unitionem sacramentalem s. *κοινωνίαν* corporis & sanguinis Christi. Sed improbamus hanc hypothesin, quia dicta *κοινωνία* non prius fieri potest, quam eo momento, quo consecratum panem & vinum ore accipimus; alias sequeretur, panem & vinum consecratum etiam extra usum conjunctum esse cum corpore & sanguine Christi.

Nos media inter Pontificios & Calvinianos incedimus via, dum docemus, per consecrationem elementa ad usum sacramentalem destinari & media exhibitiva corporis & sanguinis fieri, cum e contrario Pontificii consecrationi vim mutandi substantiam adscribant, *Calviniani* vero verba institutionis tanquam nudam narrationem historicam recitent.

Alter actus formalis in sacra cœna est *distributio* s. *dispensatio*, quæ nostris temporibus aliter comparata est, quam in prima ecclesia, in qua panis & calix consecratus in manus illius, qui ad sacramentum accedebat, dabatur, cum hodie calix ad os admoveatur, panis vero in os ipsum immittatur. *Panis* etiam non ulterius, uti in primitiva ecclesia fiebat & adhuc apud Calvinianos in consuetudine est, frangitur. Dum enim placentulis orbicularibus utimur, istas totas in os sumere & devorare possumus.

Vete-

Veteres christiani olim vinum consecratum per fistulam eucharisticam ex calice biberunt, *de qua fistula* Joh. Voigtius *Tractatum* scripsit, qui Bremæ an. 1740. prodiit.

Tertius formalis actus in sacra cœna est symbolorum consecratorum *acceptio*, quæ edendo & bibendo fit. *Corpus Christi* cum pane consecrato editur & manducatur, *sanguis* ejus vero cum consecrato vino bibitur. Est autem ejusmodi manducatio & bibitio non prorsus naturalis & sensibilis, at vera tamen & oralis. Plerumque *sacramentalis* dicitur, quia sacramento sacræ cœnæ propria est.

Id, quod corporaliter & sensibiliter editur & bibitur, est *panis* & *vinum*. Cum utroque autem simul uno actu tam corpus Christi, quam ejus sanguis invisibiliter & supernaturaliter, vere tamen & oraliter, accipitur.

Calviniani negant oralem manducationem & bibitionem in sacra cœna. Vocatur autem *oralis*, non a modo, quasi labiis & lingua sumatur, dentibusque discerpatur Christi corpus, sed a manducationis organo. Etsi autem corpus & sanguis Christi ore corporis accipiantur, non tamen in ventriculum immittuntur, sed per sensibilia vehicula, nobiscum communicata, fiunt cibus animæ. Sacramentalis itaque manducatio propria quidem dicenda est, at non in sensu physico, sed in sensu grammatico.

CAPUT

CAPUT VIII.
DE
ADMINISTRATIONE SACRÆ COENÆ.

Hæc fit per *ministrum ecclesiæ* ordinarium, qui propterea dispensator mysteriorum Dei vocatur, 1 Cor. IV, 1.

Christus quidem ipse primum administravit sacramentum hoc, ea scilicet nocte, qua in manus hostium tradebatur, sed postea celebrationem ejus verbi sui ministris demandavit, 1 Cor. XI, 23.

Sacra cœna non comparata est, sicut baptismus, qui in casu necessitatis etiam ab alio homine christiano, imo a fœmina christiana, peragi potest. Nunquam enim legimus, sacram cœnam in orthodoxa ecclesia ab alio, quam a ministro ecclesiæ, celebratam esse. Hic vero sit vel episcopus, vel pastor, vel diaconus; dummodo ad munus sacrum rite ordinatus sit, sacramentum hoc administrare potest.

Pontificii non alium clericum ad administrationem hujus sacramenti admittunt, quam qui ad officium sic dicti *sacerdotis* consecratus & inauguratus est.

Deficiente ministro ecclesiæ ordinario in nostra ecclesia melius esse judicatur, per spiritualem manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi inquietum suum animum tranquillare, quam sacramentum cœnæ sacræ ab alio, qui non ritu apostolico ad munus sa-

crum ordinatus eſt, accipere. Valent hic verba B. *Auguſtini*, dicentis: *crede & manducaſti.*

Miniſter eccleſiæ ne quidem ſibi ipſi ſymbola ſacramentalia porrigere debet. Panem & vinum quidem conſecrare, non vero propriis manibus, tanquam ſacramentalem cibum & potum, ad os ſuum admovere & ſic manducare & bibere poteſt. Interim dantur omnino aliqui inter noſtrates Theologos, qui cum B. Wandalino *in Expoſit. Theol. p. 279.* in ſummo neceſſitatis caſu iſtud concedunt, quia non modo talis miniſter in publico officio verſetur, ſed etiam ſacerdotes V. T. non minus pro ſuis, quam pro populi peccatis ſacrificare potuiſſent.

In adminiſtratione ſacræ cœnæ miniſter eccleſiæ circumſpecte agere ſibique cavere debet, ne contra ſubſtantialia hujus ſacramenti aliquid faciat, nec in eccleſiæ ritibus quicquam mutet, nec perſonas admittat, quæ vel aperte impœnitentes, vel haud ſanæ mentis, vel de aliena religione ſint. Propria auctoritate neminem quidem ab uſu ſacræ cœnæ arcere debet; at incumbit ei tamen ſuperiores ſuos de omnibus caſibus dubiis juſto tempore certiores reddere.

Ad legitimam adminiſtrationem ſacræ cœnæ pertinent 1) *preces*, quibus præſens panis & vinum ad ſacramentalem uſum conſecrantur: plerumque adhibetur oratio dominica; 2) *recitatio verborum inſtitutionis Chriſti*; 3) utriusque ſymboli *diſtributio* inter perſonas, quæ accedunt

& qui-

& quidem hisce verbis: *accipite, editie, hoc est corpus Christi pro vobis datum; accipite, bibite, hoc est sanguis Christi pro vobis effusus!* & 4) ut residuum de pane & vino consecrato adjiciatur & immisceatur reliquo pani & vino, nondum consecrato, ne utroque abutantur homines scelerati & superstitiosi.

Pontificii hostiam in actu sacrificii missatici in tres particulas discerpunt, quarum unam pro vivis, alteram pro sanctis defunctis & tertiam pro iis, qui in purgatorio sunt, sacrificant. *Sergius*, Pont. Max. sec. VII. auctor hujus functionis est. Prima particula in calicem mittitur, altera comeditur & tertia in altari usque ad finem missæ asservatur.

CAPUT IX.

DE

FINE ET USU SACRÆ COENÆ.

Finis Christi in institutione sacræ cœnæ fuit recordatio & commeratio suæ personæ ac mortis. Hinc ad discipulos, cum distribueret benedictum panem, dixit: *Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*, h. e. *in meam commemorationem*, Luc. XXII, 19. Repetit hoc non solum Paulus, 1 Cor. XI, 24. 25. sed addit simul: *Quotiescunque comederitis panem hunc & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.*

Hæc commemoratio Christi ejusque mortis egregiam habet virtutem excitandi in hominibus

bus fidem & dilectionem, quapropter non dubium est, quin Christus hanc salutarem efficaciam intenderit, cum in suam commemorationem sacram cœnam instituerit. Recte hinc colligi licet, neminem sine fide & dilectione digne ad sacram cœnam accedere posse. Mens enim jam ad Christum ejusque meritum & mortem directa esse debet, antequam accedit homo, si sacramentum ei salutare esse debet.

Requiritur ideo ab omni, qui digne & salutariter sacra cœna uti vult, certa *præparatio* ad eam, quæ in exploratione sui ipsius consistit, teste Paulo, dicente: δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτὸν, h. e. *exploret quisque se ipsum*, 1 Cor. XI, 28.

Conscientiam suam itaque examinare debet quisque, qui ad sacram communionem accedere vult, num 1) peccatis Deum malitiose offenderit, 2) fidei naufragium fecerit, & 3) cum proximo hactenus in inimicitia vixerit. Hoc si cognoscit, 1) pœnitenti corde ad Deum se convertere, 2) fidei in Christum iterum locum dare, & 3) cum proximo se reconciliare debet, antequam ad mensam Domini appropinquat. Hoc ut eo magis fieret, in ecclesia *sella confessionaria* instituta est, de qua suo loco pluribus agetur.

Ita præparatus quilibet homo bono animo ad sacram cœnam appropinquare potest; si vero non ita præparatus est, indignus habetur.

Hæc

Hæc *indignitas* secundum solam *fidem* judicanda est; quæ, etsi debilis & cum carne luctans sit, hominem usu sacræ cœnæ non indignum reddit, dummodo vera est. Est enim sacramentum hoc medicina spiritualiter ægrotorum & medium confirmandi fidem.

Duplex autem requiritur ab iis, qui ad mensam Domini digne accedere volunt, *fidei objectum*, nempe 1) *Christus cum suo merito* & 2) *sacramentum sacræ cœnæ* ipsum. Credi enim debet non modo, Jesum Christum pro omnibus peccatis nostris in remissionem eorum mortuum esse, sed etiam corpus ejus, pro nobis in mortem traditum, & sanguinem ejus, pro nobis effusum, revera nobiscum in sacra cœna sub consecrato pane & vino communicari.

Interim omnino omnes, qui accedunt ad sacram συνάξιν, corpus & sanguinem Christi *vere* accipiunt, etsi non omnes digni, debiteque præparati & fide instructi sint. Probatur hoc non solum exemplo Judæ proditoris, sed etiam expressis verbis Pauli, de damno eorum, qui indigne hoc sacramento utuntur, agentis, 1 Cor. XI, 27. 29.

Consistit autem *usus sacræ cœnæ* 1) in obsignatione & confirmatione gratiæ evangelicæ nostræque fidei, 2) in arctiori conjunctione cum Christo, capite nostro, cujus membra per fidem sumus, Joh. VI, 56. c XV, 5. 6. Eph. V, 30. 2 Petr. I, 4. & 3) in incremento mutuæ dilectionis, quapropter etiam non modo hoc sacramentum

cramentum *ſacra communio* vocatur, ſed etiam quantum fieri poteſt, in communione uſurpari debet, 1 Cor. XI, 20. Recte hinc Paulus ſcripſit: *πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν*, h. e. *omnes in unum ſpiritum potati ſumus*, 1 Cor. XII, 13.

Propter hunc triplicem uſum nemo bonus chriſtianus nominari poteſt, qui non quotannis aliquoties ſacramento ſacræ cœnæ utitur.

Nullibi quidem in ſacris literis definitur, quoties fieri debeat, ſæpe tamen iterandum eſſe uſum ejus, indicat Chriſtus 1 Cor XI, 25. & Paulus v. 26. ubi vox *ὁσάκις*, idem ac *πολλάκις* ſ. *ſæpe* ſignificat.

LIBER XIV.

DE ECCLESIA.

CAPUT I.

DE ECCLESIA IN GENERE.

Vox *eccleſia* ſ. *ἐκκλησία* deſcendit a verbo *ἐκκαλεῖν*, *evocare*. Significat igitur *cœtum* ex hominum multitudine evocatum & convocatum.

Proprie vox hæc pro qualibet *concione hominum* uſurpatur, uti ex Act. XIX, 32. 39. 40. colligere licet; in ſenſu biblico autem *cœtum fidelium ſacrum* tam univerſalem, quam parti-

 cularem

cularem significat, & quidem non solum cœtum fidelium N. T. sed etiam V. T. Act. VII, 38. qualem cœtum Hebræi עֵדָה nominant.

Germanice *ecclesia* vocatur die Kirche, quæ vox sine dubio derivanda est a *κύριος*, h. e. *dominus*, quia Christus in N. T. *κατ' ἐξοχὴν Dominus* appellatus est. Vox Kirche itaque idem est ac *κυριακὴ* s. *concio dominica*, h. e. cœtus eorum, qui Domini sunt.

Est igitur *ecclesia* nomen collectivum, quod proprie cœtum paucorum, auctoritate publica ex pluribus convocatorum, denotat. Jam semper de cœtu sacro ejusmodi hominum usurpatur, qui in certo ordine Deum publice colunt.

Datur *ecclesia* tam *universalis* quam *particularis*, tam *visibilis* quam *invisibilis*, tam *vera* quam *falsa*, ut infra audiemus.

Respectu hujus & futuræ vitæ distinguitur ecclesia in *militantem* & *triumphantem*.

Respectu hujus vitæ cœtus fidelium dicitur *ecclesia militans*, quia fideles hic sub Christi ductu constanter contra diabolum, mundum & concupiscentiam carnis spiritualiter pugnare debent, quapropter etiam fideles *milites Jesu Christi*, 2 Tim. II, 3-5. appellantur. Respectu futuræ vitæ æternæ cœtus beatorum vocatur *ecclesia triumphans*, quia militia sua defuncti, superatis hostibus tunc cum Christo in cœlis perpetuo vivent, & gaudebunt, Apoc. VII, 9. 10. c. XII, 11. 12. c. XXI, 1-4. 7. c. XXII, 14.

Communissime per *ecclesiam* in hac vita *ecclesia militans* intelligitur, de qua etiam hic tantum agemus.

Synonyma ecclesiæ in Scriptura S. sunt: *domus Dei*, 1 Tim. III, 15. 2 Tim. II, 20. Hebr. III, 6. 1 Petr. III, 17. *civitas Dei*, Hebr. XII, 22. Ps. XLVIII, 2. Ps. LXXXVII, 3. *sanctuarium*, Ps. XCVI, 6. *civitas justitiæ*, Jes. I, 26. *sanctus Domini mons Zion*, Ps. II, 6. Hebr. XII, 12. *grex Dei*, Ezech. XXXIV, 11. sq. *grex Christi*, Jes. XL, 11. Joh. X, 16. Act. XX, 28. 1 Petr. V, 2. *sponsa Christi*, Apoc. XXI, 2. Eph. V, 32. Joh. III, 29. *civitas in monte sita*, Matth. V, 14. *regnum Dei & cœlorum*, Matth. VI, 10. 33. c. XXI, 43. Marc. X, 15. Luc. XVII, 20. Joh. III, 5. Rom. XIV, 17. *regnum Christi*, Joh. XVIII, 36. Col. I, 13. Apoc. XII, 10. *vinea Domini*, Matth. XX, 1. *nuptiæ regis cœlorum*, Matth. XXII, 2. *messis Domini*, Matth. IX, 37. Luc. X, 2. *ovile Christi*, Joh. X, 1. 16. *corpus Christi*, Col. I, 18. c. II, 19. Eph. IV, 15. 16. c. V, 30. *domus & templum Domini*, Eph. II, 20. 21.

Quæritur; *an extra ecclesiam non detur salus?* Negatur ab omnibus, qui salutem ad media salutis ordinaria restringunt, affirmatur autem ab iis, qui cum *Mose Amyraldo* aliisque statuunt, vocationem divinam fieri quoque posse per providentiam Dei ejusque gubernationem hujus universi, nec non ab iis, qui vel lumini naturæ nimium tribuunt, vel meritum Christi universale nimium extendunt.

CAPUT II.

DE AUCTORE ET ANTIQUITATE ECCLESIÆ.

Ecclesia non alium habere potest auctorem, quam ipsum *Deum*, qui nos vocavit ad regnum suum, 1 Thess. II, 12. 2 Tim. I, 9. 1 Cor. I, 9. Dicuntur ideo omnes, qui ad ecclesiam pertinent, *Dei populus*, Ps. XCV, 7. 1 Petr. II, 10.

Petrus hunc Dei populum nominat γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸν εἰς περιποίησιν &c. h. e. *genus electum, regium sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, virtutes illius prædicantem, qui ex tenebris eos vocavit ad mirificam suam lucem*, 1 Petr. II, 9. Et hic est ipse *Deus*, qui redemisse nos dicitur pretioso sanguine filii sui, Christi, tanquam immaculati agni, 1 Petr. I, 19.

Totum hominum genus in principio rerum *populus Dei* fuit Creávit enim homines ad sui nominis gloriam, 1 Cor. XI, 7. & ad serviendum ei in sanctitate & justitia, Eph. IV, 24. c. II, 10. Luc. I, 75.

Cum autem a Deo descíscerent & in potestatem diaboli caderent homines, Deus sub promissione Filii sui, in redemptórem nobis dati, omnes, qui in ejus meritum credituri forent, evocavit, ut iterum ejus populus essent, Ps. C, 2. Hos. II, 23. 1 Petr. II, 10.

Hæc *evocatio* eſt principium eccleſiæ. Quicunque enim vocationem Dei accipiunt, ejusmodi cœtum hominum conſtituunt, qui Deo addictus eſt. Et hic *cœtus* eſt ipſa eccleſia, de qua hic agitur.

Eccleſia autem æque *antiqua* eſt, quam ipſe mundus. Quam primum enim Deus in paradiſo promiſſionem de ſemine mulieris, ſerpentis caput contrituro, dedit, eccleſia etiam initium cepit. Hæc per omnia abhinc tempora duravit, durabitque usque ad interitum mundi, Matth. XVI, 18.

Varios quidem fortunæ caſus variaque diſcrimina rerum experta eſt, ſemper tamen invicta perſtitit. Temporibus difficillimis interitui ſuo interdum proxima videbatur, e. g. temporibus Jeſaiæ c. I, 8. & Eliæ, 1 Reg. XIX, 14. ſed Deus teſtatur, remánſuros eſſe quosdam in Iſrael, qui genua coram Baal non flexerint, 1 Reg. XIX, 18. Rom. XI, 4. Confer etiam Jeſ. I, 9. Rom. IX, 29.

Diverſas autem habuit eccleſia in mundo *formas*, quarum præcipuæ ſunt 1) antediluviana, 2) patriarchalis, 3) Moſaica, 4) Iſraelitica, & 5) Chriſtiana, quæ ultima autem aliam faciem habuit temporibus apoſtolicis, aliam temporibus ante ſalutiferam Reformationem & aliam poſt tempora B. Lutheri.

Quid de *antiquitate eccleſiæ Romanæ* judicandum ſit, infra monſtrabimus.

CAPUT III.
DE CAPITE ECCLESIÆ.

Ecclesia non potest esse sine *capite*. Est enim cœtus hominum, qui certa officia præstare debent. Hæc autem sine regimine superioris, a quo dependent, neutiquam præstare possunt.

Describitur ecclesia per *corpus spirituale*. Sicut autem *corpus* sine *capite* non subsistere potest, si membra ejus cum suis juncturis & compaginibus in ordine & vigore manere debitasque functiones perficere debent, Eph. IV, 16. Col. II, 19. ita etiam ecclesia, tanquam corpus spirituale, caput necesse habet.

Caput ecclesiæ non aliud esse potest, quam *Christus* θεάνθρωπος, etsi *invisibilis* sit. Expresse ita nominatur Eph. I, 22. c. IV, 15. c. V, 23. Col. I, 18. c. II, 19. Rom. XII, 5. 1 Cor. VI, 15. c. XI, 3. c. XII, 12. 27.

Nominatur autem ita, non modo, quatenus pars corporis integri est, & unum eundemque cum cæteris membris respectum ad totum corpus habet, sed etiam, & quidem præcipue, quatenus principium corporis directivum est, quod influxu suo totum corpus & omnia ejus membra regit, fovet & sustentat. Non commode hinc Christus membrum ecclesiæ dici potest, quia nullatenus ab ea dependet.

Est autem *Christus* caput ecclesiæ *secundum utramque naturam* dicendus. Secundum *humanam naturam* est caput ecclesiæ, quatenus non modo

modo similis factus est membris, Eph. V, 30. sed etiam quatenus super omnia exaltatus & in caput ecclesiæ constitutus est a Patre, Eph. I, 20. 21. 22. secundum *divinam* vero *naturam*, quatenus non modo in singula membra, sed etiam in totum ecclesiæ corpus majori virtute operatur, quam a nudo homine fieri potest.

Appellatur *Christus* etiam *fundamentum ecclesiæ*, Eph. II, 20-22. 1 Petr. II, 4-6. item *architectus ecclesiæ*, Matth. XVI, 18. Prov. IX, 1. nec non *sponsus ecclesiæ*, Eph. V, 25. 29. 2 Cor. XI, 2, Joh. III, 29. Apoc. XXI, 2. quæ nomina omnia idem fere significant, ac caput.

Si Christus caput ecclesiæ est, eam etiam regit & gubernat. Hoc fit non immediate, sed *mediate*. Medium autem non aliud adhibet, quam *ministerium verbi divini*, de quo in sequenti capite pluribus agitur.

Non autem propterea caput ecclesiæ repræsentativum datur, aut nomen *vicarii Christi* meretur. Neutiquam enim Christus vicarium ad regendam ecclesiam suam in hoc mundo constituit. Tota Scriptura S. ejusmodi vicarium ignorat.

Pontificii, qui in persona *Pontificis* sui *Romani* talem vicarium venerantur, non modo ad Matth. XVI, 18. 19. provocant, ubi Christus Petro apostolo claves cœlorum dedisse, eumque fundamentum, super quo ecclesiam struere velit, appellasse dicitur, sed etiam ad Joh. XXI, 15. sq. ubi omnem ei curam ovium & agno-

agnorum demandavisse legitur. At ex locis hisce neutiquam vicariatum Christi probari posse, in sequenti capite satis superque demonstraturi sumus.

Vicariatus Christi Romanus jure meritoque rejicitur, 1) quia regnum Christi spirituale est, adeoque visibilem vicarium non admittit; 2) quia Christus vicario non indiget, cum solus ad regendam ecclesiam sufficiat; 3) quia forma curiæ Romanæ regno Christi prorsus contraria est, 4) quia Christus omnem dominatum super conscientias & bona hominum apostolis suis interdixit, Luc. XXII, 25. 26. Matth. XXIII, 8. 1 Petr. V, 2. 3. 5) quia non probari potest, Petrum Romæ fuisse episcopum; 6) quia ex historia ecclesiæ non probari potest, Romanum episcopum pro summo & communi totius ecclesiæ episcopo agnitum esse; 7) quia primi episcopi Romani nunquam caput ecclesiæ esse voluerunt; 8) quia plurimi Pontifices Maximi turpissimam & vicario Christi indecentissimam vitam egerunt, & 9) quia doctrina Pontificum cum doctrina Petri 1 Petr. V, 2. 3. cujus successores esse volunt, valde impugnat.

CAPUT IV.

DE REGIMINE ECCLESIÆ.

Regimen ecclesiæ est penes solum *Christum*, qui propterea caput ecclesiæ vocatur, ut in

in antecedente Capite oſtendimus. Quia vero eccleſia militans viſibili ratione & per externa media regenda eſt, ejusmodi omnino *regimen* requiritur, quod a Chriſto ipſo non commode fieri poteſt, quia viſibilem ſuam præſentiam per adſcenſionem in cœlos mundo ſubtraxit & plenum uſum divini regiminis totius univerſi in ſe ſuſcepit.

Regit itaque quidem eccleſiam ſuam, ſed non niſi *mediate* per certos homines, quos non modo variis donis Spiritus S. 1 Cor. XII, 7-11. Eph. IV, 7. 8. Pſ. LXVIII, 19. & debita auctoritate, Luc. X, 16. Matth. XXVIII, 19. 20. Joh. XXI, 21-23. Act. XX, 28. Hebr. XIII, 17. inſtruxit, ſed quibus etiam certa munera demandavit, Eph. IV, 11. 12. 1 Cor. XII, 5.

Sicut autem ſtatus eccleſiæ duplex eſt, externus & internus; ita etiam *duplex* datur *regimen eccleſiæ*, quod vel circa externum, vel circa internum eccleſiæ ſtatum verſatur.

Externus ſtatus eccleſiæ reſpectum habet ad conſtituendum & conſervandum omnia, quæ ad eccleſiæ ordinem, & tranquillitatem publicam ſpectant. Omnia enim in eccleſia *εὐσχημόνως ϗ κατὰ τάξιν* fieri debent, 1 Cor. XIV, 40.

Regimen hujus *externi* eccleſiæ *ſtatus* competit in *principem populi* & penes quem ſumma in republica poteſtas eſt, 1 Tim. II, 2. ut exempla Davidis, Salomonis, Joſaphati, Joſiæ alio-

rumque regum Israeliticorum docent. Dicitur hoc *jus circa sacra*, aut *jus episcopale*, quod summo magistratui politico incumbit. Plura de hac re dicemus *in Libro de Magistratu Politico.*

Internus ecclesiæ status versatur circa internam ecclesiæ constitutionem, tam quoad ejus formam, quam quoad ejus membra. *Regimen* seu administrationem hujus ecclesiæ status demandavit Christus *ministris verbi* sui, inter quos non solum varia χαρίσματα f. dona Spiritus S. administrantia 1 Cor. XII, 4-11. sed etiam varia munera & officia, Eph. IV, 11-13. 1 Cor. XII, 5. distribuit, quorum causa ministri ecclesiæ sibi invicem ita subordinati sunt, ut unus alteri præsit & quidem πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομίαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, h. e. *ut sancti coagmententur in ædificationem corporis Christi* f. ecclesiæ, Eph. IV, 12. Plura dicentur de hoc regimine in *Libro de Ministerio ecclesiastico.*

Pontificii utrumque regimen ecclesiæ tam quoad externum, quam quoad internum ejus statum *Pontifici Maximo* tribuunt, quem Petri apostoli, Christo in suum Vicarium in terra constituti, successorem nominant.

De hoc vicariatu jam in superiori Capite egimus. Aliqua hic addimus de persona *Petri* ejusque prærogativis præ cæteris apostolis.

Petrus omnino respectu sui senii, ordinis, fervoris, amoris Christi & quod quasi cætero-

rum

rum apoſtolorum os fuerit, aliquas perſonales prærogativas habuit, ſed eum propterea ad primatum evectum & quaſi in caput viſibile ecclesiæ conſtitutum eſſe, jure meritoque negatur.

Si Petrus Chriſti vicarius fuiſſet, *Paulus* non dixiſſet, ſe in nulla re inferiorem eſſe τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποςόλων, h. e. apoſtolis, qui valde magni ſint, 2 Cor. XI, 5. nec auſus eſſet, Petro obloqui, Gal II, 11. 14.

Præcipua Scripturæ S. *loca*, ex quibus Pontificii probare volunt, Petrum a Chriſto accepiſſe regimen eccleſiæ, ſunt Matth. XVI, 18. 19. & Joh. XXI, 15 ſq.

In priori loco *duo* occurrunt, quæ iis favere videntur, ſcilicet 1) nomen τοῦ πέτρου, & 2) officium clavium, Petro demandatum.

Nomen *Petri* ſ. τοῦ πέτρου ſignificat *lapidem*, vox πέτρα autem *rupem*. Cum πέτρα comparatur Chriſtus, qui expreſſe ita nominatur 1 Cor. X, 4. ſuper hanc petram ædificata eſt eccleſia, Eph. II, 20.-22. Et hoc eſt fundamentum illud, de quo Chriſtus agit, dicens c. l. ad Petrum, qui confeſſus erat, Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei vivi: Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, καὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, h. e. *ego autem tibi dico, quod tu ſis* πετρος, h. e. *lapideus vir* propter egregiam tuam confeſſionem; *ſuper hac vero rupe*, quam confeſſus es, *ædificabo eccleſiam meam*. Per πέτραν igitur Jeſus non Petrum, ſed *ſe ipſum* &

Petri

Petri confessionem, quod scilicet Christus, Filius Dei, sit, intelligit. Jesus forsitan quoque, cum verba: ἐν ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, dixerit, digitum in semet ipsum direxit, uti Joh. II, 19. c. VI, 50. fecit.

Officium clavium Petro quidem Christus tradidit, Matth. XVI, 19. sed non exclusis cæteris apostolis. Repetit enim postea verba, quæ ad Petrum dixit, & dirigit ea ad reliquos apostolos, Matth. XVIII, 18. Joh. XXI, 23. Neutiquam quoque sequitur: *Petrus accepit claves, ergo est caput ecclesiæ.* Nam datur etiam potestas clavium ministerialis, 1 Cor. IV, 1.

Locum Joh. XXI, 15 sq. *Pontificii* communiter ita interpretantur, ut per *agnos* & *oves* omnia veræ ecclesiæ membra, & quidem per agnos *laicos* & per oves *clericos* intelligant. Sed verba Christi indefinite accipienda sunt. Voluit enim Petri afflictissimam mentem propter trinam ejus abnegationem singulariter erigere & tranquillare. Per se pastio ovium omnibus verbi divini ministris incumbit, 1 Petr. V, 4. Act. XX, 28. Solus *Christus* est ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, (*bonus pastor*, Joh. X, 11. item ἀρχιποιμὴν, 1 Petr. V, 4. & *magnus pastor ovium*, Hebr. XIII, 20. cæteri vero omnes sunt ejus ministri & servi.

CAPUT V.
DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

Non omnes *homines* sunt membra ecclesiæ, sed ii tantum, qui non modo ad eam, tanquam

quam regnum Dei, vocati sunt, sed qui etiam vocationem acceperunt, Matth. XXII, 4.-10. eamque sequuntur, Joh. X, 27.

Nonnulli distinguunt inter κεκλημένους & κλητούς. Per priores intelligunt omnes homines vocatos, Marc XVI, 15. Ps. XIX, 5. per posteriores vero tantum eos, qui ceu vocati vere veniunt & in ecclesiam introeunt. Verum voces istæ in Scriptura S. promiscue usurpantur.

Tota ecclesia est corpus spirituale, cujus caput est Christus. Quicunque igitur non Christi sunt, Gal. V, 24. 1 Cor. XV, 23. illi etiam non ejus membra esse possunt.

Neutiquam quoque omnes, qui in ecclesia vivunt, nomenque Christi profitentur, inter *vera ecclesiæ membra* numerare debemus. Dantur enim inter ea multa *spuria membra*, quod per omnia tempora monstrari potest. In domo Adami erat impius *Cain*, in archa Noachi malus *Cham*, in familia Abrahami exosus *Ismael*, in ædibus Isaaci irreligiosus *Esauus* & inter discipulos Christi nequissimus *Judas*. Nec unquam desunt in ecclesia hæretici, 1 Cor. XI, 19. Act. XX, 30. 2 Thess. II, 4. Tit. III, 10.

Ecclesia repræsentat quasi corpus, in quo multa ægrota & putrida membra dantur. Semper enim & ubique vere credentibus admixti sunt scelerati & hypocritæ. Etsi vero impii, hæretici & hypocritæ certo modo vera membra ecclesiæ sint, non tamen sana & viva, sed ægro-

ægrota, putrida & mortua dici debent, quæ autem ſanari & ad vitam reſuſcitari poſſunt.

Membra igitur *eccleſiæ* ſunt vel *proprie* vel *improprie* ſic dicenda. Hæc ſunt omnes, qui in eccleſia vivunt & ore nomen Chriſti confitentur, illa vero tantum ii, qui in Chriſtum vere credunt.

Plerumque omnes chriſtiani membra eccleſiæ nominantur. Cum vero *variæ* dentur inter chriſtianos *ſectæ*, non membra unius ejusdemqne indolis ſunt. Unica quidem tantum datur vera & catholica eccleſia, quæ autem diverſas formas externas habet, quæ ſe invicem puritate doctrinæ antecedunt. Ea autem *veritati proxima* eſt, in qua doctrina Chriſti & apoſtolorum omnium puriſſime docetur, ſacramenta vero juxta inſtitutionem Chriſti accuratiſſime adminiſtrantur.

De hiſce diverſis eccleſiæ ſectis infra agetur. Hic tantum addimus, quod omnes, qui in ejusmodi ſectis vivunt, membra eccleſiæ vocari poſſint, dummodo in iſtis ſectis de Chriſto θεανθρώπῳ, tanquam Salvatore mundi, agitur & ſacramenta N. T. adminiſtrantur, etſi non deſint errores & abuſus per ſe damnandi.

Huc ſpectant *particulares eccleſiæ Pontificiorum, Calvinianorum*, *Arminianorum* aliarumque chriſtianarum ſectarum, quæ quidem a veritate veteris apoſtolicæ eccleſiæ valde deſciverunt, chriſtianiſmum tamen ipſum non abjecerunt. Horum membra omnino chriſtiani dicendi

ſunt,

ſunt, pertinentque ad eccleſiam Chriſti, quia inter eos non modo multi dantur veri fideles, 1 Reg. XIX, 18. ſed etiam non omnis occaſio deficit, per fidem in Chriſtum ad ſalutem æternam perveniendi.

Præcipuæ *notæ verorum eccleſiæ membrorum* ſunt 1) abſtinentia a peccatis, 2 Tim. II, 19. 2) obedientia, verbis Chriſti præſtanda, Joh. VIII, 31. c. X, 27. 3) abnegatio ſui ipſius & mundi, Matth. XVI, 24. c. XIX, 21. Luc. IX, 23. 4) ſequela Chriſti, Matth. X, 38. Joh. VIII, 12. 5) amor proximi, Joh. XIII, 34. 35. Col. III, 14. 6) ſtudium pacis, 1 Cor. XI, 16. 17. Eph. IV, 3. Col. III, 12. 13. 7) odium mundi paſſivum, Joh. XV, 18.-21. & 8) aviditas audiendi verbum Chriſti, Joh. X, 16. 27. c. VIII, 47.

Fides in Chriſtum non ad notas veri chriſtiani pertinet, ſed eſt eſſentiale requiſitum ejus.

CAPUT VI.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Inter eccleſiæ attributa primum locum habet *unitas*. In appendice enim ſymboli Nicæni patres græci expreſſe confeſſi ſunt, ſe credere *unam*, ſanctam, catholicam & apoſtolicam *eccleſiam*. Hanc confeſſionem cum noſtri Reformatores ſuam fecerint in ſuis confeſſionibus Symbolicis, jure meritoque etiam hic aliqua de unitate eccleſiæ dicenda ſunt.

Unitas

Unitas ecclesiæ respectum habet ad *caput* ejus, quod est Christus. Sicut enim duplex corpus cum uno capite monstrum est: ita etiam ecclesia vera non ex duobus corporibus, unicum caput habentibus, constare potest, Eph. I, 22. 23. c. IV, 15. 16.

Unicum autem tantum dari caput ecclesiæ, supra jam satis ostendimus. Sicut εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα: ita etiam ἓν σῶμα, καὶ ἓν πνεῦμα h. e. *unum corpus* & *unus spiritus*, Eph. IV, 4. 5.

Duplici respectu ecclesia dicitur una 1) respectu internæ constitutionis, & 2) respectu externæ formæ.

Ad *internam ecclesiæ constitutionem* referuntur, quæ ad naturam & essentiam ejus spectant & invisibilia sunt. Huc pertinent 1) *caput*, quod est Christus, 2) *fides*, quæ membra format, 3) *Spiritus*, qui membra cum capite unit, 4) *promissiones gratiæ*, quæ membra solantur & reficiunt, & 5) *futura bona*, quæ membra quærunt & sperant.

Hæc omnia ita comparata sunt, ut quodlibet eorum non modo per se, sed etiam respectu fidelium in suo genere non nisi unum esse queat.

Sic datur *unum caput*, Eph. I, 22. 23. *una fides*, Eph. IV, 5. *unus Spiritus*, 1 Cor. XIII, 13. Eph. IV, 4. *una promissio*, 1 Joh. I, 25. *una spes*, Eph.

Eph. IV, 4. *unum jus*, Gal. III, 28. & *una salus*, Act. IV, 12, Gal. III, 29.

Respectu unitatis harum spiritualium rerum etiam ipsa *ecclesia* dicenda est *una*, quia non alia dari potest vera ecclesia, quam quæ easdem res continet, quæ nec multiplicari, nec plures sui generis habere possunt.

Est itaque ecclesia secundum internam suam constitutionem *corpus* sub uno capite, cujus *membra* cum capite suo in spem æternæ salutis inter se per fidem & charitatem unita sunt.

Est autem *ecclesia* etiam *una* dicenda *respectu externæ* ejus *formæ*.

Externa ecclesiæ forma versatur circa doctrinam fidei & usum sacramentorum. Sicuti autem utrumque veritate divina, nobis per Scripturam S. revelata, fundatum esse debet; ita jure meritoque *accurata verbi divini prædicatio* & *legitima sacramentorum administratio* genuini characteres veræ ecclesiæ sunt, quatenus secundum suam externam formam consideratur.

Hæc duo si veræ ecclesiæ externæ unici characteres sunt, sequitur, eam ecclesiam quoad externam formam esse veram, in qua verbum Dei secundum divinam revelationem recte docetur & sacramenta juxta institutionem divinam legitime administrantur. Si autem talis ecclesia vera est, ea quoque in suo genere unica est, quia unius rei una tantum datur veritas.

CAPUT VII.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

S*anctitas* proprie quidem in solum Deum competit, 1 Sam. II, 2. tribuitur autem in sacris literis simul multis aliis rebus, quatenus ad Dei cultum & gloriam spectant, eique consecratæ sunt. Talis sanctitas est vel externa vel interna.

Sanctitas externa est, quæ tantum circa circumstantias rei sacræ versatur, qualis sanctitas loco, diei, festo, muneri, vestibus &c. tribuitur, quæ res omnes non per se sanctæ sunt, sed quatenus ad circumstantias rei sacræ pertinent & propter sacrum suum usum in sacris literis ita nominantur.

Sanctitas interna, quæ alias *inhærens* & *inhæsiva* vocatur, ea est, quæ circa essentialem rei sacræ formam & constitutionem versatur. Hæc tribuitur verbo Dei, corpori & sanguini Christi, evangelio, actibus divinis ad intra & ad extra, &c. Hæc omnia non quidem ipse Deus, at per se tamen sancta dicenda sunt.

Dantur etiam res sanctæ, quæ *utramque sanctitatem* diverso respectu habent. Respectu circumstantiarum externa sanctitas, & respectu formæ & essentialis constitutionis interna sanctitas iis tribuenda est. Sic e. g. *sacramenta N. T.* utramque sanctitatem habent, internam & externam, *internam* quoad substantialia, & *externam* quoad ritus & circumstantias. Huc

refer-

refertur etiam *prædicatio verbi divini.* Reſpectu ipſius verbi habet ſanctitatem internam, reſpectu circumſtantiarum vero, quibuscum prædicatur, ſanctitatem externam, quæ autem deficit, ſi e. g. verbum Dei a malo homine, aut in loco profano, aut ex mala intentione, aut cum falſis additamentis &c. prædicatur. Ita etiam comparatus eſt *baptiſmus Pontificiorum.* Quoad ſubſtantialia ſanctus dicendus eſt, non vero quoad circumſtantias, quæ cum ſanctitate externa pugnant.

Datur etiam *ſanctitas imputativa*, quæ per ſe aliena eſt, per imputationem vero alteri appropriatur. Talem ſanctitatem habent fideles, in Chriſtum credentes. His Deus imputat ſanctitatem & juſtitiam Chriſti meritoriam, ita, ut coram Deo ſancti & juſti habeantur, quatenus in vera fide, quæ per bona opera efficax eſſe ſolet, vitam ſuam degunt.

Quæritur nunc: *qualis ſanctitas tribuenda ſit eccleſiæ?* Caput ejus per ſe quidem ſanctum eſt. Quia vero forma eccleſiæ in capitis unione cum membris conſiſtit, quæ non aliam, quam imputatam ſanctitatem habent, iisque multa admixta ſunt membra ſpuria, quorum cauſa eccleſia ipſa quoad externam formam nunquam pura, nec ab omni zizania errorum ſcandalorumque libera eſt, eccleſiæ non alia *ſanctitas* adſcribi poteſt, quam *externa*, quæ propterea etiam *eccleſiaſtica* dici ſolet.

Quoad *internam formam* & constitutionem ecclesia invisibilis est & per totum orbem dispersa. Hæc semper est & manet sancta & quidem propter imputativam sanctitatem membrorum, quæ sunt veri fideles. Hi constituunt cœtum, quem Christus sanctum & immaculatum fecit, Eph. V, 26. 27.

Quoad *externam* vero *formam* & constitutionem ecclesia tantum *sancta* dicitur, quatenus characteres veritatis habet. Hæc sanctitas autem sua intervalla habet, quia variis fortunæ casibus exposita est.

Plerumque nostri Theologi *ecclesiam* nominant *sanctam* propter sanctitatem 1) *capitis*, scilicet Christi, cujus sanctitas membris imputatur, Joh. XVII, 19. Eph. V, 26. 27. quæ propterea simul etiam sancta vocantur, 1 Petr. I, 15. 16. 1 Cor. III, 17. 2) *doctrinæ & sacramentorum*, Joh. XVII, 17. 1 Cor. VI, 11. Eph. V, 26. 3) *vocationis*, 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 15. Rom. I, 7. 1 Cor. I, 2. & 4) *vitæ*, cujus sanctitas in hoc mundo inchoatur, Eph. I, 4. Col. I, 22. Luc. I, 75. Eph. IV, 24.

CAPUT VIII.
DE
CATHOLICISMO ECCLESIÆ.

Inter alia prædicata, quæ *ecclesiæ* tribuuntur, vocatur ista etiam *catholica*.

Vox

Vox καθολικὸν idem eſt, ac καθ' ὅλον, h. e. *ſecundum totum ſ. univerſum.*

Tribuitur itaque eccleſiæ nomen hoc ob univerſalitatem ſuam.

Quadruplici reſpectu eccleſia dici poteſt *catholica*, 1) reſpectu doctrinæ, 2) reſpectu loci, 3) reſpectu perſonarum & 4) reſpectu temporis.

Doctrina, quæ in vera eccleſia docetur, non modo ad omnes homines ſpectat, quia univerſalem Dei gratiam univerſaleque meritum Chriſti fide apprehendendum continet, ſed etiam ab omnibus fidelibus unanimi conſenſu accepta & credita eſt, nec non per omnia tempora usque ad finem mundi valorem & efficaciam ſuam immutabiliter retinet. Hanc ob cauſam doctrina hæc, quæ etiam *orthodoxa* nominatur & heterodoxæ, falſæ & erroneæ doctrinæ opponitur, *catholica* dici conſuevit. Nomen hoc poſtea ſimul impoſitum eſt ipſi eccleſiæ, ejusmodi doctrinam amplectenti & foventi. Deficiente igitur hac doctrina non dari poteſt eccleſia catholica, 2 Joh. v. 9 10. 2 Petr. I, 1. Gal. VI, 16. Phil. III, 16. 2 Cor. X, 14-16. c. VI, 14-17.

Nuncupatur etiam hæc doctrina *apoſtolica*, quia ab apoſtolis primum hominibus annunciata eſt. Ipſa eccleſia inde nomen *apoſtolicæ* accepit, quia ſuperſtructa dicitur fundamento apoſtolorum & prophetarum, cujus lapis angularis Chriſtus eſt, Eph. II, 20.

Ecclesia nomen *catholicæ* quoque fert *respectu loci*, quia non ad certum locum aut populum alligata, sed per omnes gentes in toto terrarum orbe diffusa aut saltem diffundenda est. Christus propterea evangelium docere jussit in omnibus terris, Marc. XVI, 15. Psalm XIX, 5. Rom. X, 18. Jes. XLIX, 6.

Catholica quoque dicitur ecclesia *respectu personarum*, quia ad eam vocantur inque eam recipiuntur omnes homines sine respectu nationis, ætatis, sexus, generis & status, si modo universalibus mediis gratiæ rite recteque utuntur, Act. X, 34. 35. Gal. III, 28.

Catholica denique appellatur ecclesia *respectu temporis*. Est enim *perpetua*, quia non modo in principio rerum orta, sed etiam per omnia tempora usque ad finem mundi duratura est. Hinc nunquam interibit, sed constanter perdurabit 1) ex promissione Christi, Matth. XVI, 18. c. XXVIII, 20. & 2) ex verbi divini nunquam cessante efficacia & prædicatione, Jes. LIX, 21. 1 Petr. I, 25.

Romana ecclesia affectat nomen *ecclesiæ catholicæ*, quæ tamen particularis tantum ecclesiæ secta est, genuinis characteribus veræ ecclesiæ prorsus destituta. Non modo adstricta est certis locis & populis, sed scatet etiam erroribus, doctrinæ catholicæ contrariis; imo omnes, qui non confessioni Tridentinæ adstipulantur, tanquam hæreticos & hostes Dei ejusque veritatis a christiana ecclesia excludit & damnat. Magis

gis *meretrix babylonica* Apoc. XIV, 8. c. XVIII, 2. 3. c. XIX, 2. nominari meretur, quam *ecclesia catholica*. Nos ei quidem nomen hoc concedimus, sed cum hac distinctione, quod sit *Romano-Catholica*, cum e contrario nostram ecclesiam dicamus *Apostolico-Catholicam*.

CAPUT IX.
DE FORMA ECCLESIÆ.

Hæc consistit in *harmonia tam Christi cum christianis quam christianorum cum aliis christianis*.

Ecclesia constituit *corpus*, cujus *caput* Christus, *membra* vero confessores ejus sunt, quapropter Paulus expresse scripsit: *multi sumus unum corpus in Christo*, ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη, h. e. *singuli vero inter se invicem membra*, Rom. XII, 5. item: *vos estis corpus Christi*, καὶ μέλη ἐκ μέρους, h. e. *& particulatim membra*, 1 Cor. XII, 27. Sicut vero membris unius corporis inter se & cum capite optima intercedit harmonia, 1 Cor XII, 25. 26. ita etiam in ecclesia non discordia dari debet, & quidem nec inter Christum & christianos, nec inter christianos ipsos. Huc spectat etiam locus, Joh. XVII, 21.

Ecclesia repræsentat *regnum*, scilicet *regnum gratiæ*, ut supra Cap. I. audivimus. Rex in illo est Christus, & subditi sunt christiani. Sicut autem regnum non subsistere potest, si dissidiis in eo locus datur, Luc. XI, 17. ita etiam ecclesia sine harmonia inter Christum & chri-

ſtianos non conſiſtere poteſt. Καὶ γενήσεται, dixit idea Jeſus, *μία ποίμνη, εἷς ποιμὴν*, h. e. *& fiet unus grex: unus paſtor*, Joh. X, 16.

Hæc *harmonia* diſtinguenda eſt ab *unione myſtica*, quæ ad internum tantum fidelium ſtatum, qui alias ſtatus regenerationis & juſtificationis dicitur, ſpectat. Eccleſia vero per ſe ſpectata non modo concludit multa membra, quæ vel plane non, vel non ſemper in ſtatu regenerationis & juſtificationis vivunt, ſed verſatur etiam circa multas externas circumſtantias, quæ ad unionem myſticam non quadrant. Hinc forma ejus non in unione myſtica conſiſtere poteſt, etſi inter Chriſtum & vera eccleſiæ membra unio hæc omnino locum habeat.

Vera itaque *eccleſiæ forma* conſiſtit in harmonia & concordia tam inter Chriſtum & chriſtianos, quam inter chriſtianos ipſos.

Harmonia inter Chriſtum & chriſtianos in eo conſiſtit, ut *Chriſtus* verbo & ſacramentis ſuis præſto ſit chriſtianis, eas protegat & gubernet, eorum ex ſingulari gratia parcat, peccata pœnitentibus remittat & putrida membra eccleſiæ patienter toleret; *chriſtiani* vero, ut Chriſtum pro Salvatore ſuo habeant, nomen & verbum ejus profiteantur, evangelium audiant, ſacramentis utantur, ritus eccleſiæ obſervent, præſcripto ordini ſalutis ſe ſubmittant & cognitioni ſalutiferæ ſtudeant.

Hæc omnia quidem obſervari quoque poſſunt ab iis, qui non in ſtatu juſtificationis vivunt.

vunt. Quia vero Chriſto ipſi nec contradicunt, nec eum abnegant, ſed iſti addicti ſunt, ſpemque in eo collocant, omnino harmonia aliqua, etſi tantum ſit externa, inter iſtos & Chriſtum locum habet. Et in hac harmonia conſiſtit forma eccleſiæ.

Conjuncta autem cum hac harmonia eſſe debet *harmonia inter ipſos chriſtianos* & quidem tam quoad confeſſionem evangelicæ veritatis externumque Dei cultum & uſum mediorum gratiæ, quam quoad concordiam, unanimitatem & mutuam charitatem. Prius probatur ex 1 Cor. I, 10. Rom. XV, 6. Act. IV, 32. poſterius vero ex Eph. IV, 15. 16. Rom. XII, 4-6. 16. 1 Cor. XII, 25-27. Rom. XV, 5.

CAPUT X.

DE DISTINCTIONE INTER ECCLESIAM VISIBILEM ET INVISIBILEM.

Per ſe vera eccleſia non eſt *viſibilis.* Conſtat enim ex membris, quæ vera fide prædita ſunt. Fides autem non in ſenſus & oculos incurrit; quare etiam eccleſia non viſibilis eſſe poteſt. Solus enim Deus novit corda filiorum hominum, 1 Reg. VIII, 39. & quos ſuos nominat, 2 Tim. II, 19. quia καρδιογνώστης eſt, Act. I, 24. 1 Cor. II, 11.

Jure meritoque igitur eccleſia in *viſibilem* & *inviſibilem* diſtinguitur. *Inviſibilis* dicitur ſecun-

 dum

dum externam formam & quatenus ex veris fidelibus constat, *visibilis* vero secundum internam formam & quatenus ex ejusmodi membris constat, quæ rectam fidem profitentur & veris sacramentis secundum institutionem Christi utuntur, licet multi inter hæc membra sint scelerati & hypocritæ.

Datur itaque *ecclesia invisibilis* in visibili, imo in ipsa corrupta & apostatica ecclesia, quatenus scilicet aliqui in ea adhuc vivunt, qui Deo tanquam veri fideles cogniti sunt, 1 Reg. XIX, 18.

Veri *fideles* vocantur *invisibiles*, non modo respectu mundi, 1 Joh. III, 1. 2. 2 Cor. VI, 9. sed etiam respectu ipsorum fidelium.

Invisibilis ecclesia nunquam interire potest, Matth. XVI, 18.

Pontificii prorsus rejiciunt *ecclesiam invisibilem* ex Matth. V, 14. quia eorum Pontifex, tanquam Christi vicarius, non invisibilibus ecclesiæ membris præesse potest.

In *ecclesia visibili* & vera & spuria dantur membra. Hinc comparatur ista cum *agro*, in quo zizanium cum tritico crescit, Matth. XIII, 26. sq. cum *reti*, quod pisces cujusvis generis continet, Matth. XIII, 47. cum *nuptiis*, in quibus non omnes hospites induti sunt vestibus nuptialibus, Matth. XXII, 11. 12. cum *area*, in qua triticum cum palea mixtum datur, Matth. III, 12. Luc. III, 17. & cum *magna domo*, in qua varia sunt vasa tam ad decus, quam ad dedecus, 2 Tim. II, 20.

Ecclesia

Ecclesia visibilis distingui potest in universalem & particularem. *Universalis* dicitur, quatenus sine respectu loci & populi Christi doctrina docetur & sacramenta administrantur. Discissa est haec ecclesia in varias sectas, quarum una alteram puritate & splendore antecedit. *Particularis* vero *ecclesia* est, quae certo tantum loco aut certae regioni adstricta est & una eademque liturgia utitur.

Omnis *visibilis ecclesia* non solum in magnos errores delabi, 2 Thess. II, 10. 11. sed etiam a veritate prorsus deficere potest, ut Israelitica & Romana ecclesia suis exemplis probant.

Interdum visibilis ecclesia prorsus *cessare* videtur, e. g. tempore Eliae, 1 Reg. XIX, 14. & B. Lutheri. Non tamen ideo statuendum est, totam ecclesiam Christi periisse aut perituram esse, cum semper aliquos fideles & pios superfuisse legamus, qui a damnosis erroribus & sceleribus immunes manserunt, etsi in occulto latuerint.

Ejusmodi temporibus ecclesia ex solis confessoribus & martyribus, impietatem damnantibus, nec non ex infantibus baptizatis & catechumenis, nondum poculo meretricio inebriatis, constat.

CAPUT

CAPUT XI.
DE
CRITERIIS VERÆ ECCLESIÆ VISIBILIS.

Ecclesia visibilis ex multis quasi particularibus ecclesiis composita est, quæ autem non unius ejusdemque confessionis sunt.

Tres inprimis dantur in ecclesia *sectæ*, quarum confessiones inter se valde differunt, scilicet *Romano-Catholica*, *Calviniano-Reformata* & *Evangelico-Lutherana*. Quælibet earum de veritate religionis suæ gloriatur. Quæritur hinc, *quænam ex iis vera ecclesia apostolica dicenda sit?*

Pontificii provocant ad *antiquitatem* ecclesiæ suæ Romanæ, inde ab apostolorum temporibus jam florentis, interrogantes: *ubinam fuerint ecclesia Lutherana & Reformata ante Lutheri & Calvini tempora?*

Respondemus ad hanc interrogationem, *antiquitatem* non genuinum veritatis ecclesiæ criterium esse posse, cum non solum *diabolus* antiquior sit ecclesia, sed etiam *ethnicismus* christianismum antiquitate superet, uterque autem veritatis expers sit. Concedimus quidem, Romanam ecclesiam primum fuisse veram catholicam ecclesiam, sed non mansit in primo statu, quia sensim a veritate fidei catholicæ & apostolicæ defecit. Nam Romana ecclesia non habuit privilegium præ cæteris particularibus ecclesiis de non aberrandi a veritate. Extant potius tam luculenta *ἀποστασίας* ejus specimina, ut ab ipsis

ipsis Pontificiis ista negari nequeat. Cæterum non inficiamur, ecclesiam nostram ante B. Lutherum non visibilem fuisse, nisi in confessoribus veritatis & in infantibus, etsi per se jam dudum extiterit.

Omnia *criteria* veritatis, quæ suæ ecclesiæ tribuunt *Pontificii*, e. g antiquitas, unitas, universalitas &c. spectant ad invisibilem & universalem ecclesiam, quam ii a visibili & particulari discernere nesciunt. Quæ autem de externa felicitate & miraculis suæ ecclesiæ jactant, falsa sunt criteria.

Externa felicitas nunquam veræ ecclesiæ promissa est, sed potius multifaria adversitas & persecutio, Act. XIV, 22. c. XX, 29. 30. 1 Petr. IV, 17. 18. *Miracula* vero ad ecclesiam tantum primitivam & plantandam, non autem ad ecclesiam plantatam pertinent. Sunt enim signa, non credentibus, sed incredulis & infidelibus data, nec pro genuinis signis veræ fidei habenda, quia etiam pseudo-prophetis tribuuntur, Matth. XXIV, 24. 2 Thess. II, 9. Doctrina non ex miraculis, sed miracula potius ex doctrina judicanda sunt, Deut. XIII, 1. sq. Jes. VIII, 19. 20.

Certissima veræ ecclesiæ *criteria* sunt pura verbi divini prædicatio & legitima sacramentorum administratio. Cum enim verbum Dei & sacramenta unica sint gratiæ & salutis media, de quibus maxime occupati sunt ministri ecclesiæ, ex iis quoque judicari potest ecclesiæ veritas.

ritas. In quacunque igitur ecclesia verbum Dei non secundum Scripturæ S. analogiam pure docetur, nec sacramenta secundum expressa institutionis divinæ verba administrantur, ea non esse potest vera apostolica ecclesia; in qua vero utrumque fit, illa omnino pro vera habenda est.

Facile nunc quisque judicare potest, quænam ecclesia nomen veræ catholicæ & apostolicæ mereatur? Nec *Romano-catholica*, nec *Calviniano-Reformata* ita nominanda est, quia utraque non modo falsas doctrinas, quæ cum Scriptura S. & analogia fidei pugnant, fovet, sed etiam sacramenta contra divinam institutionem interpretatur & administrat.

Nos *Evangelico-Lutherani* de veritate ecclesiæ nostræ satis certi sumus, quia verbum Dei, rejectis omnibus humanis traditionibus & decretis juxta expressam literam Scripturæ S. audire, sacramentis vero secundum divinam Christi institutionem rite uti possumus, captivum ducentes intellectum nostrum sub obedientiam Christi, 2 Cor. X, 5.

CAPUT XII.

DE LIBRIS SYMBOLICIS ECCLESIÆ.

Ecclesia visibilis suos habet *libros symbolicos*, quibus istius sectæ a se invicem distinguuntur.

Nomen habent a voce *σύμβολον*, *tesseram militarem* significante, qua commilites olim ab hostibus

hostibus in prœliis dignoscebantur. Galli vocant hoc *le mot du guet* & Germani das Wort s. die Parole. In ecclesia tempore concilii Nicæni cœptum est, voce hac uti ad edendam confessionem fidei & doctrinæ, qua dignosci poterat, quibus partibus aliquis addictus sit.

Libri itaque *symbolici* confessiones fidei publicas continent, quibus ecclesia particularis se a cæteris christianæ religionis sectis, fide ac doctrina diversis, distinguit.

In plantanda ecclesia christiana ejusmodi symbolorum s. confessionum fidei non indigebant homines, quia sacræ literæ & inprimis verba & scripta apostolorum sufficiebant, ad discernendam christianam religionem ab omnibus aliis religionibus. Tunc enim in ecclesia nondum dabantur sectæ & schismata. Posteris vero temporibus, cum ecclesia maxima ex parte plantata esset, oriebantur hæreses & scissiones, quibus christiani in factiones dividebantur. Ut vero orthodoxia apostolicæque doctrinæ veritas sarta tectaque maneret, consultum esse judicabant publici ecclesiæ doctores, certas fidei confessiones & formulas literis consignare, quibus suum dissensum declararent & quemlibet, cui puritas doctrinæ cordi esset, ad easdem subscribendas obstringerent. Ut vero eo majorem consequantur fidem & auctoritatem, plerumque in publicis conciliis confirmabantur. Nomen tunc *symbolorum* tales confessiones acceperunt.

Primum

Primum & antiquissimum orthodoxæ ecclesiæ *symbolum* est *Nicænum*, in Concilio Nicæno Arrianismo oppositum. Auctis postea hæresibus plura requirebantur ejusmodi symbola, s. confessionum fidei formulæ, ut hæretici ab orthodoxis christianis distinguerentur. Omnis ejusmodi confessio fidei respectu illius ecclesiæ, quæ ab aliis sectis discerni volebat, dicebatur *liber Symbolicus*.

Nostris temporibus cum non modo tres diversæ in ecclesia christiana publice tolerentur sectæ, sed in iis ipsis etiam adhuc multæ dentur dissensiones, omnino libri symbolici quam maxime necessarii sunt, non modo ad dignoscendum, quibus partibus hic vel ille addictus sit, sed etiam ad conservandam orthodoxiam & evangelicæ apostolicæque doctrinæ puritatem.

Quælibet ex his tribus sic dictis ecclesiis de sua veritate doctrinæque suæ puritate gloriatur, rejectis cæteris, secus docentibus, tanquam erroneis sectis. Ut vero a se invicem distinguantur, singulæ suos habent symbolicos libros. In *Romana ecclesia* inprimis *confessio Concilii Tridentini*, in *Calviniana vero confessio Synodi Dordracenæ* & in *Evangelico-Lutherana Augustana confessio* præcipuus liber symbolicus est, quo fundatur doctrina, cui quisque ex sua ecclesia, ceu certissimæ vitæ & fidei regulæ, adstipulatur.

Augustana confessio præcipuum quidem nostræ ecclesiæ symbolum est. Cum vero illa a Philippo

lippo Melanchthone post exhibitionem ejus in favorem Calvinianorum privata auctoritate in multis locis variata sit, distinguitur nunc ista in *variatam* & *invariatam*, quæ ultima tantum ea est, cui fidem damus.

Non autem sola hæc confessio sufficit, puritatem evangelicæ nostræ doctrinæ contra omnes adversarios vindicare, aut recens ortas controversias ex ea decidere. Consignata ideo sunt posteris temporibus plura scripta symbolica, quæ partim in supplementum & defensionem Augustanæ confessionis, partim in ejus uberiorem explicationem publica auctoritate a certis Theologis exarata sunt.

Ex his ortum est totum *corpus doctrinæ evangelico-Lutheranæ symbolicum*, quod sub titulo *Concordiæ Piæ* in ecclesia nostra satis cognitum est. Continet sequentia scripta symbolica: 1) *Augustanam Confessionem*, Imperatori Carolo V. in comitiis Augustanis die 25 Jun. 1530. exhibitam, 2) *Apologiam Augustanæ confessionis*, a Philippo Melanchthone publica auctoritate conscriptam, 3) *Articulos Smalcaldicos* a B. Luthero an. 1537. in conventu Statuum Protestantium Smalcaldico consignatos, 4) *Catechismum minorem* & *majorem*, a B. Luthero an. 1529. exaratum, & 5) *Formulam Concordiæ* stricte sic dictam, publica auctoritate a sex Theologis Torgæ an. 1576. conscriptam, in cœnobio Bergensi an. 1577. revisam, & denique Dresdæ 1580. publicatam. Hisce scriptus addita sunt tria *sym-*

bola œcumenica, ſcilicet *Apoſtolicum*, *Nicænum* & *Athanaſianum*; nec non *Articuli Viſitatorii*, an. 1592. in terris Saxonicis publicati. De hiſce ſcriptis ſymbolicis vide plura in B. RECHENBERGII *Appendice ad Libr. ſymbolicos.*

Hi *ſymbolici libri* ſunt *norma noſtræ fidei*, non quidem normans, quæ ſola Scriptura S. eſt, ſed *normata*. Illa ſummam ſuam auctoritatem retinet & eſt divinæ originis. Hi vero auctoritatem tantum eccleſiaſticam habent & ſunt humanæ originis. Illa eſt ipſum revelatum verbum divinum, formaliter & materialiter ſpectatum, hi vero, materialiter tantum & reſpective conſiderati, verbum divinum dicendi ſunt.

Jure meritoque oportet omnes, ad munus ſacrum conſtituendos, miniſtros eccleſiæ in libros ſymbolicos jurare, ut de eorum fide & doctrina certa ſit eccleſia, nec timere debeat, illos a regula veritatis aberraturos & unitatem confeſſionis turbaturos eſſe. Non autem tunc quæſtio eſt: *num dogmata fidei ſint vera?* quippe quod jam ſupponitur; ſed tantum: *num ſint noſtra?* In hoc enim vertitur cardo rei, ut ſubſcribamus omnibus dogmatibus, quæ in eccleſia, cujus genuina membra eſſe volumus, publice docentur. Neutiquam vero hoc cum reſtrictione, *quatenus cum Scriptura S. conveniunt*, fieri debet, ſed abſolute & indeterminate, *quia cum Scriptura S. convenire credimus.*

Omnis

Omnis librorum ſymbolicorum contemptor monſtri aliquid alit, nec ſincerus aſſecla eccleſiæ ſuæ eſſe poteſt. Si enim crederet, omnia in libris ſymbolicis cum Scriptura S. concordare, eosque veram vitæ fideique normam continere, non dubitaret, iis ſincero animo ſubſcribere.

CAPUT XIII.
DE MALIS ECCLESIÆ.

Cum nil in mundo ex omni parte perfectum ſit, nilque conſtanti felicitate frui queat, non mirum eſt, ſi etiam eccleſia non modo perfectione laborat, ſed etiam variis adverſitatibus expoſita eſt. Valet quoque hic: *ſunt bona mixta malis.*

Eccleſia multa quidem fovet bona, ſed abundat ſimul etiam variis malis.

Mala eccleſiæ ſunt vel externa vel interna.

Mala externa ſunt *perſecutiones*, quibus eccleſia ſemper affligitur. Oriuntur a diabolo, qui eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis eſt, 1 Petr. V, 8. 9. Excitat ille infideles & tyrannos contra genuinos chriſtianæ veritatis confeſſores, Apoc. XII, 7. 17. c. XIII, 7. ut eos extirpent & regnum Chriſti funditus evertant.

Incipiebant tales perſecutiones in eccleſia plantanda, Act. VIII, 1. & continuatæ ſunt in eccleſia plantata ad noſtra usque tempora, durabuntque usque ad interitum mundi. Hal-

cyonia quidem tribuuntur ecclesiæ, sed ad tempus tantum durant, nec ubique iis gaudere possunt fideles. Rectissime hinc ecclesia orthodoxa dici potest *afflicta*, quia semper afflictionibus & persecutionibus obnoxia est, perpetuoque cum hostibus dimicare debet. Inprimis fideles verbi divini ministri magnis persecutionibus expositi sunt juxta prædictionem Christi, Joh. XV, 20. In omnibus autem persecutionibus Deus & Christus auxilio suo præsto sunt, easque ad bonum eventum dirigunt.

Haud minora mala ecclesiæ sunt ea, quæ *interna* nominamus & æque ac illa diabolum habent auctorem, Apoc. XII, 9. Huc pertinent 1) *scandala* s. mala exempla, 1 Cor. V, 1. 2. 6. 7. cap. XV, 33. 2 Cor. VI, 3. 1 Petr. III, 16. 17. Matth. V, 16. Eph. V, 6. 15. quæ bonos mores corrumpunt, Sir. IV, 12. 2) *seductiones*, quæ fiunt partim per falsos doctores, de quibus admonent Christus, Matth. VII, 15. c. XXIV, 24. & apostoli, 2 Cor. XI, 3. 4. 2 Thess. II, 3. 2 Petr. II, 1. c. III, 17. Act. XX, 29. 2 Tim. III, 5-7. partim per falsam philosophiam, Col. II, 8. 3) *hæreses* s. sectæ erroneæ, quæ falsas doctrinas spargunt, 2 Petr. II, 1. a Deo vero ex bono fine permittuntur, 1 Cor. XI, 19. 4) *schismata*, s. dissensiones, quæ ecclesiam vel circa dogmata fidei, vel circa ritus & ceremonias, vel circa formam regiminis discindunt & sic unitatem ecclesiæ specialem, quanquam non generalem, tollunt, 5) *syncretismus* & 6) *separatismus*, de

quibus

quibus ultimis ſpeciatim nunc aliqua dicemus.

CAPUT XIV.
DE
SYNCRETISMO ET SEPARATISMO IN ECCLESIA.

Syncretiſmus illud malum eccleſiæ eſt, quo vel errores doctrinæ in diſſentientibus non damnantur, vel diſſentientes & errantes in communione eccleſiaſtica tanquam genuina membra eccleſiæ & cohæredes vitæ æternæ pacifice tolerantur, perinde ac ſi parum referat, num huic vel illi religionis ſectæ aliquis addictus ſit.

Nomen habet *Syncretiſmus* a Cretenſibus, qui ſemper litigabant, & ſimul ac hoſtes eos aggrediebantur, cum iis amice ſe conjungebant, etſi lites nondum compoſitæ eſſent.

Syncretiſmus non modo tollit omnem *elenchum*, omneque ſtudium orthodoxiæ, ſed aperit etiam omnibus erroribus januam deſtruitque analogiam fidei.

Si diſſenſus tantum circa res adiaphoras & articulos fidei non fundamentales verſatur, aliqua concordia inter diſſentientes, ſtante diſſenſu, locum habere poteſt. Poſſunt etiam absque ſyncretiſmi ſuſpicione diverſæ religionis principes & populi pacem & amicitiam ſecum inire ad conſervandam publicam tranquillitatem: at propterea non in unam coaleunt ec-

 cleſiam,

clesiam, sed manent per se diversæ religionis sectæ, inter quas non dari potest fraternitas ecclesiastica.

Est igitur syncretismus non modo respectu errorum fundamentalium, sed etiam respectu errantium personarum rejiciendus, quia nec *errores*, nec *hæretici* tolerari debent in ecclesia.

Non tolerari debent *errores* in ecclesia, quia 1) jubemur doctrinam christianam a corruptelis sartam tectamque conservare, 2 Thess. II, 15. 2 Tim. I, 13. 14. c. III, 14. & 2) doctoribus ecclesiæ a Deo injungitur, doctrinas falsas refutare & damnare, Tit. I, 9. 13. 14. 2 Tim. IV, 2. c. III, 16. quod etiam ab ipso Christo, Matth. V, 20 sq. c. XVI, 6. & a Paulo, Gal. I, 6-9. factum est.

Nec tolerari debent *hæretici* in communione ecclesiæ, quia hoc pugnat cum mandatis de evitandis, arguendis & cavendis falsæ doctrinæ sectatoribus & doctoribus, Tit. III, 10. Rom. XVI, 17. 2 Cor. VI, 14-17. Gal. I, 8. c. V, 12. 2 Thess. III, 6. 1 Tim. VI, 3-5.

Non autem propterea hæreticis pax publica & promissa fides deneganda est, nec igne aut gladio eos persequi, nec ad amplectendam fidem nostram ullo modo cogere debemus. Iis potius habitatio, victus & amictus in ista regione & civitate, ubi jam domi sunt, nec non libertas sentiendi & credendi tamdiu concedenda est, quamdiu non publicam tranquillitatem turbant. Caveri autem debet, ne in civitatem,

ubi

ubi nondum jura civitatis habent, recipiantur, quia varia incommoda inde metuenda ſunt.

Separatiſmus illud eccleſiæ malum eſt, quo ex variis futilibus cauſis quidam ſe a communione eccleſiæ & conſortio membrorum ejus ſeparant & nec cum iis domum Dei frequentare, nec ſacramentis uti volunt, ſed miniſterium eccleſiaſticum contemnentes ἐθελοθρησκείαν ſectantur, quam Paulus valde improbat, Col. II, 23.

Genuinæ talis Separatiſmi *cauſæ* ſunt *in intellectu* præjudicium, quaſi viſibilis eccleſia ex meris piis & fidelibus conſtet; *in voluntate* vero ſpiritualis faſtus, obſtinatio animi, ſtudium de aliis judicandi, nimia confidentia ſui, & φιλαυτία perverſa.

Ad has cauſas internas accedunt *externæ*, quæ ab exemplis veterum eremitarum, a non recte intellectis locis biblicis de exitu ex Babel, ab abuſu ſacramentorum, quem quotidie animadvertunt, ab impia miniſtrorum eccleſiæ vita &c. deſumtæ ſunt.

Separatiſtæ, qui ex imbecillitate animi peccant, & tranquille vivunt, ſtudio reformandi autem non infecti ſunt, æque ac alii, qui ex ignorantia invincibili errant, in eccleſia tolerari poſſunt.

CAPUT XV.

DE CONCILIIS ECCLESIÆ.

Eccleſia diſtingui ſolet in *ſyntheticam* & *repræſentativam*.

Synthetica ecclesia est totum ecclesiæ corpus, *repræsentativa* vero dicitur ecclesia, quatenus tantum in certis casibus per aliquas personas repræsentatur.

Hæc *repræsentatio* fit vel *ordinarie* per ministros ecclesiæ, vel *extraordinarie* per concilia.

Concilium est conventus Theologorum aliorumque virorum, sacrarum rerum peritorum, qui publica auctoritate ad judicandum de rebus fidei & ad decidendum controversias, circa doctrinam fidei & morum ortas, convocati sunt.

Jus concilia indicendi in *supremum magistratum politicum* competit, qui vel ipse vel per alios istud exercet, 1 Petr. II, 13. 14. Penes hunc enim est custodia legum, cura publicæ tranquillitatis & nutricatio ecclesiæ.

Summus magistratus hinc quoque *præses* & *moderator concilii* esse solet; & si non ipse officio hoc fungitur, aliam personam suo nomine ad istud constituit.

Membra conciliorum non ut judices, sed ut doctores & interpretes Scripturæ S. consideranda sunt. Sola enim Scriptura S. est & manet omnium credendorum & agendorum unica & infallibilis norma. Hinc decreta conciliorum, quæ circa articulos fidei versantur, hominem neutiquam ad obsequium obligare possunt, nisi persuasus convictusque sit, quod cum verbo Dei conveniant. Quando autem circa res indifferentes s. ritus & ceremonias versantur, omnino

omnino obligatus est quisque subditus, iis obtemperare, si princeps ista injungit. Poscit hoc reverentia erga magistratum & vinculum mutuæ dilectionis, nec non studium evitandi scandala & schismata.

Habent concilia omnino suum usum, quia schismata & controversiæ, quæ publicam tranquillitatem turbant, in iis optime tolli & decidi possunt. Agitur enim in istis non solum publica auctoritate, sed etiam cum deliberatione doctissimorum virorum, qui ipsam ecclesiam repræsentant. Nihilo minus neminem obligant ad amplectenda decreta eorum, nisi cum Scriptura S convenientiam habere cernitur. Est enim omnis ecclesia repræsentativa tantum particularis ecclesia, ad quam verba Pauli 1 Tim. III, 15. non quadrant. Hac de causa etiam in conciliis non plurima vota controversias decidunt, quia hic non ad votorum numerum, sed ad eorum pondus respiciendum est.

Dividuntur plerumque *concilia* in *universalia* & *particularia*. Priora vulgo vocantur *œcumenica*.

Concilia œcumenica s. universalia ea sunt, quæ in prioribus post Christi nativitatem seculis nomine totius ecclesiæ christianæ sub moderamine summi Imperatoris habebantur & quorum decreta in omnibus ecclesiis particularibus approbabantur & assumebantur.

Nomen sumtum est ex Luc. II, 1. ubi orbis Romanus dicitur *πᾶσα οἰκουμένη*.

Horum *conciliorum oecumenicorum* inprimis *quatuor* fuerunt, nempe

I. *Concilium Nicaenum*, quod sub Imp. *Constantino M.* an. 315. Nicaeae in Bithynia contra Arium, Novatum & Meletium eorumque haereses habitum est.

II. *Concilium Constantinopolitanum*, sub Imp. *Theodosio M.* Constantinopoli an. 381. contra Macedonium ejusque haeresin habitum.

III. *Concilium Ephesinum*, sub Imp. *Theodosio II.* an. 431. contra Nestorium ejusque haeresin Ephesi habitum, &

IV. *Concilium Chalcedonense*, sub Imp. *Martiano* contra Eutychem ejusque haeresin an. 451. Chalcedonii habitum.

Pontificii plura oecumenica concilia numerant, sed non merentur hoc nomen, quia non solum ex una alterave tantum provincia convocata, sed eorum decreta etiam non ab omnibus ecclesiis particularibus approbata & assumta sunt. Vocantur propterea *concilia particularia*, quae iterum dividuntur in *nationalia*, quae ad totam nationem, & *dioecesana*, quae ad certum tantum districtum, unico episcopo subjectum, spectant.

Concilia particularia appellantur etiam *Synodi* & *Colloquia*, de quibus in historia ecclesiastica agitur.

Con-

Concilia omnia *errare* possunt. Ecclesia dicitur quidem columna & fundamentum veritatis, 1 Tim. III, 15. non autem in sensu architectonico, sed in sensu politico, quatenus scilicet mandata principum in columnis affiguntur, ut ista cuilibet eo facilius innotescant & a corruptione malorum interpretum conserventur.

Concilia non sunt absolutæ necessitatis, quia in dubiis casibus Scripturam S. consulere possumus, Matth. XXII, 29. Luc. X, 26. c. XVI, 29. Instituuntur ideo tantum ad conservandam animorum concordiam & doctrinæ confessionisque unitatem, Phil. II, 2. in ecclesia valde necessariam, 1 Cor. I, 10.

CAPUT XVI.

DE ANTI-CHRISTO.

Maximus ecclesiæ christianæ hostis vocatur *Anti-Christus.* Nomen hoc occurrit, 1 Joh. II, 18. 22. 2 Joh. v. 7. In genere significat quemcunque adversarium Christi christianæque religionis & veritatis, in specie vero infensissimum illum Christi hostem, qui ejus regno & doctrinæ maxime adversatur ac nocet.

In priori sensu omnes *hæretici* nominari possunt ἀντίχριστοι, quorum jam temporibus Johannis multi fuerunt, 1 Joh. II, 18. in posteriori sensu vero insignis tantum ille hostis ecclesiæ κατ' ἐξοχὴν ὁ Ἀντίχριστος vocatur, qui prolixe

iixe a Paulo describitur, 2 Theſſ. II, 3-12. & per magnam meretricem Babylonicam adumbratur, Apoc. XVII. & XVIII.

Quæritur autem: *quis hic Antichriſtus ſit?* Nonnulli ex Pontificiis perhibent, eum aliquando fore Judæum ex tribu Dan, Gen. XLIX, 17. qui Hieroſolymæ ſeſſurus & per triennium & ſex menſes proxime ante noviſſimum diem regnaturus ſit, quapropter ab iis etiam der En-de-Chriſt appellatur.

Alii intelligunt per hunc Anti-Chriſtum *Mahomethum,* auctorem Muhametiſmi, alii vero certum *tyrannum politicum*, qui tanquam alius Pharao populum Dei valde vexaturus & in conſcientias dominaturus foret. Hujus ſententiæ inprimis fuit Jo. JOACH. LANGIUS, Theologus Hallenſis, uti ex ejus Apoſtoliſchem Licht und Recht *P. II. p. 57 ſq.* & Apocalyptiſchem Licht und Recht *p. 123 ſq.* patet.

Secundum communem noſtrorum Theologorum ſententiam *Antichriſtus* nemo alius eſt, quam *Pontifex Maximus Romanus*, non quidem quoad ejus perſonam, ſed quatenus caput eccleſiæ Romanæ eſt. Quadrant enim in eum omnes proprietates, quas Paulus Antichriſto tribuit, 2 Th. II. nec non quæ de beſtia & meretrice babylonica in apocalypſi dicuntur.

Sedet enim in templo Dei ſ. in media eccleſia tanquam caput eccleſiæ, extollit ſe ſuper Deum & omnem Dei cultum, ſeque ipſum

Deum

Deum aut saltem *vicarium Dei* esse declarat, 2 Thess. II, 4. Habitat Romæ, quæ urbs septem montibus superstructa est & per bestiam, septem capita habentem, adumbratur, Apoc. XVII, 9. Natales suos debet ἀποστασίᾳ s. magnæ defectioni a veritate, 2 Thess. II, 3. seque per operationem Satanæ potentem & miraculosum præbet, ita, ut homines credant mendaciis, v. 9-11. Inebriatus est sanguine sanctorum & martyrum Jesu, Apoc. XVII, 6. regnumque suum violenta manu stabilivit, ita, ut qui non adorent eum, characteremque nominis ejus accipiant, occidantur, Apoc. XIII, 15-17.

Non quidem nomen & personam Christi, at doctrinam tamen & meritum ejus per errores suos dogmaticos multifarie abnegat, ipsumque Salvatorem denuo quasi crucifigit, quapropter etiam *Roma* locus dicitur, ubi Dominus crucifixus sit, Apoc. XI, 8. Et hæc est illa spiritualis Babylon, de cujus malitia & pœna Apoc. XVIII. prolixe agitur. Ex ipsis Pontificiis aliqui perhibent, per Babylonem 1 Petr. V, 13. Romam intelligendam esse. Vide P. Herrmannum Goldhagenium *in Novo* suo *Testamento*, Moguntiæ an. 1753. edito.

Jure meritoque hinc *Romanus Papa* Antichristus nominatur. Competunt in eum omnes *characteres antichristi*, quorum præcipui sunt 1) apostasia a vera salutis doctrina, 2 Thess. II, 3. 7. 2) summa hypocrisis v. 9. 10. 3) arrogan-

rogantia prorſus intolerabilis, v. 4. 4) crudeliſſima fidelium vexatio & perſecutio, Apoc. XIII, 15. cap. XVI, 6. cap. XVII, 6. & denique 5) tyrannis extrema contra omnes hominum ſtatus, & quidem (a) contra ſtatum eccleſiaſticum, qui totus ab eo dependet, (b) contra ſtatum politicum, cui leges præſcribit & dominando principibus, abſolvendoque ſubditos ab obedientia varias interdum in regnis turbas excitat, & (c) contra ſtatum conjugalem, dum clericis matrimonium interdicit, 1 Tim. IV, 3. & iis, quibus ob propinquitatem conſanguinitatis non nubere licet, propria auctoritate nubendi libertatem diſpenſat.

LIBER

LIBER XV.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

CAPUT I.

DE MINISTERIO ECCLESIATICO IN GENERE.

Ministerium ecclesiasticum non constituit certam *hierarchiam*, quae exemta sit ab omni jurisdictione politica, uti Pontificii statuunt, qui ecclesiam singulare regnum esse credunt, quod a Pontifice Romano, tanquam vicario Christi, qui ejus Princeps & caput sit, dependeat.

Ministri ecclesiae sunt quidem respectu officii sui ministri Dei, sed respectu suarum personarum sunt subditi *summi magistratus politici*, in cujus ditione vivunt. Hic enim non modo jus circa sacra habet, sed est simul ipsius ecclesiae advocatus & patronus.

Populus Israeliticus nobis exemplo est. Politicum & ecclesiasticum regimen in illo ita conjunctum erat, ut summus sacerdos de suo officio nemini quidem nisi Deo rationem reddere debuerit, per se autem cum omnibus sacerdotibus

tibus & Levitis sub dominio regis aut principis versabatur, qui etiam quoad externi cultus administrationem & ministrorum sacrorum constitutionem liberam potestatem habebat, ut exempla Davidis, Salomonis, Josaphati, Josiæ, Judæ Maccabæi aliorumque Israeliticorum regum & principum docent.

Ministerium ecclesiasticum probe distinguendum est a *sacerdotio*, quod tantum ad tempora V. T. pertinet, ubi cultus divinus per sacrificia fiebat, quæ typus erant 1) sacrificii expiatorii Christi & 2) sacrificiorum spiritualium, quæ in precibus, eleemosynis & bonis operibus christianorum consistunt.

Nusquam igitur ministerium ecclesiasticum in scriptis N. T. ἱερωσύνη, aut ἱερατεία aut ἱεράτευμα dicitur, quia non aliud in N. T. datur sacerdotium, quam spirituale, quod in omnes fideles competit. Neque in iisdem scriptis ministri ecclesiæ *Spirituales* h. e. Geistliche, nuncupantur, quia hoc nomen omnibus christianis commune est, Rom. VIII, 5. 1 Cor. II, 14. 15. Gal. VI, 1. In ecclesia Pontificia nomen hoc ortum est ad distinguendum clericos a laicis.

Laici nomen habent a voce λαὸς, h. e. *populus*, & *clerici* a voce κλῆρος, h. e. *sors*, Act. I, 26. Per priores intelliguntur homines, qui extra statum ecclesiasticum, & per posteriores, qui in statu ecclesiastico vivunt

Mini-

Miniſtri verbi divini germanice plerumque vocantur Prieſter, quæ vox ſecundum verſionem B. Lutheri biblicam *ſacerdotem* ſignificat. Deſcendit illa a πρεσβύτερος, quæ vox proprie hominem ætate ſeniorem aut natu majorem ſignificat, Luc. XV, 25. Hebr. XI, 2. 1 Tim. V, 2. 1 Petr. V, 5. In N. T. nomen dignitatis eſt, quod non ſolum de membris magni ſynedrii Hieroſolymitani, Matth. XV, 2. c. XXI, 23. Luc. VII, 3. Act. IV, 8. c. XXV, 25. ſed etiam de præpoſitis eccleſiarum particularium, Act. XIV, 23. Tit. I, 5. & de ſenioribus apoſtolicis, 1 Tim. IV, 14. uſurpatur. Reſpectu hujus etymologiæ miniſtri eccleſiæ, quatenus certis parochiis præfecti ſunt, recte dicuntur Prieſter, h. e. *presbyteri.*

Synonima miniſterii eccleſiaſtici in ſacris literis ſunt διακονία & quidem *verbi* Act. VI, 4. *reconciliationis*, 2 Cor. V, 18. *ſpiritus*, 2 Cor. III, 8. & *juſtitiæ*, v. 9. item λειτουργία τῆς πίστεως, Phil. II, 17. ἔργον τοῦ Χριστοῦ, Phil. II, 30. & ἔργον τοῦ Κυρίου, 1 Cor. XVI, 10. Ipſe apoſtolatus διακονία nuncupatur, Act. I, 17. Rom. XI, 13.

Apud *Pontificios* vocatur miniſterium ſacrum *ordo eccleſiaſticus*, quod nomen retinuit Auguſtana Confeſſio Art. XIV. Dici etiam poteſt *munus ſacrum, functio ſacra, cura animarum, legatio divina*, 2 Cor. V, 20. &c.

Ipſi *miniſtri eccleſiæ* in Scriptura S. appellantur ὑπηρέται τοῦ λόγου, Luc. I, 2. & τοῦ Χριστοῦ, 1 Cor.

1 Cor. IV, 1. δοῦλοι Χριστοῦ, Tit. I, 1. οἰκονόμοι μυστηρίων Θεοῦ, 1 Cor. IV, 1. ἱερουργοῦντες τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, h. e. *sacra celebrantes circa evangelium Dei*, Rom. XV, 16. πρεσβεύοντες ὑπὲρ Χριστοῦ, h. e. *loco Christi legatione fungentes*, scil. per verbum Dei ad homines, 2 Cor. V, 20. Eph. VI, 20.

CAPUT II.
DE
AUCTORE ET ORIGINE MINISTERII ECCLESIASTICI.

Cum ministerium ecclesiasticum officium sit, quod nomine ipsius Dei & inprimis Christi administratur, 2 Cor. V, 20. istud etiam non aliam, quam divinam habere potest originem.

Deus omnes homines in æternum felices ac beatos reddere vult. Hoc vero aliter fieri nequit, quam per media gratiæ, quæ sunt verbum Dei & sacramenta, quæ, si hominibus salutaria esse debent, certam administrationem requirunt. Hæc autem administratio dum non modo in nomine Dei fit, sed etiam a gratia & voluntate Dei dependet, ea quoque pro divina habenda est.

Deus itaque est *auctor* ministerii ecclesiastici, cujus finis, cum institueret istud, non alius fuit, quam homines per illud 1) de via salutis erudire, Tit. I, 9. Gal. VI, 6. 1 Thess. V, 12. 14. 2) cum Deo reconciliare, 2 Cor. V, 18. - 20.

3) in

3) in fide & bonis operibus conservare, Eph. IV, 12-16. & 4) ad salutem æternam perducere, 1 Tim. IV, 16.

Potuisset quidem Deus ecclesiam plantare & propagare sine ministerio hominum & quidem vel *immediate* per officium *Spiritus S.*, a quo omnis ministerii efficacia dependet, vel *mediate* per *angelos*, uti interdum extraordinarie factum esse legimus, Dan. IX, 21 sq. Luc. I, 11 sq. 26. sq. c. II, 9 sq. c. XXIV, 4 sq. Act. I, 10. 11. sed consultius esse duxit, certis hominibus opus salutis humanæ demandare. Expresse hinc legimus, Deum *homines* ad munera sacra constituisse, 2 Cor. V, 18. 19. 20. Tribuitur autem hæc constitutio omnibus tribus Deitatis personis; & quidem non modo *Christo*, Filio Dei, secundum utramque naturam, Matth. X, 1 sqq. c. XXVIII, 19. 20. Luc. IX, 1-6. c. X, 1-20. c. XXIV, 47. Joh. XX, 21 sq. Eph. IV, 11. 12. sed etiam *Patri*, Gal. I, 1. & *Spiritui S.* Jes. XLVIII, 16. Act. XIII, 2. c. XX, 28. 1 Cor. XII, 4 seq.

Deus unitrinus igitur is est, qui 1) ministros ecclesiæ vocat & mittit, Jer. I, 4-10. Joh. XX, 21. Ps. LXVIII, 12. Matth. IX, 38. Luc. X, 3. Rom. I, 1. 2) eos donis necessariis instruit, 1 Cor. III, 5. 6. c. XII, 4 sq. 3) iis doctrinam & formam docendi præscribit, Gal. I, 8. 9. 12. 2 Tim. III, 14-17. 4) rationem administrandi sacramenta monstrat, Matth. XXVIII, 19. 1 Cor. XI, 23. & 5) facultatem remittendi &

retinendi peccata confert, Joh. XX, 23. Matth. XVIII, 18.

CAPUT III.
DE EFFICACIA MINISTERII ECCLESIASTICI.

Ministerium ecclesiasticum magnam habet *efficaciam*. Possunt enim per istud homines ex potestate diaboli eripi, in regnum Christi introduci, de rebus divinis & via salutis erudiri, & peccatorum culpa liberari, ad Deum converti, in omnibus calamitatibus solatio affici, & ad vitam æternam evehi. Sed omnis hæc efficacia ministerio ecclesiastico non tanquam causæ efficienti per se, sed tanquam causæ instrumentali & ministeriali, tribuenda est, quia omnes salutares ejus effectus soli Deo Spirituique S. debemus, qui verbum suum & sacramenta, tanquam efficacissima gratiæ media, per ministerium ecclesiasticum in hominum salutem dispensat.

Quæritur autem: *num etiam ministerium impiorum, aut illegitime vocatorum, ministrorum ecclesiæ efficax sit?* A *Donatistis* olim hoc negatum est, qui propterea etiam baptismum, ab impio homine peractum, rejecerunt. Nos efficaciam talium ministrorum ecclesiæ, si modo verbum Dei, quod per se δύναμις τοῦ Θεοῦ εἰς σωτηρίαν est, Rom. I, 16. recte docent & sacramenta rite dispen-

dispensant, neutiquam in dubium vocamus. Effectus enim ministerii sacri non a personæ docentis & dispensantis qualitate, sed a virtute ipsius verbi & sacramentorum divina dependet. Cum verbum Dei semen incorruptibile sit, 1 Petr. I, 23. per se etiam fructus ferre debet, si cordi, tanquam terræ idoneæ, inferitur, Marc. IV, 8. 20. 28. Col. I, 6. Qui plantat, aut rigat, per se nil efficit, sed Deus, qui incrementum dat, 1 Cor. III, 7. Minister vocem & manum tantum Deo commodat.

Bileam & *Judas Ischarioth* impii homines erant, & tamen inter veros prophetas & apostolos numerantur. Ipse Christus non improbat ministerium Judaicorum doctorum in cathedra Mosis sedentium, sed potius eos audire jubet, etsi eorum opera damnet, Matth. XXIII, 2. 3. Paulus hinc omnibus viribus se eo niti testatur, ne forte aliis prædicans ipse rejiciatur, 1 Cor. IX, 27.

Solet alias a Theologis distingui inter *gratiam Dei inhabitantem* & *assistentem*. Priori si impius verbi divini minister destitutus est, posteriori tamen gaudet. Interim non negandum est, munus impii ministri ecclesiæ omnino minus efficax esse, quam pii, quia non modo per sua scandala plus destruit, quam ædificat, sed etiam non satis fidelem se præbet.

Quod ad *illegitime constitutos* ecclesiæ *ministros* attinet, contra efficaciam officii eorum objici solet locus Pauli Rom. X, 15. ubi neminem

prædicare poſſe perhibetur, qui non miſſus fuerit. At loquitur apoſtolus hic de ejusmodi miniſtro, qui plane nullam vocationem habet, non vero de tali, qui aliqua, licet cum vitio quodam conjuncta, vocatione gaudet.

CAPUT IV.
DE
SUBJECTO MINISTERII ECCLESIASTICI.

Miniſterium eccleſiaſticum ad officium *Chriſti* propheticum pertinet. Hic in ſe ipſum ſuſcepit munus, homines de via ſalutis erudiendi, ut ſuo loco oſtendimus. Cum vero non immediate munere hoc in ſtatu ſuo glorioſo fungi queat, conſtituit alios ad hoc munus obeundum.

Noluit autem iſtud *angelus* committere, etſi λειτουργοὶ & λειτουργικὰ πνεύματα, Hebr. I, 7. 14. dicantur. Nomina hæc in eodem ſenſu iis tribuuntur, in quo 2 Cor. IX, 12. Phil. II, 25. uſurpantur, ubi iſta miniſterinm in ferendo auxilio, & in præſtanda beneficientia & conſervatione a malo indicant. Ejusmodi miniſterium angelis expreſſe adſcribitur, Pſ. XXXIV, 8. Pſ. XCI, 11. 12.

Ex ſapientiſſimo autem conſilio Deus intermiſit, *angelos* in miniſtros eccleſiæ conſtituere, quia eorum alloquia & viſibilem præſentiam non

non ſine ſumma formidine & alteratione animi homines tolerare poſſent. Cognovit quoque Deus, opus converſionis faciliori negotio apud homines peractum iri, ſi ii, quibus iſtud demandatur, ſe in familiaritatem eorum, quos ad bonam frugem perducere debent, inſinuare queunt.

Homines igitur Deus ad miniſterium ſacrum conſtituere voluit. Sicut *Chriſtus*, ſummus propheta, per omnia hominibus, tanquam fratribus ſuis ſimilis factus eſt, ut in eo, quod ipſe, cum tentaretur, perpeſſus eſt, iis, qui tentantur, ſuccurreret, Hebr. II, 17. 2 Cor. I, 4. ita miniſterium reconciliationis commiſit hominibus, theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis habentibus, ut excellentia hujus virtutis non nobis, ſed Deo adſcribatur, 2 Cor. IV, 7.

Non vero omnibus, ſed *certis* tantum *hominibus* commiſit munus hoc, quia unius corporis membra non unas easdemque functiones habere poſſunt, Rom. XII, 4. Si totum corpus eſſet oculus, unde audiremus? 2 Cor. XII, 17. 27. & ſi omnes forent doctores, quinam eſſent auditores?

Excluduntur autem præ omnibus a publico miniſterio eccleſiaſtico omnes *fœminæ*, quibus Paulus non permiſit docere, 1 Tim. II, 12. ſed potius præcepit, ut in eccleſia ſileant, quia eas non decet, in eccleſia loqui, 1 Cor. XIV, 34. 35.

Ex *maribus* eos tantum Deus vult eſſe eccleſiæ ſuæ miniſtros, qui non modo debitam dexteri-

teritatem ad hoc munus habent, sed etiam legitime ad istud vocati sunt. Plura de hisce requisitis in sequentibus capitibus dicentur.

CAPUT V.
DE DIFFERENTIA MINISTRORUM ECCLESIÆ.

Sicut rex mundanus varios habet ad regendum suum regnum ministros, qui tamen omnes ab ejus voluntate dependent, ita etiam Christus, rex spiritualis, in ecclesia s. regno suo gratiæ, varios constituit ministros, qui ecclesiam regere & omnia in ea præstare debent, quæ ad suam gloriam & fidelium salutem temporalem & æternam spectant, Eph. IV, 11. 1 Cor. XII, 28.

Distingui possunt tales ecclesiæ ministri tam in V. quam N. T. in *ordinarios* & *extraordinarios*.

Ordinarii ecclesiæ ministri in V. T. erant *sacerdotes*, & *Levitæ*, quorum priores cultum divinum externum administrabant, qui in primis in faciendis sacrificiis & fundendis precibus consistebat, posteriores vero partim sacerdotibus ministrabant, partim legem divinam exponebant.

Extraordinarii ministri in V. T. erant *prophetæ*, ad quos *patriarchæ* & *prophetissæ* referri possunt. Pluribus de iis jam actum est alibi.

In

In N. T. pari modo dantur *ordinarii* & *extraordinarii ecclesiæ ministri.*

Extraordinarii fuerunt in primitiva ecclesia apostoli, prophetæ & evangelistæ.

Apostoli alias οἱ δώδεκα h. e. *duodecim* vocabantur, Matth. XXVI, 14. 20. Luc. XVIII, 31. quia eorum non plures fuerunt. Ex infima plebe Christus istos elegit, 1 Cor. I, 27-29. & iis nomen apostolorum dedit, Luc. VI, 13. quia tanquam testes αὐτόπτας, 1 Joh. I, 1. Act. I, 21. 22. Joh. XV, 27. in universum terrarum orbem post adscensionem suam in cœlos misit, Matth. XXVIII, 19. Act. I, 8. Instruebantur propterea donis Spiritus S. extraordinariis, Act. II, 4. 11. Loco deperditi Judæ Ischariothis iis per sortem addebatur *Matthias*, Act. I, 25. 26. & per immediatam Christi vocationem *Paulus*, Act. IX, 3-6. 15. 16. qui quidem supernumerarius apostolus fuit, at non minor reliquis, 1 Cor. IX, 1. 2 Cor. XI, 5. c. XII, 11. 12.

Prophetæ in primitiva ecclesia 1 Cor. XII, 28. Eph. IV, 11. nominabantur partim illi doctores ecclesiæ, qui non modo dono prædicendi futura pollebant, sicut *Johannes baptista*, Luc. I, 76. *Agabus*, Act. XI, 27. 28. c. XXI, 10. 11. *Judas* & *Silas* Act. XV, 32. sed etiam singulari dono interpretandi Scripturam S. 1 Cor. XIV, 1-5. 26-32. Rom. XII, 7. gaudebant.

Huc spectant etiam ii primitivæ ecclesiæ ministri, qui aliis extraordinariis donis præditi

 erant,

erant, de quibus agitur 1 Cor. XII, 1-11. 28-30. Hisce donis post adscensum Christi per singularem Spiritus S. effusionem non modo verbi divini ministri, sed simul omnes, qui in Christum credebant, instruebantur, Act. II, 17. 18. c. X, 44-46. Joel III, 1. 2. ut nomen Jesu eo magis ad dilatandum regnum per istos glorificetur.

Evangelistæ in prima ecclesia appellabantur evangelicæ historiæ scriptores, quales fuerunt *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas* & *Johannes*. Deinde etiam ita vocati sunt comites, legati & adjuncti apostolorum, qui eos in locis, ubi non ipsi adesse poterant, in docenda & regenda ecclesia juvabant, e. g. *Timotheus*, 2 Tim. IV, 5. & *Philippus* Act. XXI, 8. Hujus generis etiam fuerunt *Barnabas*, *Silvanus*, *Apollo*, *Epaphroditus*, *Titus*, *Lucas* &c. item septem illi *Diaconi*, quos apostoli ad distribuendas eleemosynas & administrandum fiscum ecclesiæ constituerunt, Act. VI, 1-5. inter quos primus & præcipuus fuit *Stephanus*, Act. VI, 8-10.

Hi omnes inter extraordinarios ecclesiæ ministros referendi sunt, quia extra ordinem non modo ad munera sacra vocabantur, sed iisdem etiam fungebantur. Ad ecclesiam plantandam pertinebant, non vero ad plantatam, quapropter etiam in hac cessaverunt.

In ecclesia jam plantata non alii dantur ministri ecclesiæ, quam *ordinarii*, qui ad docendum verbum evangelii, administranda sacramenta

menta & conſervandum bonum ordinem bonamque diſciplinam ritu apoſtolico conſtituuntur. Vocantur in ſacris literis *paſtores* & *doctores*, Eph. IV, 11. item *epiſcopi*, 1 Petr. V, 2. Phil. I, 1. *presbyteri* 1 Tim. V, 17. & *diaconi*, 1 Theſſ. III, 2.

Etſi nomina hæc in ſcriptis N. T. promiſcue de miniſtris eccleſiæ uſurpentur, aliqua tamen per ea inter iſtos diſtinctio indicatur. Propter εὐταξίαν enim & unitatem eccleſiæ externam omnino quædam ſubordinatio inter miniſtros eccleſiæ neceſſaria eſt. Unus alterum & dignitate & auctoritate antecedere debet, ut non gregi tantum, ſed & ipſis gregis paſtoribus, inſpectioni ſuæ ſubjectis, invigilaret. Orta inde eſt diſtinctio inter epiſcopos & presbyteros. Illi alias dicuntur *Inſpectores* & *Superintendentes*, qui certæ diœceſi, hi vero *Paſtores*, qui certæ parochiæ præfecti ſunt. His adjuncti ſunt *Diaconi*, qui Paſtoribus ad latus quaſi dati ſunt, ut in prædicatione verbi divini & aliis functionibus ſacris iis aſſiſtant.

Plura, quæ hic dicenda forent, ad Theologiam paſtoralem pertinent.

Seculo III. poſt nativitatem Chriſti magna illa inter miniſtros eccleſiæ diſtinctio orta eſt, quæ auctoritatem faſtumque epiſcoporum & metropolitanorum valde auxit. Apud Pontificios poteſtas & diverſitas perſonarum eccleſiaſticarum ſupremum adepta eſt faſtigium. In eorum eccleſia non modo epiſcopi, presbyteri & dia-

& diaconi valde inter ſe differunt, tam quoad auctoritatem, quam quoad functiones ſacras & conſecrationem, ſed omnis etiam miniſtrorum ordo ex diverſis claſſibus conſtat. At hiſce non immorabor.

CAPUT VI.
DE
VOCATIONE MINISTRORUM ECCLESIÆ.

Miniſtri eccleſiæ ad officia ſua ſacra omnino *vocati* eſſe debent, Jer. XXIII, 21. 32. Rom. I, 1. Hebr. V, 4. Sunt enim legati Dei ad homines, quibus voluntatem ſuam patefecit, 2 Cor. V, 20. Pſ. LXVIII, 12. Hinc non ultro currere, ſed ablegari debent, Jer. XXIII, 21.

Jure meritoque hinc in ſacris literis vocatio miniſtrorum verbi divini *miſſio* nuncupatur. Non ſolum ipſe *Chriſtus* reſpectu officii ſui prophetici ad prædicandum miſſus dicitur, Jeſ. LXI, 1. ſed etiam omnes *prophetæ V. T.* Jeſ. VI, 8. Jer. I, 7. c. VII, 25. c. XIV, 14. Exod. III, 8. imo *Johannes baptiſta*, Joh. I, 6. *apoſtoli*, Matth. X, 5. 16. 1 Cor. I, 17. Joh. XX, 21. & alii *verbi divini miniſtri*, Matth. XXIII, 34. c. IX, 38. miſſi ſunt.

Sicut autem omnis miſſio ſ. ablegatio non ſine inſtructione ad negotia fit, quorum cauſa aliquis a domino ſuo mittitur: ita etiam miniſter eccleſiæ non modo externam vocationem

ad

ad obeundum munus sacrum habere, sed etiam de Dei voluntate & mandatis, hominibus datis, satis superque institutus esse debet.

Duo itaque ad veram cujuscunque ministri verbi divini vocationem pertinent 1) *debita dexteritas*, quæ plerumque *vocatio interna* appellatur, & 2) legitima *vocatio externa*.

Vocatio interna consistit in *dexteritate* ad recte obeundum munus sacrum, cum singulari ardore eodem fungendi conjuncta. Hæc dexteritas ab ipso Deo proficiscitur, qui per Spiritum S. homines non solum donis naturæ & gratiæ instruit, sed etiam tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem ad pascendum gregem suum, Act. XX, 28. istos idoneos reddit.

Tria inprimis dantur *requisita* ministri ecclesiæ, vocatione interna gaudentis, 1) status gratiæ, 2) recta & sufficiens veritatis divinæ cognitio & 3) donum docendi.

Status gratiæ ministrum ecclesiæ non solum de cognita divina veritate magis convictum & ad docendum verbum Dei alacriorem, sed etiam in defungendo munere ipso fideliorem & ad ferendos salutares fidei & vitæ fructus magis idoneum reddit; dum e contrario minister ecclesiæ, qui extra statum gratiæ versatur, spirituali sensu & gustu destitutus est, dono orandi & animos probandi caret, in præstandis officiis suis damnandisque peccatis non fidelis est, nec vitæ suæ exemplo id, quod docet, confirmat. Huc spectant sequentia loca biblica:

Tit.

Tit. II, 7. 1 Tim. IV, 12. 1 Petr. V, 1. 2. 3. Phil. III, 17. 1 Cor. IV, 16. c. XI, 1. Interim munus ministri ecclesiæ extra statum gratiæ viventis non plane inefficax & sine fructu est, dummodo non heterodoxam doctrinam habet & sacramenta juxta institutionem Christi administrat, uti suo loco pluribus ostendimus.

Recta & sufficiens veritatis cognitio est alterum requisitum ministri Dei, qui interna gaudet vocatione. Debet enim ejusmodi linguis & scientiis, quæ ad studium Theologicum pertinent, sufficienter instructus esse. Est legatus Dei & interpres voluntatis ejus. Si itaque nescit, quod Deus vult, & ab hominibus, ad quos mittitur, postulat, quomodo officio suo recte perfungi potest? Quo majus autem sacrum munus est, eo major etiam esse debet illius eruditio Theologica, qui istud obire vult. Non modo veritates Scripturæ S. minister ecclesiæ intelligere debet, sed easdem etiam contra hæreticos & impios defendere. Hac de causa Paulus noluit, episcopum esse νεόφυτον, 1 Tim. III, 6. h. e. *recens ad fidem christianam conversum*, quia talis homo in doctrina christiana nondum satis exercitatus est, nec verbum evangelii in eo firmas radices egit, ut B. SCHOETTGENIUS *in Lexico in N. T. p. 385.* dixit.

Tertium requisitum ministri ecclesiæ, qui internam habet vocationem est *donum docendi.* Debet enim esse διδακτικός, h. e. aptus ad docendum s. peritus docendi, lehrhaftig, 1 Tim. III, 2

III, 2. 2 Tim. II, 24. Hoc donum certas animi corporisque dotes requirit. *Dotes animi* sunt ingenium, judicium & memoria, *dotes corporis* vero sanitas, clara, distincta & articulata vox, boni gestus &c. Omnes si adsunt, minister ecclesiæ bonum donum didacticum habere dicitur, qui veritates divinas ita proponere possit, ut libenter audiatur & bene intelligatur, quod fit, si perspicue, ordinate, distincte, breviter & cum emphasi & *παῤῥησίᾳ* loquitur.

Non solum autem internam, sed etiam *externam vocationem* recte vocatus minister ecclesiæ habere debet, & quidem *legitimam*, quæ per casus rectos, scilicet nominativum & vocativum fit, non vero, ut loqui solemus, per casus obliquos, nempe genitivum, dativum, accusativum & ablativum.

Vocatio ministrorum Dei *externa* est vel mediata vel immediata. *Immediate* in V. T. vocabantur a Deo *prophetæ* & in N. T. a Christo *apostoli*. Sed hæc vocatio in ecclesia plantata cessavit.

Non alia itaque nostris temporibus locum habet *vocatio*, quam *mediata*, quæ fit per ecclesiam, Act. VI, 5. 6. c. XIV, 23. quam repræsentat ejus patronus.

CAPUT

CAPUT VII.

DE CONSTITUTIONE MINISTRORUM ECCLESIÆ.

Ad constitutionem ministrorum ecclesiæ in terris Saxonicis plerumque *sex actus* requiruntur, nempe 1) nominatio, 2) præsentatio, 3) examinatio, 4) vocatio, 5) ordinatio & 6) confirmatio.

Nominatio, præsentatio & *vocatio* est penes eum, qui jus patronatus habet. Hic quasi repræsentat totam ecclesiam particularem, cui minister præponendus est. *Patronus ecclesiæ* vel ecclesiam ipse fundavit & dotavit, vel in illius, qui hoc fecit, locum successit, quapropter etiam officium ejus in eo consistit, ut in id, quod ecclesiæ istiusque ministrorum saluti conducit, omnem curam conferat.

Hac de causa etiam ei concessum est jus, ministrum ecclesiæ nominandi & eligendi. Optandum autem foret, ut *patroni ecclesiarum* apostolos in eligendo subjecto semper imitarentur, qui se invicem ad constituendos verbi ministros olim ita incitabant: *circumspicite, fratres, viros ex vobis spectatæ probitatis & plenos Spiritu S. ac sapientia, quos constituamus ad hoc negotium*, Act. VI, 3. Forsitan non darentur tot ministri ecclesiæ, iis requisitis destituti, quos Paulus postulat, 1 Tim. III, 2-12. Tit. I, 6-9. si patroni in conferendis sacris muneribus non

cœcum

cœcum perſonarum ſuique ipſius commodi reſpectum haberent.

Interim quæritur: *num munus eccleſiaſticum peti liceat?* Non improbandum hoc eſt, ſi apoſtolico modo id fit, 1 Tim. III, 1. Candidatus miniſterii, ſi de ſua dexteritate & interna vocatione certus eſt, publica ſpecimina edere & inprimis ſacros ſermones diligenter habere, vacans vero munus modeſte quærere poteſt. Neutiquam autem hoc fieri debet ex carnali ſcopo aut per caſus obliquos, nec per nimias ſollicitationes & commendationes, nec contemta divina directione & providentia, cui ſoli ſe committere debet omnis, qui munus ſacrum quærit.

Quamvis vero miniſtri eccleſiæ *nominatio, electio* & prima *præſentatio* ad conſiſtorium penes ſolum eccleſiæ patronum ſit, non tamen ſine conſenſu eccleſiæ, cui præficiendus eſt, vocari poteſt. Etſi enim hæc in conſtituendo miniſtro verbi divini non votum poſitivum habeat, negativo tamen gaudet, quapropter etiam concio δοκιμαστικὴ habenda eſt, candidatusque toti parochiæ præſentandus, antequam ipſam vocationem accipit, ut hoc modo cunctis quaſi ſuffragiis parochiani ſignificent, ſe cum ejus perſona & dexteritate contentos eſſe.

Acceptis literis vocatoriis deſignatus eccleſiæ miniſter iterum ad conſiſtorium præſentatur, ut ab eccleſiaſtico hoc ſenatu, qui nomine principis territorialis jus epiſcopale exer-

cet, confirmetur, poſtquam in doctrina fidei ſatis probatus & apoſtolico ritu ordinatus eſt.

Ordinatio eſt ſolennis ille actus, quo miniſter eccleſiæ ad munus ſacrum publice inauguratur & conſecratur. Ritus hic non divinæ originis, ſed apoſtolicæ inſtitutionis eſt. Peragitur per preces & impoſitionem manuum, Act. VI, 6. c. XIII, 3. 1 Tim. IV, 14. quapropter etiam in eccleſia primitiva nomen χειροθεσίας accepit.

Hæc χειροθεσία diſtinguenda eſt a χειροτονία, quæ nil aliud, quam electionem ſignificat, quia apud antiquos populos electio per extenſionem manuum aut digitorum fiebat. Hanc ſignificationem habet vox hæc etiam Act. XIV, 23. 2 Cor. VIII, 19.

Errant *Pontificii* circa ordinationis ritum duplici modo, & quidem 1) dum inter ſacramenta N. T. numerant, & 2) dum a ſolo epiſcopo peragi poſſe ſtatuunt. Priorem errorem jam refutavimus in Libro de ſacramentis, quapropter hic tantum de poſteriori aliqua dicemus.

Pontificii nempe *in Concil. Trident. ſeſſ. 23. can. 4. & 7.* contendunt, legitimam ordinationem miniſtri eccleſiæ non niſi ab *epiſcopo* fieri poſſe, quia apoſtoli hunc ritum non aliis verbi divini miniſtris, quam veris epiſcopis, a presbyteris valde diverſis, demandaviſſent. Inde concludunt, miniſtros eccleſiæ noſtræ non eſſe legitime ordinatos, quia nec B. Lutherus nec ejus ſocii & aſſeclæ poteſtatem ordinandi habuerint,

cum

cum non episcopi, sed tantum presbyteri fuerint. At respondemus, 1) in sacris literis & primitiva ecclesia nomina *episcopi* & *presbyteri* promiscue usurpari, ut ex Act. XX, 17. 28. Tit. I, 5. 7. 1 Petr. V, 1. 2. & 1 Tim. IV, 14. patet; 2) non probari posse ex Scriptura S. quod solis episcopis potestas ordinandi data fuerit, & 3) in primitiva ecclesia multa extare exempla sacræ ordinationis, quæ non ab episcopis, sed a presbyteris peractæ sint. Vide Cel. Deylingii *Diss. de S. Irenæo* §. 9.

Plura de hac re spectant ad Theologiam Pastoralem, cujus summam nemo melius exposuit, quam jam dictus Beatus Deylingius *in Institutionibus prudentiæ pastoralis.*

CAPUT VIII.
DE OFFICIIS MINISTRORUM ECCLESIÆ IN GENERE.

Munus ministrorum ecclesiæ versatur 1) circa publicam verbi divini doctrinam, 2) circa administrationem sacramentorum, 3) circa remissionem & retentionem peccatorum, 4) circa excubationem pro salute animarum & 5) circa observationem jurium ecclesiæ & rituum externi cultus divini.

Cum de prioribus officiis partim jam alibi actum sit, partim speciatim adhuc acturi simus, hic tantum aliqua dicemus de duobus ultimis,

 scili-

scilicet *excubatione pro salute animarum* & *observatione jurium ecclesiæ rituumque externi cultus divini.*

Ministri ecclesiæ vocantur *pastores*, quia certæ parochiæ tanquam gregi ovium præfecti sunt. Uti vero boni pastoris est, omnes curas in gregem suum conferre, ut oves bene pascantur, a morbis conserventur, & a rapacibus bestiis custodiantur: ita etiam minister ecclesiæ bonum se præstare debet pastorem, dum diligenter excubat pro animabus, ne in perniciem cadant, nec fidei naufragium faciant, nec in errores & scelera deducantur, nec in calamitatibus solatio destituantur, sed potius in salutari cognitione veritatis bonisque operibus crescant, in fide corroborentur, in tentationibus erigantur, in bono confirmentur & a morte æterna conserventur, Jer. III, 15. c. XXIII, 4. Ezech. XXXIV, 2-6. Christus optimum boni animarum pastoris exemplum præbuit, quod omnes boni ecclesiæ ministri semper ante oculos habere debent.

Ad officia ministri ecclesiæ pertinet etiam *observatio jurium ecclesiasticorum rituumque cultus divini externi.*

Ecclesia sua habet *jura* & *privilegia*, quæ partim a Deo, partim a magistratu politico accepit. Horum custodes quasi esse debent ministri ecclesiæ. Fundantur hæc jura certis legibus, quas nec ipsi ministri ecclesiæ transgredi, nec, ut alii eas transgrediantur, permittere debent

bent. Et cum jura hæc plerumque nomine totius ecclesiæ a summo magistratu politico exerceantur, ministris ecclesiæ vigilandum est, ne inscio illo aliquid contra ea fiat. Si vero aliquid contra hæc jura fit, istud statim ad Ephorum suum & ad Consistorium, a quo dependent, deferre debent, quia utrique primaria cura circa jura ecclesiastica demandata est.

Idem observare debent respectu *rituum ecclesiasticorum*, ad cultum Dei externum spectantium. Vocantur illi alias *ceremoniæ*, quæ quidem per se non sunt pars cultus divini, at ex christiana libertate tamen propter bonum ordinem & decorem, 1 Cor. XIV, 40. cultui divino additæ sunt; Gal. IV, 10. Col. II, 16. Temere hinc propriaque auctoritate istas nec mutare nec abrogare debet minister ecclesiæ, quia alias scandalis & schismatibus locum aperit.

Huc spectant omnes *ritus* & *ceremoniæ*, quæ quidem non a Deo mandatæ, & in sacris literis determinatæ, at propter bonum ordinem tamen & ad excitandam majorem attentionem & devotionem, imo ad adumbrandas res spirituales a piis nostris majoribus in cultu divino externo institutæ, auctoritateque publica ab ecclesia approbatæ sunt. Hujus generis sunt omnes precum & cantionum sacrarum formulæ, organorum musicorum usus, certarum feriarum & jejuniorum celebratio, varii ritus nuptiales, baptismales, sepulchrales &c. nec non quæ

 circa

circa tempus & ordinem cultus externi in quolibet loco observari solent.

In omnibus hisce ritibus & ceremoniis sacris nil propria auctoritate mutare debet minister ecclesiæ, sed potius eo intendere, ut earum observatio sarta tectaque conservetur. Inutiles autem, otiosæ & scandalosæ ceremoniæ ne nomen quidem rituum ecclesiasticorum merentur. Neque huc referri debent ii ritus ecclesiastici, qui recentioribus temporibus ab hoc vel illo ecclesiæ ministro contra totius diœceseos consuetudinem propria auctoritate in parochia instituti sunt. Hos cuilibet ministro verbi divini iterum abrogare licet.

Cum de *administratione sacramentorum* jam satis in *Libro de sacramentis* actum sit, *duo* tantum ministerii ecclesiastici *officia* adhuc supersunt, de quibus jam speciatim aliqua dicemus, nempe 1) prædicatio verbi divini & 2) officium clavium.

CAPUT IX.

DE MINISTRORUM ECCLESIÆ PUBLICA VERBI DIVINI PRÆDICATIONE.

Hoc est præcipuum officium ministri ecclesiæ, qui propterea *verbi divini minister* nuncupatur, quia in docendo verbo Dei maxime occupatus esse debet & ad annunciandum & prædicandum istud, præcipue missus & vocatus est, Rom. X, 15.

Distin-

Diſtinguendum autem eſt inter *publicam* & *privatam verbi divini tractationem*. Prior, non poſterior in ſolos miniſtros eccleſiæ competit. Poteſt enim extra conventus publicos quilibet chriſtianus alios in doctrina evangelica docere, ſicut Aquila & Priſcilla feciſſe dicuntur, Act. XVIII, 26. Hinc non ſolum parentibus munus docendi liberos incumbit, Eph. VI, 4. ſed etiam aliis fidelibus injungitur, ut ſe invicem de veritate divina erudiant, Col. III, 16. Recte ideo B. Balduinus *in Comment. ad h. l. p. 1090. b.* ſcripſit: *Utamur verbo divino ad inſtructionem & commonefactionem noſtri mutuam. Ideo enim Deus largitur verbum & ſalutarem ejus intellectum, ut non nobis tantum, ſed & aliis ad ædificationem mutuam inſerviamus, qua in re nemo deeſſe debet proximo.* Publicum autem docendi munus neque mulieribus convenit, 1 Cor. XIV, 34. 1 Tim. II, 12. neque viris, ad miniſterium ſacrum non conſtitutis, 1 Cor. XII, 29.

Pertinet vero ad verbum Dei publice docendum, ut non modo dogmata fidei pro captu auditorum perſpicue proponantur ſolideque confirmentur, nec non a falſis interpretationibus adverſariorum vindicentur & contra hæreticos defendantur, ſed eadem etiam ad ſanctimoniam vitæ, partim dehortando a vitiis, partim adhortando ad bona opera, applicentur, imo afflictorum mentes divino ſolatio ex verbo Dei erigantur & ad perferenda omnis ge-

neris mala in hac vita & ad hilariter subeundam mortem præparentur.

Huc spectat vox ὀρθοτομεῖν, qua Paulus Timotheum suum ad recte docendum verbum Dei adhortatur, 2 Tim. II, 15. Latet metaphora in illa, quæ vel ab opificibus, qui pannos, lingna aliamque materiam recte secare solent, vel a sacerdotibus V. T. qui in mactandis & dissecandis victimis omnem cautionem adhibebant, desumta est. Requirit itaque Paulus a Timotheo & a quolibet verbi divini ministro, ut cuique id det, quod ipsi convenit, rudibus informationem, malis correctionem, afflictis erectionem.

Sicut tota Scriptura S. utilis est πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, 2 Tim. III, 16. καὶ πρὸς παράκλησιν, 2 Cor. I, 4. Rom. XV, 4. ita etiam ecclesiæ minister in docendo verbo Dei omnem diligentiam adhibere debet, ut bene instruat, convincat, emendet, adhortetur & consoletur auditores suos, nec non ματαιολόγους καὶ φρεναπάτας ἐπιστομίζῃ, h. e. vaniloquis & deceptoribus os obturet, τοὺς ἀντιλέγοντας vero ἐλέγχῃ, h. e. omnes adversarios & hæreticos refutet, Tit. I, 9. 10. 11.

CAPUT

CAPUT V.

DE MINISTRORUM ECCLESIÆ OFFICIO CLAVIUM IN GENERE.

Officium clavium versatur circa *remissionem* & *retentionem peccatorum*.

Christus istud instituit & apostolis suis demandavit, Joh. XX, 22. 23. Matth. XVI, 19. c. XVIII, 18.

Nomen habet a verbis Christi, dicentis ad Petrum: *dabo tibi claves cœlorum*, Matth. XVI, 19. Latet simile in hisce verbis. Comparat enim se Christus in iis cum hero, qui dispensatori suo, cujus curæ & administrationi omnia bona concredidit, claves domus suæ tradit cum hac instructione, ut januas & portas ad certas personas claudat aliis vero istas recludat.

Duplex itaque datur *clavis regni cœlorum*, scilicet *clavis solvens*, & *clavis ligans*: h. e. potestas peccata remittendi & potestas peccata retinendi.

Regnum cœlorum h. l. regnum gratiæ f. ecclesiam indicat. Aditus ad istud nemini quidem recusatur, introitus autem non cuique patet, sed iis tantum, qui per usum mediorum gratiæ ad veram pœnitentiam rediguntur. Cum itaque Christus administrationem mediorum gratiæ, quæ sunt verbum Dei & sacramenta, ministris ecclesiæ suæ, quorum primi & præ-

cipui fuerunt apoſtoli, demandaverit, jure meritoque ideo dici poteſt, iis datas eſſe claves eccleſiæ, cum hac inſtructione, ut omnes pœnitentes peccatores in eccleſiam recipiant, impœnitentes vero tamdiu excludant, usque dum genuinam pœnitentiam agant.

Proprie poteſtas hæc toti eccleſiæ, quam temporibus Chriſti apoſtoli repræſentabant, data eſt. Solet autem eccleſia repræſentativa, quam hodie princeps territorialis cum ſenatu ſuo eccleſiaſtico ſ. conſiſtorio conſtituit, poteſtatem hanc exercere per eccleſiæ miniſtros, quibus excubatio animarum incumbit.

Et hoc vulgo dicitur *officium Confeſſionariale* ſ. das Beichtvater-Amt, quo quilibet miniſter eccleſiæ ritu apoſtolico ordinatus & conſtitutus nomine Jeſu Chriſti defungi ſolet & debet.

Quæritur autem; *num ordo & modus, quo jam miniſtri eccleſiæ officium hoc exercere ſolent, originis divinæ ſit?* Reſpondemus diſtinguendo inter officium ipſum & inter circumſtantias circa iſtud. *Officium confeſſionarii* ipſum in ſacris literis ſatis ſuperque fundatum eſt. Chriſtus enim non modo inſtituit iſtud largiendo apoſtolis poteſtatem abſolvendi & retinendi hominum peccata, Joh. XX, 22. 23. ſed habemus etiam exemplum prophetæ Nathani, qui pœnitentem Davidem a peccatis abſolvit, 2 Sam. XII, 7-14.

Quod autem ad *circumſtantias* attinet, quibus officium hoc exerceri ſolet, concedimus, eas

ex

ex Scriptura S. non probari posse, pugnant tamen non cum literis sacris & analogia fidei.

Ecclesiæ concessa est potestas, omnia inter christianos libere ordinandi, quæ ad externum Dei cultum, disciplinam ecclesiasticam & conservandum in ecclesia bonum ordinem spectant, 1 Cor. XI, 34. c. XIV, 40. Huc etiam pertinent circumstantiæ circa officium clavium & quæ de loco & tempore, quo in nostra ecclesia homines a peccatis absolvuntur, observari solent.

CAPUT XI.
DE
MINISTRORUM ECCLESIÆ REMISSIONE PECCATORUM.

Remissio peccatorum proprie *solius Dei* est, Marc. II, 7. Luc. V, 21. Ps. CXXX, 4. Dan. IX, 9. Mich. VII, 18. Hic enim est, qui per peccata offenditur, quia omne peccatum in ἀνομίᾳ s. aberratione a lege & voluntate Dei consistit, 1 Joh. III, 4.

Placuit autem Deo ex singulari gratia, ministris verbi sui potestatem remittendi peccata largiri, ut peccatores de peccatis suis eo certiores fieri queant.

Concredita itaque ministris ecclesiæ est *clavis solvens*, ut nomine Dei & Christi, qui pari auctoritate gaudent, Matth. IX, 6. omnibus pœnitentibus & in Christum credentibus peccatoribus omnia peccata remittant.

Hæc

Hæc remissio non in nuda declaratione remissionis divinæ, sed in efficacissima ejus applicatione consistit. Christus enim expresse ad discipulos suos dixit: *quorum remiseritis peccata, ea remissa sunt*, Joh. XX, 23. item ad Petrum: *quicquid in terra solveris, etiam in cœlo solutum sit*, Matth. XVI, 19. c. XVIII, 18.

Est autem potestas hæc remittendi peccata neutiquam absoluta, sed *determinata*. Semper respectum suum habet ad pœnitentiam & fidem peccatoris, qui remissionem peccatorum quærit. Hic si hypocrita est, & vera fide, contritioneque caret, peccata ei non remittuntur, etsi minister ecclesiæ eum vel centies absolvat. Remissio enim sine fide non accipi potest, ut confessores nostri in *Apolog. Aug. Conf. Art. V. de Pœnit. p. 172.* ex Rom. IV, 16. recte docent. *Absolutio*, ajunt, *est promissio remissionis peccatorum: igitur necessario requirit fidem; nec videmus, quomodo dicatur is accipere remissionem, qui non assentitur ei. Et quid aliud est non assentiri absolutioni, quam Deum accusare mendacii? Si cor dubitet, sentit incerta & inania esse, quæ promittit Deus.*

Errant hic *Pontificii*, qui suis *sacerdotibus* absolutam tribuunt remittendi potestatem, ita, ut quasi plus valeant in terris, quam Deus in cœlis.

Distinguitur autem *absolutio* ministri verbi divini in *publicam* & *privatam*, s. *universalem* & *particularem*.

Abso-

Abſolutio publica ſ. univerſalis fit omnibus pœnitentibus & in Chriſtum credentibus generaliter ſine prævia confeſſione auriculari, qualis in terris Saxonicis finito ſermone ſacro, ex ſuggeſtu in publico cultu divino habito, conſueta eſt.

Abſolutio autem privata ſ. particularis fit peccatoribus ſingulariter, quando ad miniſtrum eccleſiæ cum ſignis pœnitentiæ & fidei ex hac intentione accedunt, ut a peccatis abſolvantur, & quidem edita *confeſſione orali*; quæ, quia communiter in aurem confeſſoris fit, *auricularis* nominatur.

Hæc *confeſſio oralis* coram miniſtro eccleſiæ non quidem a Deo inſtituta eſt, attamen non pugnat cum ſacris literis, nec contraria eſt ordini ſalutis & evangelio. Occurrunt etiam exempla hujus confeſſionis, 2 Sam. XII, 13. Luc. VII, 38. c. XIX, 8. Matth. III, 6.

Eſt confeſſio oralis in primitiva eccleſia ex bona intentione inſtituta & ſpectat ad diſciplinam eccleſiaſticam, quapropter etiam B. Lutherus in eccleſiæ reformatione eam non plane abrogare voluit, etſi a multis abuſibus repurgaverit.

Non neceſſe autem eſt, omnia ac ſingula peccata recenſere, ſed ſufficit, vel peccata generatim, vel ſaltem ea, quæ inprimis conſcientiam angunt, confiteri. Ne autem arcana hominum tali modo divulgentur, lege graviſſima miniſtris eccleſiæ injunctum eſt, nil, quod ſub ſigillo

sigillo confessionis iis quasi in aurem dictum est, detegere.

Pontificii confessionem peccatorum oralem tanquam essentialem genuinæ pœnitentiæ partem requirunt, ita, ut nullum peccatum remitti doceant, quod non cum præcipuis suis circumstantiis confessionario aperiatur. Spectat huc sequens versus:

Quis, quid, ubi, quoties, quare, cur, quomodo, quando Peccasti, dices, ut sit confessio vera.

Verum ejusmodi *specialis* omnium ac singulorum peccatorum *enumeratio* coram confessionario multis ex causis rejicienda & improbanda est. Nec ullus homo ob nimium peccatorum numerum & memoriæ imbecillitatem accuratam omnium peccatorum recensionem præstare potest, Ps. XIX, 13. Et cur omnia peccata enumerare velimus, cum exempla extent eorum, qui post generalem confessionem peccatorum plenam absolutionem acceperint? Dan. IX, 20. Act. II, 37 sq. Luc. XVIII, 13. 14.

Ex recensione peccatorum speciali ortæ sunt in ecclesia Romana *indulgentiæ*, quæ sunt relaxationes satisfactionum pro pœnis, quas confessionarii pro diversa peccatorum ratione confessis peccatoribus imponunt. Harum in primis dantur quinque classes, 1) *jejunia*, 2) *flagellationes*, 3) *peregrinationes ad loca sacra*, 4) *preces* & 5) *eleemosynæ*.

In *Concilio Trid. Sess. 14. c. 3.* tribus modis Deo pro pœnis satisfieri posse docent, scilicet, 1)

pœnas

pœnas a Deo ipso immissas patienter ferendo, 2) laboriosa opera sponte suscipiendo & 3) multam a sacerdotibus impositam promte solvendo.

At omnis satisfactionum impositio improbanda est, quia 1) cum perfectione meriti Christi pugnat, 2) ad *ἐθελοθρησκείαν* pertinet, Matth. XV, 9. & 3) plenissimæ peccatorum remissioni adversatur, Matth. XVIII, 32.

Distinguendum autem est inter *satisfactiones deprecatorias*, qualis est die Kirchen-Buße in nostra ecclesia, quæ pars disciplinæ ecclesiasticæ, ad emendationem aliorum spectans, est, & inter *satisfactiones expiatorias*, quales dantur in ecclesia Pontificia. Priores admittuntur, posteriores vero rejiciuntur.

Has satisfactiones expiatorias relaxare solent per *indulgentias*, quas Pontifex Romanus largitur hominibus. Describit istas Bellarminus *Lib. I. de Indulg. c. 8.* per *remissionem pœnæ Deo debitæ in foro pœnitentiario extra sacramentum datam per applicationem satisfactionum, quæ thesauro ecclesiæ continentur.*

Hic *thesaurus ecclesiæ*, quem Pontificii fingunt, sunt sanctorum merita superflua, per eorum reliquas quasi repræsentata.

Nos jure meritoque rejicimus omnes satisfactiones & indulgentias, retinemus autem confessionem & absolutionem privatam, tanquam ritum ecclesiasticum, qui multifarium præstat usum. Adstipulamur propterea B. Gerhardo, *ita in Loco de Pœnit.* §. *99.* loquenti: *Privata co-*

ram

ram ecclesiæ ministro confessio, quam auricularem vocant, quamvis non habeat expressum ac speciale mandatum, at proinde non sit absolutæ necessitatis; tamen cum plurimas præstet utilitates ac disciplinæ ecclesiasticæ pars sit non postrema, publico ecclesiæ consensu recepta, ideo nequaquam temere vel negligenda vel abroganda, sed pie ac in vero Dei timore, præsertim ab illis, qui ad sacram synaxin accedunt, usurpanda est.

CAPUT XII.
DE
MINISTRORUM ECCLESIÆ RETENTIONE PECCATORUM.

Retentio peccatorum per *clavem ligantem* fit, quam Christus æque ac clavem solventem ministris ecclesiæ dedit, ut impœnitentibus & incredulis hominibus non modo iram & pœnas Dei annuncient, sed iis etiam, quamdiu non signa veræ pœnitentiæ edunt, remissionem peccatorum denegent, eosque tandem consentiente ecclesia vel ab usu sacræ cœnæ arceant, vel prorsus a communione ecclesiæ excludant.

Habet itaque usus clavis ligantis certos gradus, quorum primus est *annunciatio iræ & pœnæ Dei*, quæ per verbum divinum partim generaliter, partim specialiter, partim publice, partim privatim fit.

Generaliter fit vel in publica concione ex rostris sacris, vel in scriptis Theologicis ad emendatio-

dationem christianismi spectantibus. Sic non modo *Christus* incredulis Judæis & inprimis Pharisæis divinam iram omnesque tam temporales, quam æternas pœnas indixit, sed etiam *apostoli* omnibus impœnitentibus & incredulis hominibus, divitias divinæ gratiæ & salutarem evangelii doctrinam respuentibus, temporale & æternum exitium annunciaverunt. Paulus anathema dixit iis, qui non solum falsam doctrinam spargebant, Gal. I, 8. 9. sed etiam Jesum Christum non diligebant, 1 Cor. XVI, 22.

Huc spectat etiam *formula generalis retentionis peccatorum*, quæ in certis evangelicis regionibus absolutioni generali finita publica verbi divini prædicatione adjici solet.

Specialiter ira & pœna divina peccatoribus annunciatur vel *privatim* intra privatos parietes, si scelus nondum inter omnes constat, vel *publice* pro concione totius populi, si publicum scandalum ex peracto facinore exortum est. Ejusmodi peccatores *coram omnibus arguendos esse, ut & cæteri timorem habeant*, monet apostolus, 1 Tim. V, 20. Interdum etiam enormitas peccatorum *elenchum nominalem* poscit, 1 Tim. I, 20. 1 Cor. V, 2. Tit. III, 10.

Alter ligantis clavis *gradus* est *denegatio remissionis peccatorum*, quæ cum *denegatione usus sacræ cœnæ* conjuncta esse solet. Dicitur alias *excommunicatio* & quidem *minor*, ut distinguatur ab *excommunicatione majori*, quæ in primitiva ecclesia tantum consueta fuit, ut exempla homi-

bris inceſtuoſi, 1 Cor. V, 5. & Hymenæi Alexandrique 1 Tim. I, 20. docent, qui Satanæ tradebantur ad interitum carnis.

In Romana eccleſia adhuc talis excommunicationis actus a Pontifice Maximo exercetur, & quidem non modo contra omnes hæreticos, ſed interdum etiam contra ipſos principes & reges, qui non cœcam ei & ejus decretis obedientiam præſtare volunt. De ſoliis ſimul iſtos olim deturbabat Pontifex & ſubditos a juramento præſtito abſolvebat, quod autem noſtris temporibus non amplius fieri ſolet. Magnus hoc eſt abuſus clavis ligantis.

Non alia jam *excommunicatio* locum habet, quam ſic dicta *minor*, in recuſatione & denegatione remiſſionis peccatorum uſusque ſacramentorum conſiſtens, quæ autem ſine conſenſu ſenatus eccleſiaſtici a miniſtro eccleſiæ non ſuſcipi debet. Ex Matth. XVIII, 17. diſcimus, ne quidem tempore Chriſti quemquam excludi potuiſſe ex ſocietate eccleſiæ, ſine conſenſu eccleſiæ.

Spectat autem omnis excommunicatio peccatorumque retentio ad diſciplinam eccleſiaſticam & πρὸς ἐπανόρθωσιν ſ. emendationem & correctionem hominum, neutiquam vero ad eorum perditionem & exitium, quapropter etiam excommunicatio non pœna exitioſa, ſed medicinalis dicenda eſt.

LIBER

LIBER XVI.
DE
MAGISTRATU POLITICO.

CAPUT I.
DE
MAGISTRATU POLITICO IN GENERE.

R*espublica* conſtat ex duplici genere hominum. Quidam imperant & quidam obediunt. Illi dicuntur *magiſtratus*, hi vero *ſubditi.*

Quæritur: *num etiam in ſtatu integritatis aliqua hominum ſubordinatio locum habuiſſet?* Non negandum hoc eſt, ſi conſideramus, 1) quod Deus per ſe ſit Deus ordinis, 2) quod inter ipſos angelos dentur certæ claſſes, 3) quod omnes homines inſtinctum naturalem ad ſtatum ſubordinationis habeant, 4) quod in ſtatu integritatis omnino poteſtas patria in liberos locum habuerit, & 5) quod ipſi electi in vita æterna ſe invicem claritate ſuperaturi ſint. At multo aliam omnino regiminis formam in ſtatu integritatis locum habuiſſe, nemo negabit, qui perpendit, in quos abſceſſus hominum genus per lapſum ruerit.

Magiſtratus politicus ἀπὸ τῆς πόλεως, h. e. a civitate vel a republica, nomen habet. Signi-

 ficat

ficat igitur potestatem supereminentem f. ἐξουσίαν ὑπερέχουσαν, Rom. XIII, 1.

Nomen hoc dupliciter sumitur, vel *abstractive* pro officio, vel *concretive* pro persona, officio hoc fungente.

Distinguitur magistratus politicus in *superiorem* & *inferiorem*.

Superior magistratus ille est, qui in republica summam potestatem & omnia jura regalia & territorialia habet, *inferior* vero, qui a magistratu superiori dependet & vel in ejus nomine vel sub auspiciis ejusdem juxta præscriptas leges civiles certa jura superioritatis super iis, qui sub dominio ejus ex necessitate loci aut status versantur, exercet.

Nonnulli potestatem magistratus politici vel nimium extollunt, vel ipsum magistratum prorsus contemnunt & rejiciunt.

Priores dicuntur *Machiavellistæ* & posteriores *Monarchomachi*.

Machiavellistæ nomen habent a *Nicolao Machiavello*, Patricio Florentino, Seculo XVI. vivente, qui *de Principe* octo libros scripsit, in quibus principum jura & potestatem in subditos supra modum extulit. Nomen Machiavellistarum hinc adepti sunt omnes, qui non modo cæcam obedientiam erga principem in ipsis rebus conscientiæ requirunt, sed principi etiam jus tribuunt, omnia ad proprium suum commodum, quod *rationem status* vocant, adhibendi, nec non ejus potestatem circa sacra ad res

con-

conſcientiæ extendunt, dicentes: *cujus regio, iſtius etiam ſit religio.*

Monarchomachi dicuntur omnes, qui vel omnem magiſtratum politicum rejiciunt & contemnunt, vel ſaltem cum Anabaptiſtis & Mennonitis aſſerunt, chriſtianum non ſine læſione conſcientiæ munere magiſtratus fungi poſſe, dum magiſtratum non a Deo, ſed a diabolo eſſe contendunt.

Inter hoſtes magiſtratus politici etiam illi numerandi ſunt; qui ſummam in republica poteſtatem non principi, ſed *populo* tribuunt. Statuunt propterea *duplicem majeſtatem*, realem & perſonalem. Illam eſſe penes populum, ajunt, & hanc penes principem. At realis majeſtas a perſonali nunquam ſeparanda eſt, etſi dentur regiminis formæ, ubi vel aliqui ex proceribus, vel aliqui ex ipſo populo imperant.

Prior ſtatus regiminis dicitur *Ariſtocratia* & poſterior *Democratia.* Utraque opponitur *Monarchiæ*, quæ eam regiminis formam indicat, ubi certus princeps vel ex jure hæreditatis vel ex jure electionis ſummam imperii tenet & vel ex libero arbitrio vel ſecundum præſcriptas leges fundamentales ſubditis ſuis dominatur.

In populo Iſraelitico olim dabatur etiam *Theocratia*, ſeu ejusmodi ſtatus regiminis, in quo ipſe Deus quaſi Rex & Dominus erat, qui immediate populo & regioni dominabatur. Bet. DEYLINGIUS prolixe hanc Theocratiam

tiam pertractavit in *Diss. de Israele, Jehovæ dominio ex Ps. CXIV, 2.* Lipsiæ an. 1722. publice habita.

CAPUT II.
DE
ORIGINE MAGISTRATUS POLITICI.

Magistratus politicus a *Deo* est.

Hoc probatur 1) ex Rom. XIII, 1-6. ubi magistratus non modo τοῦ Θεοῦ διαταγὴ s. divina ordinatio, & Dei διάκονος, ii vero, qui officio magistratus funguntur, λειτουργοὶ s. ministri publici Dei vocantur, sed ubi etiam expresse docetur, non dari ἐξουσίαν s. potentiam, nisi a Deo ordinatam & quidem in eum finem, ut vices Dei in protegendis hominibus & puniendis malis gerat. Confer Deut. I, 17.

Probatur 2) ex Joh. XIX, 11. ubi Christus testatur, Pilatum potestatem suam non aliunde, quam ἄνωθεν h. e. cœlitus accepisse, quod etiam Sap. VI, 4. affirmatur.

Probatur 3) ex nomine Elohim, quod in Scriptura S. magistratibus datur, Exod. XXII, 28. 4) ex multifario auxilio, quod Deus magistratui ferre solet, Prov. VIII, 15. 16. 2 Chron. XIX, 6, Sir. X, 4. 5. 5) ex eorum exemplis, quos Deus ipse ad summam potestatem in populo evexit, e. g. Mosis, Josuæ, Sauli, Davidis, Jehu &c. & 6) ex laudibus, quibus Josephus Arimathæus, Marc. XV, 43. officialis regius,

regius, Joh. IV, 46. 53. & alii, qui magiſtratus officio functi ſunt, in ſacris literis digni habiti ſunt.

Objiciunt *Mennonitæ*, quod in Scriptura S. nullibi aliquid de formali inſtitutione magiſtratus occurrat, cum tamen de conjugio & miniſterio eccleſiaſtico id fiat. Sed reſpondemus, ſummam in populo poteſtatem ex poteſtate patria in liberos ortam eſſe & hac ratione ſtatim cum primis hominibus cœpiſſe. Ex poteſtate patria oriebatur poteſtas herilis & ex hac poteſtas civilis.

Sunt, qui originem magiſtratus *diabolo* tribuunt, qui per Cainum & Nimrodum iſtum in mundum introduxerit. Provocant ad Matth. IV, 8. 9. & Luc. IV, 6. ubi diabolus regna mundi in ſua poteſtate habere gloriatur. Sed diabolus mendax eſt, Joh. VIII, 44. Ne quidem in ſues olim ſine permiſſione Chriſti poteſtatem ſuam præſtare potuit, Matth. VIII, 31.

Alii magiſtratum pro nudo *humano ordine* habent, provocantes ad 1 Petr. II, 13. ubi *ἀνθρωπίνη κτίσις* nuncupatur. Sed vox *κτίσις* reſpectum habet ad Deum, qui ejus auctor eſt. Dicitur autem humana *κτίσις*, non reſpectu originis, ſed 1) reſpectu ſubjecti, quia non angeli, ſed homines ad munera magiſtratus evehuntur; 2) reſpectu objecti, quia magiſtratus tantum hominibus dominantur, & 3) reſpectu modi, quo conſtituuntur magiſtratus. Non aliter enim, quam per homines & huma-

nas leges constitutionesque perveniunt ad munera sua.

Plerumque acquiritur majestatica potestas vel per *electionem*, vel per *successionem*, vel per *occupationem* s. armata manu, quæ vel legitima, vel illegitima est, quatenus nempe causæ belli vel justæ vel injustæ sunt. Interim Deus semper concurrit, si aliquis ad magistratus officium pervenit, etiamsi modus sit injustissimus. Nec armis enim, nec dolis homo aliquid efficere potest sine permissione Dei, multo minus regis solium conscendere, ut exemplum Jerobeami docet, 1 Reg. XIV, 7. 8. Deus enim reges non modo constituit, sed etiam de solio iterum deturbat, Dan. II, 21.

CAPUT III.
DE POTESTATE MAGISTRATUS POLITICI.

Loquimur hic de summo magistratu, qui κατ' ἐξοχὴν *magistratus* dicitur, quippe cui soli tribuenda est potestas illa, de qua h. l. agimus.

Magistratus inferior per se nullam potestatem habet. Quicquid in republica pollet, summo magistratui acceptum referre debet. Hic enim inferiori largitur certa jura, quæ autem non nisi juxta præscriptas leges exercere debet. Ejus igitur potestas valde restricta & determinata

nata est. Dependet a voluntate & auctoritate supremi magistratus, qui solus dominatur in capite fortunisque hominum.

Versatur autem potestas summi magistratus circa omnia, quæ ad rempublicam ejusque commodum spectant, adeoque tam circa res civiles, quam res sacras.

In primis ejus potestati subjectæ sunt *res civiles*, ut pro suo arbitratu de omnibus, quæ ad subditorum statum politicum & civilem spectant, præcipere & disponere queat.

Quod ad *res sacras* attinet, varia monenda sunt; quapropter in sequenti capite speciatim de magistratus jure circa sacra agemus.

Licet autem summus magistratus summam potestatem habeat in populo, neutiquam tamen ea abuti debet in nominis divini læsionem & reipublicæ detrimentum.

Norma ei propterea data est, ad quam potestatem suam exercere debet. Hæc sunt non modo *leges naturæ*, sed etiam *leges* cujuscunque regni *fundamentales*, quibus rex & quicunque ad fasces imperii evehitur, obstringi solet sub initio regiminis sui.

Leges naturæ cum lege Dei æterna & immutabili eædem sunt. Scriptæ sunt a Deo in cordibus hominum & dictitante conscientia ab ipsis ethnicis agnoscuntur & observantur. Magistratus christianus eo magis ad eas obstrictus est, quia simul *leges divinas* didicit, quibus leges naturæ magis illustrantur & explicantur.

Contra has itaque & jus naturæ nullus monarcha & princeps agere debet, etsi nullis pactis conventis obstrictus sit, nisi tyrannus esse velit, qui dicere solet: *Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas.*

Dantur etiam in multis regnis certæ *leges fundamentales*, quibus per pacta conventa reges, principes & magistratus, antequam imperium suscipiunt, obstringi solent, ut ad ejus normam imperent. His neglectis subditi non quidem jus accipiunt, tali principi obedientiam denegandi, at iste tamen se indignum reddit fasces imperii diutius tenere.

Cæterum omnino summus magistratus non obligatus est ad leges humanas mere positivas, quia hoc ad jura majestatica & legislatoria pertinet. Aliis enim leges dare, idem est ac aliis imperare, imperare vero & simul obedire, non conveniunt. Etsi vero in terris summus magistratus non agnoscat superiorem, Deo tamen aliquando rationem reddere debet de suis factis & imperio.

CAPUT IV.

DE MAGISTRATUS POLITICI JURE CIRCA SACRA.

Jus circa sacra idem hic est, ac potestas circa sacra.

Sacra

Sacra s. res sacræ sunt, quæ ad statum ecclesiæ & cultum divinum spectant. Sunt vel *externa* vel *interna*. Illa versantur circa statum ecclesiæ & externas cultus divini circumstantias, hæc vero circa dogmata fidei & actus cultus divini ipsos.

Sacra interna curæ ministrorum ecclesiæ, & *sacra externa* curæ magistratus politici demandata sunt.

Quod autem cura sacrorum omnino ad officia magistratus politici pertineat, ipsis ethnicis quodammodo innotuit, quare legimus, magistratum politicum apud veteres Romanos & Græcos curam circa religionem & cultum divinum in se suscepisse.

In V. T. custodia legis divinæ & constitutio ministrorum, qui sacra administrabant, penes principes populi fuit, ut exempla Mosis, Josuæ, Davidis, Salomonis, Josaphati, Josiæ, Judæ Maccabæi aliorumque regum & principum probant. Cavere sibi autem debebant, ne se immisceant rebus sacris, quæ ad cultum Dei ipsum spectabant. Tunc sibi iram & vindictam Dei contrahebant, ut exempla Jerobeami, 1 Reg. XII, 27-33. c. XIV, 9-11. & Usiæ, 2 Chron. XXVI, 18-21. docent.

Hæc cura circa sacra externa etiam in N. T. apud magistratum politicum mansit. Paulus hinc expresse testatur, curam magistratus eo tendere, ut vitam tranquillam agamus in omni honestate & pietate, 1 Tim. II, 2. Recte ideo

B. Baie-

B. BAIERUS *in Compend. Theol. Posit. p. 808.* ita scripsit: *Summi magistratus jura ita occupari circa media perducendi subditos ad agnitionem & exercitium veræ religionis, ut proxime quidem respiciant actus externos, remote tamen collineant ad ipsos actus internos, qui ad religionem spectant.*

Pontificii jus circa sacra Pontifici Romano & Episcopis, summo magistratui autem tantum jus advocatiæ tribuunt.

Jura specialia, quibus magistratus politicus respectu *sacrorum* apud Protestantes gaudet, sunt: 1) potestas constituendi ministros ecclesiæ, cum qua potestate conjuncta est cura pro eorum sustentatione; 2) potestas instituendi scholas, gymnasia & academias; 3) potestas reformandi cultum externum Dei & ritus ecclesiasticos; 4) potestas vocandi concilia & synodos; 5) potestas instituendi visitationes scholarum & parochiarum; 6) potestas ferendi leges ecclesiasticas; 7) potestas puniendi violatores legum ecclesiasticarum; 8) potestas de bonis ecclesiasticis præcipiendi & disponendi; 9) potestas, consistoria constituendi, quibus administratio juris circa sacra committatur, 10) potestas, in hæreticos & improbos ecclesiæ ministros inquirendi, eosque puniendi; 11) potestas, hæreses ab ecclesia damnatas, cultusque idololatricos abrogandi; 12) potestas, dies festos & pœnitentiales, nec non collectas s. publicas eleemosynas indicendi &c. Hæc omnia

exem-

exemplis piorum regum & principum ex ſacris literis V. T. probari poſſunt.

Neutiquam vero ad jus circa ſacra, ſummo magiſtratui conceſſum, pertinet 1) introductio novæ religionis cum Scriptura S. pugnantis, 2) coactio ſubditorum ad abnegandam fidei doctrinam, hactenus confeſſam, & ad amplectendam novam, quia dominium in alterius conſcientiam in nullum principem competit; nec denique 3) prohibitio officii elenchtici, miniſtris eccleſiæ a Deo demandati, 2 Tim. IV, 2-5. Tit. I, 9-14. Joh. XVI, 8. dummodo in debita moderatione fit.

Solet etiam magiſtratus politicus jus ſuum circa ſacra non ſine conſilio Theologorum & miniſtrorum eccleſiæ exercere. Hac de cauſa *conſiſtoria* plerumque non ex ſolis Politicis, ſed etiam ex Theologis conſtant. Fit hoc juxta exempla Davidis, Aſſæ, Joſaphati, Hiskiæ, Joſiæ aliorumque piorum regum & principum Iſraeliticorum. Ipſi etiam *miniſtri eccleſiæ* ſub poteſtate ſummi magiſtratus verſantur. Πᾶσα ψυχὴ enim, h. e. omnis homo ei ſubjectus eſſe debet, Rom. XIII, 1. Probatur tam mandato, Matth. XXII, 21. quam exemplo Chriſti, Matth. XVII, 27. Joh. XIX, 11.

CAPUT

CAPUT V.

DE

OFFICIO MAGISTRATUS POLITICI.

Magistratus politicus, tanquam vicarius Dei, repræsentat *patrem*, *legislatorem*, *judicem* & *protectorem* populi sui. Quatruplex hinc ei incumbit officium, nempe patrium, legislatorium, judiciale & protectorium.

Officium patrium primum & præcipuum est. Cum enim magistratus politicus ortus sit ex patria potestate, quæ apud parentes respectu liberorum etiam in statu integritatis locum habuisset, patrium quoque animum erga subditos semper testificari debet. Male itaque agit, si se tyrannum præbet, cum pater patriæ esse debeat, qui subditos amet, eorum felicitatem promoveat & pro iis diu noctuque curet & vigilet. Principes & qui summam in populo potestatem habent, semper perpendere debent, 1) se propter subditos, non vero subditos propter se constitutos esse, & 2) se aliquando Deo pro administratione officii sui rationem reddituros esse.

Officium legislatorium, Græce *νομοθετικὸν* dictum, ad præcipua summi magistratus & principum regalia pertinet. Præstant per istud potestatem suam jubendi & ab omnibus, qui iis subsunt, obedientiam postulandi. Leges, quas ferunt principes, sunt declarationes voluntatis suæ. Dant istas subditis suis in regulam aut facien-

faciendi, aut omittendi omne, quod sibi aut placet, aut displicet. Hi vero obligantur ad ὑποταγὴν s. subjectionem & obedientiam, Rom. XIII, 1. Tit. III, 1. Non autem leges summi magistratus cum legibus divinis & conscientia subditorum pugnare debent.

Officium judiciale, quod Græci δικαςικὸν vocant, versatur circa decidendas causas dubias subditorum. Magistratui hoc incumbit, qui jus dicere debet suis subditis, & quidem secundum legis præscriptionem & naturalem æquitatem. Fit tanta auctoritate, ut acquiescere debeant in accepta sententia. Sicut autem non in unius hominis viribus positum est, totum populum regere omnesque lites in eo juste componere: ita summus magistratus non modo certa Collegia Juridica constituere solet, quibus jus dicendum committit, sed committit etiam sub certis conditionibus inferioribus magistratibus officium judicis, ut secundum acta & probata lites & causas dubias decidant, cum hac tamen restrictione, ut subditis, qui in sententia ab inferiori magistratu dicta non acquiescere velint, permissum sit, per modum appellationis ad ipsum principem se convertere & ejus judicium juxta exemplum Pauli, Act. XXV, 11. implorare.

Propter hoc officium judiciale magistratui in primis commendatur in sacris literis *justitia*, Ps. LXXII, 1-4. Prov. XXXI, 9. Jes. LVI, 1. Jer. XXII, 3. Exod. XXIII, 6. Deut. XXIV, 17.

quæ

quæ nullum personarum respectum habet, nec judicem donis corrumpere sinit, sinistram vero legum interpretationem injustamque causæ protractionem quovis modo vetat. Spectant huc dicta illa biblica, quibus judicibus accuratissima justitiæ administratio severissime inculcatur, Exod. XXIII, 6-8. Deut. I, 16. 17. c. XVI, 18. 19. 2 Chron. XIX, 6-10. Comprehendit simul hoc officium judiciale *jus vitæ & necis*; de quo speciatim in sequenti capite acturi sumus.

Officium protectorium est præcipuus fructus potestatis, qua præditus est magistratus politicus. Deus enim tantam potentiam & auctoritatem ei in populo non alia de causa dedit, quam ut utramque in auxilium, tutelam & patrocinium pauperum, oppressorum, derelictorum, afflictorum & aliorum miserorum hominum impendant. Incumbit propterea summo magistratui populum suum, ejusque jura & bona contra invadentes hostes defendere, publicamque tranquillitatem in regno & regione conservare, imo vicinis principibus & gentibus, innocenter agressis, auxilio venire. Fluit inde *jus belli & pacis*, de quo infra plura dicemus.

CAPUT

CAPUT VI.
DE
MAGISTRATUS POLITICI JURE VITÆ ET NECIS.

Datus eſt ſummo magiſtratui *gladius*, ut non modo bonos defendat, ſed malos etiam puniat, Rom. XIII, 4.

Uſus gladii itaque ſignum eſt ſummæ poteſtatis, ſoli magiſtratui a Deo collatæ, qui propterea Dei miniſter vocatur, quia nomine ejus gladium gerit & quidem non fruſtra, ſed ut exerceat etiam uſum gladii.

Hoc fit in commodum ſubditorum, ut felicitas eorum tranquillitasque tam communis quam ſingularis promoveatur & conſervetur. Sicut autem utraque vel per facinoroſos homines, vel per publicos hoſtes turbari & impediri ſolet: ita etiam jus gladii contra utrosque exerceri debet.

Duo quaſi ſunt *gladii*, quibus magiſtratus gaudet, unus ad puniendos ſceleroſos, Rom. XIII, 4. & alter ad gerenda bella cum publicis hoſtibus, Jud. VII, 20. de quo in ſequenti capite plura dicentur.

Gladius, qui ad puniendos ſceleroſos uſurpatur, indicat *jus vitæ & necis*, quod Deus magiſtratui politico largitus eſt. Huic ſoli iſtud commiſſum eſt. Nemo hinc nec in ſui ipſius, nec in alterius vitam jus habet. Hac de cauſa etiam non modo αὐτοχειρία, ſed omne quo-

que homicidium, ex privata vindicta commissum, crimen quasi læsæ majestatis divinæ est, quod mortis pœnam poscit, Gen. IX, 5. 6. Exod. XXI, 12. Matth. XXVI, 52. Apoc. XIII, 10. Ne quidem maleficus interfici debet ab aliquo, qui non a Deo jus vitæ & necis accepit, ut exemplum Caini docet, Gen. IV, 14.

Magistratus politicus omnino *jus suppliciorum capitalium* habet. Nam nisi hoc haberet, quomodo terrori esset male agentibus? Rom. XIII, 3. Ex Scriptura S. V. & N. T. satis superque probari potest, supplicia capitalia magistratui permissa esse. Potest autem princeps non solum capite punire maleficos, sed etiam gratiam delicti facere, si istud non in homicidio aut alio atroci crimine consistit, quod sine læsione nominis divini condonari nequit.

Crescentibus delictis crescunt etiam pœnæ. Hinc magistratus politicus etiam capite punire potest homines, quorum delicta alio tempore non pœna capitali digna judicantur.

Debent etiam pœnæ proportionem habere cum delictis & non nisi prævia inquisitione juxta tenorem legum publicarum irrogari. Alias princeps suo jure vitæ & necis abutitur & culpam injustitiæ & crudelitatis in se suscipit.

CAPUT

CAPUT VII.
DE
MAGISTRATUS POLITICI JURE BELLI ET PACIS.

Bella numeranda ſunt inter mala neceſſaria hujus vitæ. Cum enim homines ſe multiplicarent & ad dominatum aſpirarent, Gen. VI, 4. c. X, 8. oriebantur inde diſſidia, quæ non niſi armata manu componi poterant. Qui vincebatur, pacem quærebat & ſub certis conditionibus potentiori ſe ſubmittebat.

Hac ratione populus populum ſub jugum redigebat & cum principes, potentia ſua abutentes, inſolenter ſe ſuper alios efferrent, homines inde vim vi repellere diſcebant. Summus magiſtratus hinc jus nactus eſt, armatu manu reſiſtendi omnibus, qui ſibi ſuisque ſubditis vim afferunt, eorumque felicitatem & tranquillitatem publicam turbant.

Hoc jus plerumque vocatur *jus belli & pacis*, quia bellum & pax ſe invicem ſequuntur, bellumque non niſi ex ſtudio pacis incipiendum eſt. Pax enim acquiritur bello. Hinc belligerantes principes omnem curam in medio bello ad pacificationem intendere debent.

Jus belligerandi itaque per ſe non eſt improbandum, ſi modo juſtæ cauſæ adſunt, cur bellum ſuſcipitur. Sunt autem *juſta bella* dicenda, quæ 1) ad protegendas regiones & gentes, 2)

ad defendendum ſe contra aggreſſores, 3) ad auxiliandum oppreſſis vicinis & 4) ad obtinenda ſua jura ſuſcipiuntur. Bella debent etiam juſte geri, & quidem ita, ut tandum contra muros & armatos homines militetur, bonaque diſciplina militaris obſervetur.

Non igitur omnia *bella* improbanda ſunt, nec iſta per ſe cum chriſtianiſmo pugnant, quia 1) exempla piorum virorum & principum adſunt, qui bella geſſerunt, e. g. Abrahami, Joſuæ, Davidis, Joſiæ, Judæ Maccabæi &c. 2) quia ipſe Deus leges belli populo ſuo præſcripſit, Deut. XX. 3) quia Johannes baptiſta ſtatum militarem non improbavit, Luc. III, 14. 4) quia fides certorum militum in N. T. laudatur, e. g. Matth. VIII, 10. Act. X, 1. 2. 22. & 5) quia Deus ipſe Iſraelitas armata manu terram Canaan occupare juſſit.

Errant hinc *Mennonitæ*, *Anabaptiſtæ* aliique hæretici, qui omnia bella improbant. Provocant 1) ad Matth. V, 39. at hic non publica, ſed privata vindicta interdicitur, & 2) ad 2 Cor. X, 9. at h. l. de hoſtibus ſpiritualibus ſermo eſt, contra quos non arma carnalia uſurpari poſſunt.

Injuſta bella ſunt, quæ non modo ex cupiditatate dominandi & inclareſcendi, ex æmulatione & ad minuendam alterius potentiam, ſed etiam ex odio erga diverſam religionem ſuſcipiuntur.

Ad

Ad *religionem* tuendam quidem licitum eſt bellum gerere, non vero ad eam amplificandam.

Omnis uſus armorum erga *hæreticos*, eosque, qui aliam profitentur fidem, injuſtus & damnandus eſt. Non enim armis carnalibus, 2 Cor. X, 4. ſed gladio verbi impugnandi ſunt, qui in rebus fidei aliter ſentiunt, 2 Tim. IV, 2. 2 Theſſ. II, 8. Coerceri quidem poſſunt, ſi nondum jus in terrâ habitandi religionemque ſuam publice exercendi acceperunt, non vero igne & gladio perſequendi, Luc. IX, 54. nec violento modo ad mutandam religionem cogendi. Fruſtra provocant Pontificii ad Tit. III, 10. & 2 Cor. VI, 12. 15.

In republica omnino plures tolerari poſſunt religiones, 1 Cor. XI, 19. dummodo non alii per eas a via recta abducuntur & tranquillitas publica turbatur. Verba: ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, Luc. XIV, 23. non armatam manum aut vim externam indicant. Magiſtratus hæreticis etiam datam fidem ſervare debet, Joſ. IX, 19. Ezech. XVII, 19. Poſtulat hoc non modo lex Dei, abuſum nominis divini interdicens, Exod. XX, 7. Matth. V, 33. ſed etiam ipſum jus naturæ.

Licet etiam ſummo magiſtratui *fœdera* cum heterodoxis & incredulis principibus & populis inire, ſi ad mutuam defenſionem mutuumque commodum ſpectant. Hujus generis fuerunt fœdus Abrahami cum Amoræis, Gen. XIV, 13. fœdus Salomonis cum rege Tyrio-

 rum,

rum, 1 Reg. V, 2 sq. c. X, 22. 2 Chron. VIII, 18. fœdus Maccabæorum principum cum Romanis, Syris aliisque populis ethnicis. Improbantur quidem regum Assæ & Josaphati fœdera cum regibus Syriæ & Samariæ inita, 2 Chron. XVI, 7. c. XIX, 2. at non per se, sed quia dicti reges fœdera ista partim ex defectu fiduciæ in Deum, partim in auxilium impii Ahabi inierant.

Ab omni fœdifragio se abstinere debet princeps & qui summam imperii tenet, quia Deus semper in populo suo crimen hoc graviter punivit, Ezech. XVII, 15-19.

CAPUT VIII.

DE SUBDITIS EORUMQUE OFFICIIS ERGA MAGISTRATUM POLITICUM.

Ad *subditos* referuntur omnes personæ cujuscunque ordinis, sexus & ætatis, quæ in certa regione versantur. Hi omnes subjecti sunt principi & magistratui illi, qui summam rerum in illa administrat. Nec clerici excipiendi sunt, nec peregrini, quamdiu in certi principis & magistratus territorio commorantur. Est quidem differentia inter subditos, quia nonnulli ex iis simul magistratus inferiores sunt. Sed respectu summe imperantium isti æquæ subditi sunt ac alii. Paulus enim dixit:

πᾶσα ψυχὴ, h. e. *omnis persona subjecta sit magistratui*, Rom. XIII, 1.

Subditi *officia* sua præstare debent propter *Dominum*, qui magistratum instituit, 1 Petr. II, 13. & propter *conscientiam*, in qua quisque se obligatum judicat ad obediendum ei, Rom. XIII, 5.

Postulant hæc officia 1) *honorem* & *timorem*, Rom. XIII, 7. 1 Petr. II, 17. quapropter etiam principis vitia personalia non dijudicare & sic ejus honori aliquid detrahere debemus; 2) *tributa* & *vectigalia*, Rom. XIII, 6. 7. Matth. XXII, 21. 1 Sam. VIII, 11-17. quæ magistratui non deneganda sunt, etsi enormia & injusta sint; 3) *preces*, 1 Tim. II, 1-3. quæ igitur non contra magistratum, sed pro eo fundi debent; & 4) *obedientiam* & *obsequium*, Tit. III, 1. 1 Petr. II, 13. 14. Rom. XIII, 1. 2. 5. quod tamen non ex coactione & metu pœnæ, sed ex bono animo præstari debet. Requiritur autem non modo *obedientia activa*, qua facimus, quæ præcipit magistratus, sed etiam *obedientia passiva*, qua patienter perferimus durissima fata, quibus nos obnoxios reddit princeps noster.

Neutiquam autem magistratui obedientiam præstare debemus in rebus, quæ verbo Dei repugnant & conscientiam lædunt, Act. IV, 19. Dan. VI, 10 seq. Petrus propterea dixit: *Deo magis obediendum est, quam hominibus*, Act. V, 29. Si vero armata manu nos ad ejusmodi obsequium cogere vellet summus magistratus, pre-

 cibus

cibus aut fuga innoxia uti licet, non vero armis resistere. Et si manibus irati principis non effugere possumus, animam Deo commendare, patienterque omnes adversitates perferre, ipsamque mortem subire, 1 Petr. IV, 19. præstat, quam violento modo se opponere.

LIBER XVII.

DE STATU DOMESTICO.

Status *domesticus* est unus ex *tribus hominum statibus* in hac vita. Prior est *status ecclesiasticus* & alter *status politicus*. De utroque jam in antecedentibus libris egimus. Restat nunc tertius, scilicet *domesticus*, qui *tres* complectitur *societates*, scilicet *conjugalem*, *paternam* & *herilem*, quæ cum arctissime inter se conjunctæ sint, conjunctim etiam pertractabuntur.

CAPUT I.

DE CONJUGIO IN GENERE.

Conjugium est indissolubile fœdus unius maris & unius fœminæ a Deo institutum ad propagandum genus humanum & præstandum sibi invicem mutuum adjutorium.

Conju-

Conjugium non a *communi jugo*, quod mas & fœmina una ſubeunt, ſed a voce *conjungere* nomen habet. Conjunguntur enim in conjugio corpora, mentes & fortunæ.

Alias etiam fœdus hoc *matrimonium* appellatur a fine conjugii, qui eſt procreatio liberorum, per quam mulier *mater* fit. Significat itaque vox hæc quaſi ſtatum maternum.

Conjugium eſt certo modo *ſtatus naturalis*, quia non ſolum omnes homines ad conjugium naturaliter inclinant, ſed iſtud etiam apud omnes barbaras gentes conſuetum eſt.

Quatenus homines conjugium juxta divinam inſtitutionem ineunt, jure meritoque nuncupatur *ordo divinus*.

Hujus reſpectu conjugium *ſtatus ſanctus* dici poteſt, etſi per lapſum primorum conjugum priſtinam ſanctitatem amiſit, ita, ut illud non amplius in caſtitate & timore Dei ad amplificandum regnum divinum ducatur.

Id, quod conjugium maxime jam ſanctificat, eſt *unio fidelium cum Chriſto*, quæ per conjugium adumbratur. Non ſolum prophetæ & apoſtoli, ſed ipſe etiam Deus & Chriſtus multoties unionem fidelium cum Salvatore cum vinculo matrimoniali comparant. Huc ſpectant non ſolum nomina *ſponſus* & *ſponſa*, quibus Chriſtus & ejus fideles ſæpe inſigniuntur, ſed etiam loca biblica, in quibus ſponſaliorum, nuptiarum, amoris maritalis & oſculationis ſpiritualis mentio fit.

Inprimis Paulus egregiam comparationem inter unionem Christi mysticam cum sponsa spirituali & inter matrimonium instituit, Eph. V, 22-33. Juxta hunc locum *maritus* imitari debet exemplum Christi, qui ecclesiam suam amat, ejus curam habet, eam regit, gubernat & protegit, ejusque infirmitates & vitia leviora patienter tolerat; *uxor* vero imitari debet exemplum sponsæ Christi, quæ sponsum toto corde amat, eum honorat, eique obsequium præstat.

Errant circa doctrinam de conjugio 1) in defectu veteres *Encratitæ*, & *Gichteliani*, qui statum conjugalem pro statu per se peccaminoso & impuro habent, & 2) in excessu *Pontificii*, qui matrimonium inter sacramenta numerant, abutentes versione vulgata, ubi Eph. V, 32. vox *μυστήριον* per *sacramentum* transfertur. Apud patres primitivæ ecclesiæ quælibet res sacra, quæ rei sublimioris emblema est, sacramentum vocatur, per quod tamen non talis actio divinitus instituta intelligitur, quæ inter media salutis numeratur. Matrimonium neutiquam ejusmodi sic dictum sacramentum dici potest, quia 1) jam in statu integritatis extitit, 2) promissio gratiæ justificantis ei deficit & 3) non elementum visibile habet.

Errant etiam *Pontificii* circa hanc doctrinam, dum 1) omnibus clericis matrimonium interdicunt, & 2) gradus prohibitos vel nimium extendunt, ut lucri causa majorem dispensandi occa-

occasionem habeant, vel Pontifici Maximo contra leges divinas dispensandi potestatem concedunt.

CAPUT II.
DE
AUTORE ET ORIGINE CONJUGII.

Autor conjugii est ipse *Deus*. Cum enim homines non sicut angelos una omnes creare voluerit, sed, ut successive in mundum venirent, consultius duxerit, dicebat post creationem primi hominis: *Non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adjutorium coram ipso*, Gen. II, 18. Adduxit postea omnia animalia ad Adamum, ut hic sibi ex iis adjutorium eligeret. Cum vero tale quod non invenerit homo, in soporem Deus cadere jussit eum, quo durante de ejus corpore costam sumsit & ex ea mulierem formavit, quam homo simul, ac Deus eam ipsi præsentavit, pro sua conjuge agnovit, dicendo: *hoc os est de ossibus meis & caro de carne mea*, Gen. II, 23. Benedixit postea iis Deus & dixit: *crescite & multiplicamini, replete terram & subjicite vobis eam*, Gen. I, 28. Hæc benedictio statim in effectum transiit, ita, ut non modo concubarent mas & mulier, sed ex utriusque seminis commixtione etiam infantes in utero materno formati sint. Hac ratione genus humanum usque ad hunc diem propagatur.

Jure meritoque hinc conjugium *fœdus s. pactum divinum* dicitur, Prov. II, 17. Mal. II, 14. quia

quia Deus ipse ejus auctor est, cum non modo primam mulierem in adjutorium primi maris creaverit, sed etiam utrique instinctum concubandi indiderit, eos arctissime inter se copulaverit & virtute se ipsos propagandi donaverit. Recte ideo Christus scripsit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. XIX, 6. Quæ verba Paulus repetit, 1 Cor. VII, 10.

Ut vero homines conjugium in certo ordine ducant, Deus leges matrimoniales promulgavit, quibus eos de gradibus consanguinitatis & affinitatis, mutuis conjugum officiis, matrimonii impedimentis & adulterio ita erudivit, ut nunc sciant, conjugium esse ordinem divinum, a Deo in suam gloriam & hominum commodum institutum.

Est autem Deus non modo auctor conjugii in genere, sed concurrit etiam in specie in omnibus contrahendis matrimoniis cum singulari sua providentia, Gen. XXIV, 50. Prov. XVIII, 22. c. XIX, 14. Dicere hinc consuevimus; *matrimonia fieri in cœlo.*

Deus igitur conjugium non demum post lapsum instituit, sed jam ante lapsum. Hoc tantum post lapsum accessit, ut mulier marito subjecta sit, Gen. III, 16.

Causa institutionis conjugii non alia fuit, quam generis humani propagatio, conservatio & felicitas.

CAPUT

Caput III.
De Subjecto Conjugii.

Hoc sunt *omnes homines* utriusque sexus, qui ad concubandum idonei sunt & ad debitam ætatem pervenerunt.

Deus enim & natura omnes inter se pares reddidit, non modo quoad membra corporis, sed etiam quoad instinctum ad procreandam sobolem. Totum itaque genus humanum in genere spectatum ad matrimonium obligatum est, etsi obligatio hæc in specie non se in singulos homines diffundat. Interim quilibet jus habet nubendi, si præscriptis legibus matrimonialibus se subjicit & dono continentiæ non præditus est, 1 Cor. VII, 2. 9. Matth. XIX, 11. 12.

Sola *impotentia naturalis ad concubandum*, quæ vel a vitio corporis, vel a singulari naturæ constitutione, vel a nondum impetrata pubertate oritur, marem aut fœminam tamdiu nubere vetat, quamdiu impedimenta hæc nondum cessaverunt.

Sunt, qui *senum conjugia* improbant, quia cum præcipuo matrimonii fine pugnare videntur. At cum non modo multi senes utriusque sexus liberos gignant, sed etiam talia conjugia in Scriptura S. non interdicantur, quia plerumque ad mutuum vitæ adjutorium spectant, ista per se non improbanda sunt.

Omnibus itaque hominibus, ad matrimonium naturaliter habilibus, permissum est nubere, & qui

qui aliter docent, a Paulo inter diabolicos numerantur doctores, 1 Tim. IV, 3.

Huc pertinent *Pontificii*, qui non modo iis, qui cœlibatum eligunt, majorem apud Deum gratiam pollicentur, sed etiam omnibus, qui in statu ecclesiastico vivunt, promiscue matrimonium interdicunt. Malunt concubinatum *clericis* permittere, quam conjugium, utpote quod in iis tanquam crimen capitale puniunt. At pugnat hoc 1) cum jure naturæ, quia clerici ejusdem naturæ sunt, quam cæteri homines, 2) cum Scriptura S. quæ non modo nullibi clericis conjugium interdixit, sed istud iis potius permisit, 1 Cor. IX, 5. 6. & suasit, 1 Tim. III, 2. 4. 12. Tit. I, 6. 1 Cor. VII, 2. 9. 3) cum exemplo sacerdotum V. T. quia omnes uxorati fuerunt, 4) cum praxi primitivæ ecclesiæ, in qua ministri verbi divini plerumque uxores habuerunt, 1 Cor. IX, 5. 6. 5) cum exemplo Petri, qui ipse in matrimonio vixit, Matth. VIII, 14. 1 Cor. IX, 5. & 6) cum bonis moribus, quia ex coacto cœlibatu non modo crimina Sodomitica & alia peccata muta existunt, sed per istum etiam iis, qui dono continentiæ carent, ad scortandum major occasio datur.

Provocant Pontificii ad 1 Cor. VII, 1. 7. 8. 32-40. ubi Paulus christianis *cœlibatum* suadet. Sed facit hoc apostolus respectu calamitatum, quibus tunc temporis christiani sub duris persecutionibus ethnicorum obnoxii erant. Harum

rum causa omnino melius esse judicabat, non nubere, quam nubere, 1 Cor. VII, 26. Interim suadendo cœlibatum, neutiquam dissuasit matrimonium, 1 Cor. VII, 2. 5. 9. quapropter etiam verba sua non vult pro mandato, sed tantum pro consilio haberi, 1 Cor. VII, 6. 7. 35. 38.

Omne *votum cœlibatus* illicitum est, quia nemo novit, num istud servare queat. Nam donum continentiæ non in nostra potestate est. Pertinet igitur istud ad vota temeraria & stulta, quæ Deo displicent, Eccl. V, 3. 4.

CAPUT IV.
DE MATERIA CONJUGII.

Hæc sunt *personæ*, quæ conjugium legitimum constituunt, scilicet *mas* & *fœmina*, quatenus ad fines conjugii obtinendos habiles sunt. Excipiendi igitur sunt impuberes, mente capti, morbo habituali & contagioso laborantes, eunuchi & alii ad coitum impotentes personæ utriusque sexus.

Non autem plures genuinum conjugium constituunt personæ, quam *duæ*, scilicet *unus mas* & *una fœmina*. Cum enim Deus institueret conjugium, unicam tantum de utroque sexu personam in unam carnem conjunxit, Gen. II, 22-24. Hac de causa etiam Christus ad hunc locum provocat, quando de omni divortio conjuges dissuadet. Ita enim dicit: *Nonne legistis,*

gistis, creatorem ab initio fecisse marem & fœminam & dixisse: propterea derelinquet homo patrem & matrem & agglutinabitur uxori suæ & erunt illi duo in unam carnem, Matth. XIX, 4. 5.

Huc spectant etiam verba Pauli, ita scribentis: *Ad vitandas scortationes quisque suam habeat uxorem, & quæque suum maritum*, 1 Cor. VII, 2.

Ex hisce locis patet, omnem *polygamiam* improbandam esse. Intelligimus autem hic *simultaneam*, quæ a *successiva* distinguenda est. Illa est, quando aliquis plures uxores simul habet, hæc vero, quando vir defuncta sua uxore aliam ducit, aut mulier defuncto marito alteri nubit, 1 Tim. V, 14. *Polygamia successiva* nullibi interdicitur. Errant hinc, qui in ecclesiæ ministris eam improbant.

Sunt autem personæ, quæ connubio junguntur, quasi *partes essentiales fœderis conjugalis*, ita, ut cessante una totum fœdus cesset & tollatur. Omnes igitur causæ, quæ conjuges a se invicem disjungunt, e. g. *adulterium malitiosa desertio* & *obitus*, fœdus conjugale tollunt.

Ad has autem causas non referuntur discrepantia religionis, discordia, morbus, defectus harmoniæ animorum & vitia vitæ corporisque, etsi hæc omnia plerumque vitam conjugalem valde molestam reddant.

Quod ad *discrepantiam religionis* attinet, improbatur quidem conjugium cum persona alius religionis, aut quæ de natione prorsus incredula est, Deut. VII, 3. non tamen propterea

istud

iſtud diſſolvitur, ſi ſemel conſummatum eſt, 1 Cor. VII, 12-14.

In eccleſia chriſtiana matrimonium cum perſona incredula, quæ vel Judaiſmo, vel Muhamediſmo vel ethniciſmo dedita eſt, plane non permittitur, cum perſona vero alius chriſtianæ ſectæ toleratur quidem, ſed non approbatur.

CAPUT V.

DE POLYGAMIA ET CONCUBINATU.

P*olygamia illicita* alias etiam *ſimultanea* appellatur. Non convenit cum inſtitutione matrimonii divina, Gen. II, 18. Matth. XIX, 4. *Duo* enim *erunt una caro*, dixit Deus & Chriſtus, Gen. II, 24. Matth. XIX, 5.

Deus in patriarchis & regibus Iſraeliticis polygamiam quidem ex certis cauſis toleravit, nunquam vero approbavit. Locus 2 Sam. XII, 8. nil aliud indicat, quam quod Deus Davidi totam Sauli familiam, adeoque etiam ejus uxores in manus dederit, ita, ut ab ejus gratia dependerent. Inceſtum commiſiſſet David, ſi nupſerit Sauli uxores, cum ejus filiam jam in matrimonio habuerit. Nullibi etiam legitur, Davidem cum iis concubuiſſe.

Cæterum ſi quoque permiſſum fuiſſet in V. T. duas, tres vel plures ducere uxores, ſatis ſuperque tamen in N. T. a Chriſto interdicta eſt omnis polygamia ſimultanea, Matth. XIX, 9.

Luc. XVI, 18. Patet enim ex Matth. XIX, 9. & Luc. XVI, 18. quod, si illicitum fuerit, dissoluto per injustum divortium conjugio, aliam ducere uxorem, multo minus licitum sit, stante matrimonio aliam ducere. Confirmat hoc Paulus 1 Cor. VII, 2. & tota christiana ecclesia, quæ per omnia secula non modo polygamiam damnavit, sed etiam eos, qui duplex matrimonium iniverunt, pœna capitali dignos judicavit.

Polygamia per se ita comparata est, ut non modo cum mortificatione carnis, a Christo nobis injuncta, & cum typo connubii mystici pugnet, sed etiam scopo matrimonii contraria sit. Turbat enim educationem liberorum mutuumque adjutorium, libidinem vero magis auget, quam extinguit.

Πολυανδρία, quando mulier duos vel plures maritos habet, ne quidem inter barbarissimas gentes consueta est.

Concubinatus est viri alicujus cum fœmina innupta ad certum tempus conjunctio, quam libere iterum dimittere potest, si libidini cum ea satis indulsit. CHRISTIANUS THOMASIUS, JCtus Hallensis, defendit ejusmodi concubinatum, voluitque probare, istum apud veteres Hebræos in usu fuisse. Cum civilibus nostris legibus eum quidem pugnare concedit, non vero cum divinis.

Verum pugnat concubinatus omnino cum legibus divinis. Vult enim Deus, ut conjun-

ctio

ctio unius viri & unius mulieris indissolubilis sit usque ad mortem & quidem ad procreandam sobolem, non vero ad indulgendum libidini. Interdicit etiam Paulus, *vivere ἐν κοίταις* h. e. *in concubitibus*, Rom. XIII, 13. Ad exempla patriarcharum non licet hic provocare. Deus in iis varia toleravit, quæ non approbavit. Neutiquam quoque Abrahamus & Jacobus cum ancillis uxorum suarum ad indulgendum libidini, sed ad procreandam sobolem cum consensu uxorum concubuerunt. Erant etiam istæ ancillæ certo modo pro veris conjugibus habendæ, Gen. XXXI, 17. cap. XXXV, 22. c. XLIX, 4.

CAPUT VI.
DE
GRADIBUS PROHIBITIS CONJUGII.

Ne homines promiscue se matrimonio conjungant, sed aliquem respectum personalem in eodem contrahendo observent, Deus per certas leges sapienter prohibuit, ne *carnem carnis* h. e. personam carne propinquam secum conjugio jungant, Luc. XVIII, 6. Crimen inde existens dicitur *incestus*.

Leges Dei matrimoniales de gradibus prohibitis Lev. XVIII, 7-18. c. XX, 11. 12. 14. 17. 19-21. sunt leges universales, quæ non modo tanquam leges forenses populum Israeliticum, sed etiam ceu leges morales omnes homines

obligant, ut ex Lev. XVIII, 24 - 28. probari poteſt. Male hinc agunt *Pontificii*, Pontifici M. in omnibus caſibus matrimonialibus jus diſpenſandi concedentes.

Pugnat quaſi cum naturali pudore & honeſtate, cum ejusmodi perſonis matrimonium inire, quas parentum loco honorare debemus. Accedit, quod magna in familiis & hæreditatibus oriretur confuſio, ſi in contrahendis conjugiis reſpectus propinquitatis non locum haberet.

Duplex datur *propinquitas carnis*, nempe *conſanguinitas* & *affinitas*.

Conſanguinitas eſt propinquitas perſonarum, quæ ex generatione, & *affinitas* propinquitas, quæ ex matrimoniis oritur.

Utramque ut eo clarius monſtrent doctores juris canonici, finxerunt *arborem conſanguinitatis*, qui ex ſtirpe & ramis conſtat. *Stirpem* tanquam lineam rectam repræſentant, a cujus latere *rami* tanquam collaterales lineæ conſiderantur. Hac ratione diverſos propinquitatis gradus pro diverſitate linearum computare ſolent.

Ad *lineam rectam* numerantur perſonæ, quarum una ab altera deſcendit, ad *collateralem* vero eæ, quarum neutra ab altera, ſed utraque a tertia perſona, in linea recta deſcendit.

Linea collateralis iterum in æqualem & inæqualem dividitur. *Linea collateralis æqualis* datur inter cognatas perſonas æqualiter a communi

muni ſtirpe diſtantes, & *inæqualis*, inter perſonas cognatas, quarum una propius, altera vero remotius a ſtirpe communi diſtat.

Ut *gradus conſanguinitatis prohibitos* indicemus, ſciendum eſt, omnes nuptias non modo in linea recta tam adſcendente quam deſcendente lege divina eaque morali ſimpliciter prohibitas eſſe, Lev. XVIII, 7. 8. 10. 11. c. XX, 11. ſed etiam eas, quæ in linea collaterali æquali quoad gradum primum, Lev. XVIII, 9. c. XX, 17. & in linea collaterali inæquali quoad gradum ſecundum, Lev. XVIII, 12. 13. c. XX, 19. celebrantur.

Dantur etiam gradus conſanguinitatis, qui non lege divina, ſed eccleſiaſtica prohibiti ſunt, quales ſunt matrimonia in linea collaterali æquali in ſecundo gradu, & in linea collaterali inæquali in gradu tertio & quarto. Horum reſpectu magiſtratus jus diſpenſandi habet.

Gradus prohibiti affinitatis pari ratione ſecundum lineas & gradus conſanguinitatis æſtimantur & computantur, ita, ut, in quoto gradu & in qua linea conſanguinitatis perſona, per quam intercedente conjugio affinitas contrahitur, conſanguineis ſuis conjuncta eſt, in eodem gradu & linea iidem conſanguinei alteri perſonæ, cui illa matrimonio juncta eſt, affines ſint. Inde ſequitur, omnia conjugia in linea recta affinitatis Lev. XVIII, 8. 15. 17. c. XX, 11. 12. 1 Cor. V, 1. nec non in linea collaterali æquali in primo gradu, Lev. XVIII, 16.

 c. XX,

c. XX, 21. & in linea collaterali inæquali in gradu secundo Luc. XVIII, 14. c. XX, 20. lege divina prohibita esse.

Inter conjugia, in gradibus prohibitis inita, hæc datur differentia, ut quædam omnino dissolvenda sint, quædam vero, inflicta pœna arbitraria, tolerari queant. Ad priora referuntur ea, quibus Deus capitis supplicium expresse dictitavit. Talia sunt matrimonia consanguineorum & affinium in linea recta, & consanguineorum in gradu primo lineæ collateralis. Tam turpia & abominanda ea sunt, ut nullibi gentium tolerentur.

CAPUT VII.

DE FORMA CONJUGII.

Hæc consistit in dispensatorum mutuo consensu de officiis matrimonialibus sibi invicem usque ad mortem præstandis.

Quatenus itaque mas & fœmina consensu mutuo se ad individuam vitæ consuetudinem officiaque mutuæ præstanda usque ad mortem obstringunt, eatenus contrahunt conjugium. Dici hinc solet; *consensus facit matrimonium.*

Debent autem tales personæ, quæ matrimonio se jungere volunt, sui juris esse, alias mutuus eorum consensus non valorem suum habere potest.

Personæ, quæ adhuc sub patria potestate, aut sub tutela curatoris vivunt, sine consensu parentum

rentum aut curatoris non sponsalia, valorem habentia, celebrare queunt. Dirumpi ista potius solent a senatu ecclesiastico, si parentes aut curatores justas causas habent, cur consensum suum recusent.

Consensus parentum in contrahendo matrimonio non modo de honestate, sed etiam de necessitate est. Probatur hoc, quia 1) parentes loco Dei sunt, 2) liberi hæredes parentum sunt, 3) parentibus in omnibus rebus, quæ non cum lege Dei pugnant, obediendum est, Col. III, 20, 4) parentes melius quam liberi cognoscunt, quod iis conducit, 5) parentibus incumbit, liberos suos elocare, Deut. VII, 3. Jer. XXIX, 6, 1 Cor. VII, 36-38. & 6) potestati parentum relinquitur, an rata habere velint conjugia filiarum, Exod. XXII, 17. Deut. XXII, 19. Num. XXX, 4-6, Gen. XXIX, 19-28. c. XXXIV, 11. 12.

Liberi, qui non amplius sub patria potestate vivunt & sui juris sunt, e. g. filii, qui officio publico funguntur, possunt quidem sine consensu parentum legitimum matrimonium inire; at respectus tamen erga parentes nihilominus iis suadet, non sine præscitu parentum istud contrahere.

Omnes *filiæ* sunt sub parentum potestate, quamdiu nondum nupserunt.

Nonnulli ad formam & substantiam conjugii etiam *benedictionem sacerdotalem* & *conjugalem carnalem* referunt. At proprie non ad formam,

 sed

fed ad confummationem & confirmationem conjugii pertinent.

Benedictio facerdotalis non quidem ad matrimonium abfolute neceffaria eft, fed tantum quatenus legis ecclefiafticæ eft. Non itaque conjugium in ecclefia pro confummato habetur, priusquam benedictione facerdotali confirmatum eft.

Eft autem benedictio facerdotalis ab ecclefia chriftiana graviffimis de caufis inftituta. Harum præcipuæ funt 1) ut de legitima novorum conjugum conjunctione inter omnes conftet, quia in contrahendis matrimoniis contra leges divinas & humanas facile peccari poteft; 2) ut eo magis omnia decenter & κατα τάξιν fiant, 1 Cor. XIV, 40. quia conjugium fœdus divinum eft; 3) ut novi conjuges de conjugio ejusque fanctitate & indiffolubilitate, item de divina benedictione & officiis conjugalibus, nec non de moleftiarum toleratione moneantur, quia ftatus conjugalis per fe quidem honorabilis eft, Hebr. XIII, 4. at multa tamen officia requirit, variisque afflictionibus obnoxius eft, 1 Cor. VII, 28. & 4) ut ipfi novi conjuges Deo per preces commendentur, quia omnis creatura per verbum Dei & preces fanctificari folet, 1 Tim. IV, 5.

Copula carnalis confequens & effectus conjugii eft, neutiquam vero ad formalem rationem ejus pertinet, quia vinculum conjugale etiam ceffante copula carnali perdurat.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE VINCULO CONJUGALI.

Quia *conjugium* ejusmodi fœdus est, quod tamdiu durare debet, quamdiu ambo conjuges vivunt, & quod ne quidem ipsi conjuges rescindere, & abolere possunt, jure meritoque conjugio tribuitur ejusmodi *vinculum*, quod *indissolubile* est.

Indissolubile omnino dicendum est *conjugium* tam respectu suæ naturæ, quam respectu suæ institutionis.

Respectu suæ *naturæ* conjugium indissolubile est, quia contrahitur per consensum de perpetuo & per totam vitam continuando vitæ consortio, non nisi per mortem solvendo. Hoc cum ad essentiam conjugii pertineat, nec dissolvi istud potest.

Respectu institutionis divinæ haud minus indissolubile vocari debet, quia Deus, cum conjugium instituisset, expresse dixit: *Propterea deseret vir patrem suum & matrem suam & adhærebit uxori suæ*, Gen. II, 24. Septuaginta interpretes & cum iis Christus, Matth. XIX, 5. & Marc. X, 7. ultimam vocem verterunt: προσκολληθήσεται, h. e. *glutino quasi conjunctus erit.* Hinc recte Christus addidit verba hæc: *quod igitur Deus conjunxit, homo ne separet*, Matth. XIX, 6. Hoc testatur etiam Paulus dicendo: *si alligatus es uxori, ne quære divortium*, 1 Cor. VII, 27.

 Inter-

Interim omnino legitimæ *divortii causæ* dantur, inter quas *scortatio* & *malitiosa desertio* præcipuæ sunt. Utramque indicat Christus ita dicens: *Quicunque repudiat uxorem nisi ob stuprum, & aliam ducit, committit adulterium,* Matth. XIX, 9. c. V, 32. Duæ in hoc loco occurrunt propositiones. Una est: *Qui repudiat uxorem non adulterantem & ducit aliam, adulterium committit;* & altera; *Qui repudiat uxorem adulterantem & ducit aliam, non adulterium committit.* Inde sequitur, repudiationem malitiosamque desertionem conjugis non scortantis justam divortii causam esse æque ac ipsam conjugis scortationem. Hoc indicat etiam Paulus dicendo; *si infidelis discedit:* h. e. divortium cum conjuge fideli facit, *discedat: non est servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi casu,* ut scilicet ei non liceat aliud matrimonium inire, cum liber aut libera sit a vinculo conjugali cum desertore aut desertrice, 1 Cor. VII, 15.

Constans & pertinax *debiti conjugalis denegatio* causa divortii adulterio æquipollens est, 1 Cor. VII, 3-5.

Quando personæ illegitime conjunctæ separantur, quales sunt e. g. in nimia propinquitate carnis versantes, aut quæ jam cum alia persona conjugium contraxerunt, aut quæ ad congressum matrimonialem inhabiles sunt &c. non proprie *divortium* nuncupari potest, sed potius publica declaratio, quod in conjunctione harum

rum personarum non fuerit vinculum conjugale.

Pari modo etiam non *divortium* nominare debemus illam separationem conjugum, quæ certis de caussis *quoad thorum & mensam* fit. Est enim hoc nil aliud quam suspensio actuum cohabitationis & officii matrimonialis.

Per se igitur vinculum conjugale indissolubile est usque ad mortem unius vel alterius conjugis, Rom. VII, 2. 3. 1 Cor. VII, 39. Soluto autem hoc vinculo per mortem personæ viduatæ licitum est, novum inire conjugium, 1 Tim. V, 14. 1 Cor. VII, 39. Ezech. XLIV, 22. Dicitur hoc *polygamia successiva*, quæ nullibi in sacris literis interdicta, sed multis exemplis probata est. Nec locus 1 Tim. III, 2. huc quadrat, si eum cum loco Tit. I, 6. conferimus.

CAPUT IX.

DE FINE CONJUGII.

Finis conjugii *primarius* est *procreatio sobolis.* Voluit Deus per hoc fœdus genus humanum propagare. Benedixit propterea primis conjugibus, dicendo: *crescite & multiplicamini, impleteque terram*, Gen. I, 28.

Quæritur hinc: *num liceat matrimonium inire cum conditione, ne jungantur corpora?* Jure meritoque hoc improbatur, quia talis conditio cum fine conjugii primario pugnat, qui est procreatio sobolis. Quomodo quæso conjuges *una caro*

caro vocari queant, Gen. II, 24. si sibi invicem non τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν h. e. *debitum conjugale*, 1 Cor. VII, 3. præstare velint? Habet etiam nec maritus, nec uxor in suum proprium corpus potestatem, sed conjux ejus, 1 Cor. VII, 4. Accedit, quod tali modo Satanæ locus detur tentandi conjuges propter incontinentiam, eosque ad scortationem instigandi, 1 Cor. VII, 5.

Finis conjugii *secundarius* est *mutuum adjutorium*. Indicat hoc Deus dicendo: *non bonum est, hominem esse solum, faciamus ei* עזר כנגדו, h. e. *adjutorium, quod sit coram ipso*, Gen. II, 18. Debent igitur conjuges se invicem ut suam propriam carnem curare, Eph. V, 28. 29. seque mutuo adjuvare, 1 Cor. VII, 3. tam in re domestica, quam in educatione liberorum, Eph. VI, 1. 2.

Finis conjugii *intermedius* est *restinctio libidinis*. Hac de causa Paulus conjugium tanquam remedium libidinis omnibus, qui non donum continentiæ habent, commendat, 1 Cor. VII, 2. 9. improbatque ob eandem causam conjugum separationem, v. 5.

Vocatur hic finis *accessorius*, quia in statu naturali ante lapsum non locum habuit, sed tunc demum accessit, cum pravæ libidines hominum corda pervaserint. Interim Deus istum pro præsenti statu hominum omnino etiam intendit.

Homi-

Homines non raro alios quoque fines habent in contrahendis matrimoniis, e. g. divitias, aut honores consequendi. Sed non sunt ejusmodi fines voluntati divinæ consentanei, si nubentium personarum intentio primaria in eos directa est, & hac ratione timor Dei respectusque finium conjugii primariorum negligitur & contemnitur.

CAPUT X.

DE OFFICIIS CONJUGUM.

Hæc sunt vel *communia* vel *singularia*. *Communia* conjugum *officia* spectant partim ad se ipsos, partim ad eorum liberos.

Quæ *ad se ipsos* spectant officia conjugum communia, versantur circa eorum animos, corpora & facultates.

Maritus & *uxor* se invicem *mutuo amore* amplecti debent, 1 Cor. VII, 3. quia quasi communem carnem habent, Matth. XIX, 5. 6. Gen. II, 24. nemo autem propriam carnem odit, Eph. V, 29. Ex hoc amore fluit studium, se alteri gratum acceptumque reddendi, 1 Cor. VI, 33. 34. sibi invicem officia humanitatis præstandi, alterius debilitates & nævos patienter ferendi & denique alterius salutem tam temporalem, quam æternam quovis modo promovendi.

Respectu corporum ad communia conjugum officia pertinet mutuum concubium, 1 Cor. VII, 3-5.

VII, 3-5. quod tamen non immodicum esse debet, sed ita comparatum, ut hortatio Pauli 1 Thess. IV, 4. 5. locum habeat.

Communia conjugum officia versantur etiam circa *facultates*, quas in communione curare, usurpare & tueri, iisque sibi invicem prospicere debent, Eph. V, 29.

Respectu liberorum communia conjugum officia postulant, ut in disciplina & admonitione Domini illos enutriant, Eph. VI, 4. iisque provideant, 1 Tim. V, 8.

Dantur etiam *singularia conjugum officia*, quæ partim soli marito, partim soli uxori incumbunt.

Marito specialiter incumbit, uxorem suam, tanquam ejus caput, Eph. V, 23. regere & protegere, eique non modo necessaria hujus vitæ suppeditare tanquam suo corpori, Eph. V, 29. sed etiam tanquam vasi infirmiori honorem tribuere, cumque ea κατὰ γνῶσιν h. e. *cum affectu amoris*, cohabitare, nec adversus illam amarulentum esse, Col. III, 19. sed potius cum ea blande conversari.

Uxoris vero est, maritum honorare, quemadmodum Sara fecit, quæ Abrahamum dominum suum appellavit, 1 Petr. III, 6. Uxori etiam incumbit, marito subjectam se præbere, Eph. V, 22. 24. Col. III, 18. 1 Petr. III, 5. eique obedire, 1 Petr. III, 6. nec non rei familiaris curam habere, Prov. XXXI, 10-31.

Uxor

Uxor ſine dubio etiam in ſtatu integritatis marito ſubjecta fuit, 1 Cor XI, 7-9. 1 Tim. II, 13. 14. At ſubjectio hæc tantum ſpontanea fuit, nec oneroſa, nec cum aliqua difficultate conjuncta.

CAPUT XI.

DE STATU PATERNO.

Status paternus cum ſtatu conjugali conjunctus eſt. Cum enim in conjugio liberi gignantur, qui enutriri & educari debent, ortus inde eſt *ſtatus paternus.*

In hunc ſtatum ingrediuntur conjuges, dum liberos generant, quorum reſpectu nomen *parentum* accipiunt.

Deus auctor eſt ſtatus paterni, quia non modo ſtatum conjugalem ea de cauſa inſtituit, ut liberi gignantur & in ejus honorem educentur, ſed impreſſit etiam parentibus & liberis mutuam propenſionem erga ſe invicem, præſcripſitque utriusque leges, Exod. XX, 12. Eph. VI, 1-4. Col. III, 20. 21. nec non ſtatui paterno benedixit, Exod. XX, 12. Eph. VI, 2.

Pertinent ad ſtatum paternum *parentes* & *liberi.*

Parentes vocantur non ſolum *pater* & *mater*, a quibus liberi generantur, ſed etiam *avus* & *avia.* Huc referuntur etiam *vitricus* & *noverca*, quatenus privigni adhuc ſub eorum poteſtate verſantur, imo etiam *tutores* & *curatores*, qui loco

loco parentum pro educatione & salute liberorum curare debent.

Liberi dicuntur omnes de utroque sexu, qui vel de parentum sanguine descendunt, vel sub clientela eorum, qui loco parentum sunt, enutriuntur & educantur.

Parentes & *liberi*, conjunctim considerati, constituunt *societatem*, cujus vinculum mutua relatio inter utrosque est, quatenus sibi invicem debita officia præstant.

Hæc societas tamdiu durat, quamdiu parentes & liberi in communione vivunt & liberi non propriam œconomiam habent, quæ tamen non respectum parentalem tollit, qui nunquam cessat, nisi parentes diem supremum obierint.

Status paternus diversa *officia* requirit. Quædam spectant ad parentes, quædam ad liberos.

Officia parentum consistunt in suppeditando liberis victu & amictu necessario, 1 Tim. V, 8. Matth. VII, 9-11. nec non in cura, ut in omni pietate, Eph. VI, 4. & in bonis artibus scientiisque cum debita moderatione Col. III, 21. erudiantur, Prov. XXIX, 17. Sir. VII, 25. 26. c. XXX, 1-13. atque adeo eorum salus temporalis & æterna promoveatur.

Officia liberorum consistunt in amore, honore & obsequio, parentibus præstando, Exod. XX, 12. Eph. VI, 1. 2. 3. Col. III, 20. Sir. III, 1-13. Debent etiam parentes suos in senectute & pauperta-

pertate alere, eorumque nævos æquo animo ferre, 1 Tim. V, 4. Sir. III, 14-18.

Plura pertinent ad Theologiam Moralem.

CAPUT XII.

DE STATU HERILI.

Tertia societas, quæ ad statum domesticum, in genere consideratum, pertinet, est *status herilis*, qui ex mutua relatione & obligatione herorum & servorum servarumque constat.

Habet *Deum* auctorem, qui Deus ordinis est & hinc etiam ab initio homines sibi invicem subordinatos esse voluit, non quidem tam onerofo & molesto modo, sicut hodie, sed instar angelorum, qui certos quoque inter se ordines habent, uti suo loco ostendimus.

Per lapsum Adami vero in tantam ferociam delapsi sunt homines, ut nisi Deus per certas leges statum subordinationis certis cancellis circumscripserit, indomita cupido dominandi totum mundi statum subvertisset.

Instituit hac de causa Deus non modo *magistratum politicum* respectu totarum gentium, regionum & civitatum, sed etiam *statum herilem* respectu singularum familiarum & domuum.

De magistratu politico supra jam dictum est. Hic tantum *de statu herili* agimus & de officiis in eo præstandis.

Salus publica requirit differentiam conditionis hominum. Non solum divites & paupe-

res, ſed etiam nobiles & ignobiles inter ſe habitare debent. Poſteriorum eſt, prioribus ſervire & miniſtrare. Inde ortus eſt ſtatus herilis.

Heri & *heræ*, aut *domini* & *dominæ* dicuntur omnes, qui homines inferioris ſortis & conditionis vel ad præſtanda ſibi ſervitia vel ad gerendas ſuas res domeſticas ſub ſuo dominio habent.

Servi & *ſervæ* vero, ſ. *famuli* & *ancillæ* ſunt ii homines, qui ſub dominio eorum verſantur, quos vel ex neceſſitate ſui exilis ortus & vitæ generis, vel ex obligatione pacti pro ſuis dominis & heris aut ſuis dominabus tamdiu agnoſcere debent, quamdiu ſtatus ſuæ ſervitutis durat.

Utrisque Deus certa *officia* impoſuit.

Herorum & *dominorum*, nec non *herarum* & *dominarum* officia erga ſervos & ancillas conſiſtunt in æqua laborum impoſitione, Exod. XX, 10. Deut. V, 14. Col. IV, 1. neceſſariorum hujus vitæ ſuppeditatione, mercedis promiſſæ ſolutione, Matth. X, 10. Deut. XXIV, 14. 15. Jac. V, 14. & denique in prudenti & moderata, eorum directione & caſtigatione, Eph. VI, 9.

Servorum ſervarumque vero officia conſiſtunt in honore, obſequio & fide præſtanda, Eph. VI, 5. 6. 7. Col. III, 22. 23. Tit. II, 9. 10. & quidem non modo bonis & æquis, ſed etiam pravis & auſteris dominis & dominabus, 1 Petr. II, 18.

LIBER

LIBER XVIII.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM ET JUDICIO EXTREMO.

Solent Theologi plerumque omnes doctrinas, quæ de mundi & hominum rebus ultimis agunt, sub uno *Articulo s. Loco* comprehendere, quem *de Novissimis* inscribunt. Ad eas referunt doctrinam *de resurrectione mortuorum*, & quæ *de die* & *judicio extremo*, de *interitu mundi* & de *beatitudine damnationeque æterna* in ecclesia christiana docentur. Nos doctrinas has in *tres libros* dividemus, quorum *primus* in duabus sectionibus *de Resurrectione mortuorum* & *Judicio extremo*, *interituque mundi*, *alter liber de Beatitudine æterna & tertius de Damnatione æterna* aget.

Liber hic itaque aget *de Resurrectione mortuorum* & *extremo judicicio in duabus sectionibus.*

* *

SECTIO I.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

CAPUT I.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM IN GENERE.

Doctrina hæc ad præcipuos *fidei articulos* pertinet. Si enim non detur resurrectio mortuorum, fides quoque nostra inanis & vana foret, 1 Cor. XV, 13 - 19. Vita nostra enim hic in Christo occulta est, tunc autem, quando Christus die extremo apparebit, ea etiam cum ipso manifestabitur & glorificabitur, Col. III, 3. 4.

Resurrectio mortuorum maximum nobis dat *solatium* in omnibus calamitatibus & ærumnis, imo in ipsa morte, Rom. VIII, 36. 37. 1 Cor. XV, 30 - 32. 1 Thess. IV, 18. Act. XXIV, 15. 2 Macc. VII, 14.

Hanc qui negat, non inter christianos numerari potest, 1 Cor. XV, 16. 17.

Dantur autem multi in ecclesia homines, qui hanc veritatem in dubium vocant, etsi non aperte eam negent. Et de his non mirum est, si suis cupiditatibus carnis per totam vitam indulgent. Dicunt enim quasi in corde suo cum incre-

incredulo illo rege: *ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.*

Ejusmodi exempla adducunt Jesaias c. XXII, 13. 1 Cor. XV, 32. Lucas, Act. XVII, 18. 32. Petrus 2 Petr. III, 3. 4. & auctor libri Sapientiæ c. II, 1-9. Transcendit quidem resurrectio mortuorum omnem humanum intellectum, nec rationi nostræ consentaneum est, credere, quod putrefacta corpora ex cinere iterum perfecte restituenda forent. At debemus hic, uti in aliis fidei mysteriis, πᾶν νόημα h. e. omnem nostrum intellectum, sensum, cogitationem & ratiocinium captivum ducere sub obedientiam Christi, 2 Cor. X, 5.

Maximi hujus doctrinæ hostes fuerunt olim *Sadducæi*, Matth. XXII, 23. & veteres *Bardesiani*, item *Hymenæus* & *Philetus*, 2 Tim. II, 17. 18. qui omnes resurrectionem mortuorum prorsus negarunt. Inter eos etiam numerari merentur *Sociniani*, qui non modo resurrectionem infidelium negant, sed etiam perhibent, fideles in resurrectione a Deo alia accepturos esse corpora, quod olim etiam *Valentiniani* docuerunt.

In *Scriptura S.* hæc gravissima veritas satis superque fundata est. Non modo ex literis sacris N. T. probari potest, sed etiam ex literis sacris V. T. e. g. ex Dan. XII, 20. Ps. XC. 3. Hiob XIX, 25. Jes. XXVI, 19. Addi potest locus Luc. XX, 37. 38. ubi Christus resurrectionem mortuorum ex Exod. III, 6. probat.

Occurrunt in Scriptura S. jam varia *exempla defunctorum*, qui ex morte in hanc vitam reducti sunt. Octo eorum numerantur, nempe *filius viduæ in Zarpath*, 1 Reg. XVII, 22. *filius Sunemiticus*, 2 Reg. II, 33. *vir in sepulchro Elisæi sepultus*, 2 Reg. XIII, 21. *puella Jairi*, Matth. IX, 25. Marc. V, 42. Luc. VIII, 54. 55. *juvenis Naimiticus*, Luc. VII, 14. 15. *Lazarus*, Joh. XI, 43. 44. *Tabea*, Act. IX, 40. 41. & *Eutychus*, Act. XX, 9-12. Huc pertinent etiam ii, qui cum Christo resurrexerunt & corpora glorificata acceperunt, Matth. XXVII, 52. 53. Egregie etiam resurrectionem mortuorum illustrat *visio Ezechielis* c. XXXVII, 1-10.

Non igitur sufficit, ut credamus, animam hominis superstitem manere post mortem, eamque aliquando mercedem operum accepturam esse. Sed credi quoque debet, corpus ex cineribus restitutum iri. Nam non sola hominis anima peccavit, sed simul corpus ejus, quatenus cum anima conjunctum est. Hinc etiam non sola anima ad æternos cruciatus damnari, aut in vitam æternam recipi potest excluso corpore, quia sine eo in hac vita per se nec bene, nec male aliquid agere potuit, uti suo loco pluribus ostendimus.

Datur autem *triplex resurrectio*: 1) *naturalis* ex lecto & somno, 2) *spiritualis* ex peccatis, Rom. VI, 4-6. c. XIII, 11. Eph. II, 5. 6. c. V, 14. Col. II, 12. & 3) *corporalis* ex morte, quæ hujus loci est.

Syno-

Synonyma resurrectionis mortuorum sunt *redemtio corporis*, Rom. VIII, 23. & *ἀποκατάστασις τῶν πάντων* s. *restitutio omnium*, Act. III, 21. Aliqui huc etiam referunt *παλιγγενεσίαν* s. *regenerationem*, Matth. XIX, 28. Vide Wandelinum *in Exposit. Theol. p. 364.*

Resurrectio prima Apoc. XX, 5. 6. vel per spiritualem vel metaphoricam resurrectionem interpretanda est.

CAPUT II.
DE
AUCTORE RESURRECTIONIS MORTUORUM.

Cum nemo vitam sibi dare queat, nemo etiam propriis viribus ex morte resurgere potest. Qui homines mori jubet, is quoque ex morte homines resuscitat, Ps. XC, 3. Hic non alius est, quam *Deus*, auctor & fons omnis vitæ, Act. XVII, 25. Jure meritoque hinc causa efficiens principalis omnis resurrectionis mortuorum dicendus est, 1 Sam. II, 6. Ps. XC, 3. Aperit enim tumulos, Ezech. XXXVII, 12. redimit a morte, Hos. XIII, 14. vivificat mortuos, Rom. IV, 17. & suscitat defunctos, 2 Cor. I, 9.

Est *resuscitatio mortuorum* opus divinum ad extra transiens. Hinc unicuique Deitatis personæ adscribitur.

Pater non modo Filium suum resuscitasse, Rom. VI, 4. c. VIII, 11. Hebr. XIII, 20. sed etiam omnes fideles, 2 Cor. IV, 14. imo omnes homines, Joh. V, 21. aliquando resuscitaturus esse dicitur, quod etiam de *Spiritu S.* Rom. VIII, 11. docetur.

In primis *Filio Dei* opus hoc tribuitur. Non modo se ipsum virtute divinæ suæ naturæ, quam Paulus τὴν δόξαν h. e. *gloriam Patris* nominat, Rom. VI, 4. resuscitavit, Joh. X, 17. 18. sed resuscitaturus etiam est die extremo omnes mortuos, Joh. V, 25. 28. 29. c. VI, 39. 40. 54. Phil. III, 21. Præstitit hoc jam in diebus carnis, cum tres defunctas personas resuscitaverit, scilicet Jairi filiam, juvenem Nainiticum & Lazarum, ut supra audivimus.

Præstitit autem hoc per *omnipotentiam*, quam non solum essentialiter *qua Deus* habet, sed etiam quatenus per communicationem idiomatum ejusdem particeps redditus est *qua homo*; Joh. V, 21. 27. Data enim est ipsi tanquam filio hominis omnis potestas in cœlis & terris, Matth. XXVIII, 18. 1 Cor. XV, 27.

Causa Dei impulsiva resurrectionis mortuorum est *justitia* ejus tam remuneratoria, quam vindicativa. Omnes enim homines coram tribunali Christi apparebunt, ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακὸν, h. e. *ut quilibet reportet, quod per corpus vel bonum vel malum fecerit*, 2 Cor. V, 10.

Distin-

Distinguendum igitur est inter resurrectionem ad vitam æternam & resurrectionem ad judicium, Joh. V, 29. Non omnes enim resurgent ad vitam æternam, sed plurimi potius ad damnationem æternam, Dan. XII, 2. aut, ut Christus dixit: *ad judicium*, quia fideles non in judicium divinum venient, Joh. III, 18. c. V, 24.

Hac de causa etiam *Christi merito* tantum resurrectio piorum & fidelium tribuitur, 1 Petr. I, 3. 4. 1 Theff. IV, 14. 16. 1 Cor. XV, 23. Luc. XX, 35. Rom. VIII, 11. Joh. VI, 40. 54. c. XI, 25. 26. quia hæc sola fructus meriti Christi, fide apprehensi, est, dum nemo, nisi qui in Christum credit, ad vitam æternam pervenit, Joh. III, 16. c. V, 24. c. VI, 40. 47. Rom. VI, 23. Gal. VI, 8. Tit. III, 7.

Sicut autem meritum Christi universale & pro omnium hominum salute præstitum est, etsi non omnes per istud salutem æternam adipiscantur: ita etiam hoc dicendum est de resurrectione ad vitam æternam. Omnibus quidem Christus eam promeruit, 1 Cor. XV, 21. 22. si vera fide in ipsum credunt. Quod autem non omnes ad vitam æternam resurrecturi sint, ipsi homines in culpa sunt, quia non omnes in Christum credunt; nec ejus meriti se vera fide participes reddunt. Christus hinc eorum tantum *resurrectionem & vitam* se nominat, qui in eum credunt, Joh. XI, 25.

Inde conjici licet, homines per divinam omnipotentiam resurrecturos fuisse, etiamsi

Christus non in mundum venisset. Justitia enim Dei vindicativa non permisisset, ut corpora sceleratorum hominum impunita mansissent. Omnino hinc ex morte naturali resuscitasset eos Deus ad judicium, ut pro peccatis suis pœnam æternam luerent. Ut autem a gravi hoc judicio liberentur homines, Christus morte sua pro iis satisfecit & per suam resurrectionem nobis resurrectionem ad vitam æternam acquisivit, 2 Tim. I, 10. Quicunque nunc in vera fide moriuntur, aliquando vi meriti Christi per vocem ejus vivificantem ad vitam æternam suscitabuntur, cæteri vero per omnipotentiam divinam tantum resurgent ad judicium, ut operum suorum mercedem accipiant.

CAPUT III.
DE
TEMPORE RESURRECTIONIS MORTUORUM.

Tempus resurrectionis mortuorum erit *dies extremus s. novissimus*, quo Christus venturus est ad judicandum vivos & mortuos, 1 Thess. IV, 16. 1 Cor. XV, 52. Hoc est *hora* illa, de qua loquitur Christus Joh. V, 28. 29. Plura de hoc die extremo dicentur in sequenti Sectione.

Quæritur autem; *cur Deus non singulatim defunctos ad vitam resuscitet, uti mori eos jubet, sed*

uno die, & quidem ultimo, omnes simul ex morte revocare velit?

Præter Mosem & aliquos beate defunctos, qui tempore resurrectionis Christi ex sepulchris prodierunt, Matth. XXVII, 52. 53. neminem vult Deus prius ex morte resuscitare, quam die extremo, 1) ut resuscitatio mortuorum eo solennior & gloriosior sit, 2) ut omnes sint testes judicii extremi, 3) ut significetur, hominum vitam & statum novam nunc periodum habere, 2 Petr. III, 13. & 4) ut doceatur, hominum resurrectionem non ad mundanam, sed solam cœlestem vitam spectare.

Notatu dignum propterea est, Christum & prophetas apostolosque ex morte neminem resuscitasse, cujus corpus jam per *putrefactionem* penitus consumtum & in cineres redactum fuit. Redire enim debebant ad hanc vitam & quidem in eodem statu, in quo mortui erant. Hinc non corpora glorificata habere poterant, qualia ea erunt, quæ ex cineribus resuscitabuntur. Radix peccati enim, quæ in cinefactione tollitur, non ulterius adesse potest in corpore glorificato, quale corpus non ad hanc, sed ad æternam pertinet vitam. Habuerunt igitur omnes, qui ex morte ad hanc vitam resurrexerunt, adhuc suum corpus peccaminosum & mortale, quapropter etiam actualiter iterum peccare potuerunt, mortemque altera vice subire.

Hoc

Hoc autem de illis non dici debet, qui tempore resurrectionis Christi surrexerunt. Horum corpora erant glorificata instar corporis Christi & electorum, Phil. III, 21. quia jam dudum in cineres redacta fuerunt, radix vero peccati in carne habitans, Rom. VII, 18. jam per destructionem carnis in iis penitus sublata fuit. Hanc ob causam tales resuscitati nullis rebus mandanis se immiscuerunt, nec cum aliis hominibus ullam conversationem habuerunt, sed tantum certis fidelibus apparuerunt & postea Christum in cœlum adscendentem invisibili modo comitati sunt.

Causæ vero, cur tunc temporis aliqui resurrexerunt, fuerunt 1) ut testes sint resurrectionis Christi, 2) ut certiores nos reddant de veritate nostræ resurrectionis futuræ, & 3) ut nos doceant, resurrectionem Christi causam meritoriam nostræ resurrectionis ad vitam æternam esse.

Inter eos, qui extraordinarie ante diem extremum ex morte resuscitati sunt, omnino etiam numerari meretur *Moses*, qui cum Elia in monte Tabor, cum Jesus glorificaretur, apparuit & cum ipso collocutus est, Matth. XVII, 3. Non fuit visio ecstatica id, quod h. l. narratur, sed vera apparitio, in cernendi sensum cadens. Mors & sepultura Mosis narrantur quidem Deut. XXXIV, 5-7. non vero ejus resurrectio. Forsitan Judas in Epist. v. 9. ad eam alludit. Voluit autem Deus prophetam hunc non diu

in

in sepulchro relinquere, quia Christo, uti in vita, Deut. XVIII, 15. 18. ita etiam in morte, similis esse debebat.

Cæteri defuncti omnes non prius resurgent, quam die novissima, qua totus interibit mundus. Non autem *resurrectio prima*, Act. XX, 5. 6. nec verba Pauli 1 Cor. XV, 23. 24. favent *Chiliastis*, qui duplex resurrectionis tempus statuunt, ut suo loco pluribus demonstraturi sumus.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO RESURRECTIONIS MORTUORUM.

Subjectum resurrectionis sunt *omnes homines*, qui morte occubuerunt, & quidem non modo *pii* & *fideles*, sed etiam *impii* & *infideles*, Act. XXIV, 15. Christus enim expresse dixit: *omnes, qui in sepulchris sunt, audient vocem Filii Dei & resurgent una hora*, Joh. V, 28. Phrasis autem, *esse in sepulchris*, est descriptio generalis mortuorum, quæ a parte potiori desumta est.

Hoc testatur etiam Paulus dicens: *Sicut per Adamum omnes moriuntur, ita per Christum etiam omnes vivificabuntur*, 1 Cor. XV, 22. & quidem in hoc ordine, ut Christus sit primus dicendus, qui resurrexit, 1 Cor. XV, 20. 23. deinde resurgent pii, 1 Cor. XV, 23. 1 Thess. IV, 16. & tandem cæteri homines, 1 Cor. XV, 24.

Omnium

Omnium autem resurrectio fit una hora, Joh. V, 28.

Pii statim post resurrectionem violento quasi raptu per nubes transferentur in aerem *εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου*, h. e. *in occursum Domini*, 1 Thess. IV, 17. ut ad ejus dextram constituti testes judicii extremi sint, 1 Cor. VI, 2. Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. Sap. III, 8.

Posset piorum resurrectio *prima* dici ex Apoc. XX, 5. 6. nisi ex contextu judicandum sit, h. l. agi de spirituali aut metaphorica resurrectione, quam *post mille annos* s. in fine mundi, *secunda resurrectio* secutura sit.

A subjecto resurrectionis non excludendi sunt *medici*, uti nonnulli ex Jes. XXVI, 14. & Ps. LXXXVIII, 11. judicare volunt, ubi vox רְפָאִים occurrit, quam Alexandrinus interpres per רֹפְאִים h. e. *medicos* interpretatus est. Sensus textus potius ita sonat: *Rephaim s. gigantes* h. e. tyranni, qui contra ecclesiam sæviunt, non יָקֻמוּ h. e. non *restituentur* in pristinum statum ad persequendam ecclesiam.

Nec *embryones* in uteris matrum extincti a subjecto resurrectionis excludi debent, si præcipua humani corporis membra & debitam formam hominis habuerunt Deus enim non solum iis benedicit, Deut. VII, 13. c. XXVIII, 4. c. XXX, 9. eosque novit, Jer. I, 5. & custodit, Ps. CXXXIX, 13. sed etiam fidem in iis operatur, Luc. I, 44.

Interim

Interim omnino ab universali resurrectione mortuorum excluduntur 1) *Henoch* & *Elias*, qui vivi ex mundo in cœlum translati sunt, Gen. V, 24. 2 Reg. II, 11. 2) *Moses* & qui cum Christo resurrexerunt, & 3) quos Christus die extremo vivos deprehendet, 1 Theff. IV, 15. 17.

Hi ultimi *immutabuntur* & quidem ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, h. e. *in momento, in ictu oculi*, 1 Cor. XV, 51. 52. Hæc immutatio non fiet quoad essentiam, sed quoad proprietates. Ex statu corruptibili & peccaminoso illico transmutabuntur corpora eorum in statum incorruptibilem & glorificatum. Comparatur hæc immutatio cum permutatione vestium, 1 Cor. XV, 53. 2 Cor. V, 4. Habebit analogiam cum morte. Absorbebitur tunc quasi mortalitas a vita nova, 2 Cor. I, 4. Cum *Henocho* & *Elia* sine dubio eadem immutatio facta est, cum in cœlum transferrentur.

CAPUT V.
DE
MATERIA RESURRECTIONIS MORTUORUM.

Id, quod ex terra aliquando resurget, est *corpus uniuscujusque hominis.* Hoc enim illa essentialis pars hominis est, quæ post mortem terræ mandatur & juxta divinam peccati pœnam

nam per putredinem in pulverem & cinerem resolvitur.

Anima, altera hominis pars essentialis, tanquam immortalis spiritus non interit, sed superstes manet in statu vel beatitudinis vel damnationis usque ad diem & horam, qua corpora resuscitabuntur ex morte. Redunietur tunc anima cum suo corpore, ut hac ratione *totus homo* ad accipiendam operum suorum mercedem integer restituatur.

Sola itaque *corpora hominum* resurgent, 1 Cor. XV, 35. Matth. XXVII, 52. & quidem in statu glorificato, Phil. III, 21. ut suo loco pluribus docebimus.

Quæritur autem: *in quonam statu corpora humana aliquando resurrectura sint?*

Eadem corpora, quæ hic defuncta sunt, aliquando resurrectura esse, negant *Sociniani* & multi ex *Arminianis*, statuentes, homines tunc plane nova accepturos esse corpora. Sed pugnat cum hac hypothesi 1) ipsa vox *ἀνάστασις*, quæ erectionem ejusdem corporis, quod antea cecidit, indicat, 2) *resurrectio corporis Christi*, quod non aliud fuit, quam quod in cruce extinctum & postea sepultum est, cujus corpori nostra aliquando corpora assimilabuntur, Phil. III, 21. 3) *justitia divina*, cuicunque retribuens, quod ejus corpora promeruerunt; si igitur homo aliud corpus in resurrectione acciperet, quam in mundo, in quo vel bona vel mala opera fecit, habuit, Deus injuste ageret, si alie-

num

num corpus vel pœnis vel præmiis afficeret, quia neutrum promeruit; 4) *exemplum divitis belluonis*, qui in eodem corpore cruciatus infernales sensit, in quo peccata commisit, Luc. XVI, 23. 24. 25. & 5) locus *Pauli* 2 Cor. V, 10. ubi Christus unicuique retributurus esse dicitur id, quod *per corpus* s. in corpore bonum aut malum fecit.

Eandem igitur naturam, figuram, sexum & staturam Apoc. XX, 12. habebunt corpora humana in resurrectione, quam in hoc mundo habuerunt ante obitum suum, exutis tamen omnibus nævis & vitiis.

Nec anima hominis cum alio corpore reduniri potest, quam cum eo, quod in mundo habuit & quod cum ea genitum est, essentialemque cum ista harmoniam habet. Sicut non quævis anima ad quodvis corpus quadrat, ita etiam non quodvis corpus ad quamvis animam. Homo igitur si substantialiter & revera aliquando restituendus est, iisdem quoque partibus & proprietatibus essentialibus præditus esse debet, quas in generatione accepit & quæ in hac vita ejus substantiam differentiamque specificam constituunt, nec non subjectum omnium actionum sunt, quarum causa a Deo judicandus est.

Non autem propterea credere debemus, *omnem* hominis *carnem* aliquando resurrecturam esse, ut quidam ex Hiob XIX, 25. 26. conjecturare volunt. Nam Paulus expresse testatur,

carnem & sanguinem non regnum cœlorum hæreditate consequi, nec rem corruptam incorruptibilitatem nancisci posse, 1 Cor. XV, 50.

Caro per se non ad substantiam corporis pertinet, sed quatenus naturam & constructionem ejus format. Per se quotidiani varietatæ obnoxia est caro. Homo modo pinguescit, modo macet, & pro diversitate status, ætatis, diætæ, valetudinis, aeris, ciborum, potus &c. plus quam centies & millies carnem suam in vita mutat. Quis igitur crederet, omnem ejusmodi carnem cum humano corpore aliquando restitutum iri? Quod non ad corporis substantiam individualem pertinet, nec quoque resurget.

Resurgent autem corpora non in flore juventutis, ut *Augustinus* & *Hieronymus* docuerunt, nec in ætate & statura Christi, ut aliqui ex Eph. IV, 13. Rom. VIII, 29. Phil. III, 21. falso judicant, sed in eodem ætatis flore, specie & statura, in qua mortui sunt, ut supra jam ostendimus.

CAPUT VI.
DE
FORMA RESURRECTIONIS MORTUORUM.

Forma s. genuinus modus resurrectionis mortuorum demonstratu valde difficilis est. Ad mysteria fidei pertinet, quæ non negari debent, etsi captum rationis transcendant. Ut autem

autem derisoribus divinæ veritatis ad objectiones respondeamus, quibus possibilitatem resurrectionis corporum ludibrio habent, doctrinamque hanc ab omni, quod contradictionem in se habere videtur, vindicemus, aliqua de *resurrectionis corporum forma s. modo* dicemus.

Clavem ad aperienda intellectus nostri claustra circa hanc difficilem doctrinam suppeditat nobis *Paulus* quando ad quæstionem, *quomodo resurgent mortui & quonam corpore resurgent?* ita respondet: *O insipiens, quod tu seris, non revivifcit, nisi moriatur; & quod seris, non corpus est, quod serendo oriri debet, sed nudum granum vel tritici vel alius frumenti. Deus autem ei dat corpus secundum suum arbitrium; cuilibet semini proprium suum corpus. Non omnis autem caro unius ejusdemque naturæ est, sed alia est caro hominum, alia jumentorum, alia piscium & alia volucrum. Et dantur tam corpora cœlestia, quam corpora terrestria. Sed alium splendorem habent cœlestia, alium vero terrestria. Aliam claritatem habet sol, aliam luna & aliam stellæ. Stella stellam quoque claritate antecellit. Ita etiam resurrectio mortuorum comparata est. Seritur ἐν φθορᾷ (h. e. id, quod in corruptione versatur) s. quod corruptum est, & resurget incorruptum, seritur ignominiosum & resurget gloriosum, seritur infirmum, & resurget quod potens & efficax est, seritur corpus naturale & resurget corpus spirituale,* 1 Cor. XV, 36-44.

Igitur conservata corporum elementa in resurrectione novis proprietatibus donabuntur &

tan-

tanquam renovata & ſpiritualia corpora, quæ ſubſtantialiter eadem ſunt, quæ jam ante mortem fuerunt, cum ſuis animabus redunientur & ſic integra & glorificata in conſpectum Dei & omnium angelorum & electorum prodibunt.

Μετενσωμάτωσις ſalva hac doctrina conſtare poteſt. Noſtra corpora ei jam in vita terreſtri quotidie obnoxia ſunt; quidni poſt mortem? Per tranſpirationem enim, dejectionem alvi & alias excretiones quotidie quaſi carnoſa corporis ſubſtantia alteratur & ſenſim ita mutatur, ut poſt decurſum aliquot annorum fere novum habeamus corpus, quia intra hoc tempus caro noſtra cum ſanguine & cæteris humoribus multoties permutari potuit.

Omnes excretiones naturæ ſunt quaſi diſſolutiones partium, ex quibus corpus noſtrum compoſitum eſt. Particulæ elementares carnis noſtræ tunc diſſipantur & cum aliis homogeneis ſeſe uniunt, corpora vero noſtra per cibum, potum & aerem quotidie novas particulas elementares accipiunt, quibus nutriuntur & ſuſtentantur. Et hoc durat usque ad mortem. **Interim ſemper retinemus noſtrum corpus, quod in utero materno accepimus, quia ſtirps, radix & prima ſtamina ejus in ſua eſſentia ex voluntate Dei illæſa & immutabilia manent. Hæc ſunt firmum & incorruptibile illud ſeminale principium, cum quo Petrus verbum regenerationis comparat, quando iſtud incorruptibile ſemen vocat, 1 Petr. I, 23.**

Quam-

Quamdiu corpus nostrum in hac vita portamus, superinduti quasi sumus carne corruptibili. Si autem corpus in morte deponimus, exuimus istud quasi, ut vestem. Et illuc tendunt desideria fidelium, qui ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζουσι βαρούμενοι, h. e. *quamdiu in corpore corruptibili versantur, ingemiscunt oneribus portandis, non volentes tamen* ἐκδύσασθαι, ἀλλ᾽ ἐπενδύσασθαι, h. e. *plane exui corporis machina, sed potius ita superindui,* ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς, h. e. *ut absorbeatur mortale a vita,* quod in resurrectione mortuorum fit, 2 Cor. V, 4.

* *

SECTIO II.

DE JUDICIO EXTREMO.

CAPUT I.

DE JUDICIO EXTREMO IN GENERE.

Quia Deus secundum justitiam suam distributivam non potest non hominibus decretam mercedem operum & laborum, quam in hoc mundo non accipere potuerunt, exsolvere, & quidem ita, ut inter omnes constet, Deum non habere προσωποληψίαν, sed esse justissimum distributorem tam præmiorum quam pœna-

pœnarum: *solenne* aliquod *judicium* constituere voluit, in quo quilibet accipiat, quod actiones ejus meruerunt.

Hoc judicium dicitur *extremum*, quia non modo extremo die & in fine mundi habebitur, sed etiam ab aliis judiciis divinis particularibus bene distinguendum est.

Sunt, qui *particulare judicium extremum* respectu singulorum hominum statuunt. Hoc fore, ajunt, ipsa hora mortis, qua quælibet anima statim post obitum suum acceptura sit sententiam. Hujus opinionis non modo fuit B. Wandalinus *in Brevi Exposit. Theol. p. 370.* sed etiam B. Hilschrus, qui ex Joh. V, 24. in speciali scripto germanico hoc evincere studuit. At hujus particularis judicii divini veritas difficulter ex sacris literis probari potest, cum omnia loca, quæ hic adduci solent, ad universale judicium extremum applicare possunt.

Interim meretur hoc judicium extremum *universale* dici, quia non modo omnes homines, sed etiam omnes mali spiritus in eo judicabuntur.

Athei & omnes, qui resurrectionem mortuorum negant, negant quoque judicium extremum.

Est autem istud in Scriptura S. satis fundatum. Non modo *Christus* clarissimis verbis de eo loquitur, Matth. XI, 22. 24. c. XII, 36. 41. 42. c. XIII, 39-43. c. XXV, 31 sq. Luc. XXI, 27-36. Joh.

Joh. V, 27-29. sed etiam *Paulus*, Act. XVII, 31. c. XXIV, 25. 2 Cor. V, 10. Rom. II, 5. 6. c. XIV, 10. 2 Thess. I, 5 sq. Hebr. VI, 2. *Petrus* Act. X, 42. 2 Petr. III, 7 seq. *Johannes*, 1 Joh. IV, 17. Apoc. XX, 12. *Daniel*, c. VII, 9. 10. *David*, Ps. XCVIII, 9. *Jesaias* cap. LXVI, 15. *Abraham*, Gen. XVIII, 25. & *Henoch*, Jud. v. 14. 15.

Contra clarissima hæc testimonia Scripturæ S. *Epicurei* nimiam judicii extremi moram objiciunt, quærentes: *ubi est promissio de Christi adventu? postquam patres obdormiverunt, omnia manebunt, sicut in principio creationis fuerunt*, 2 Petr. III, 4. sed apostolus hosce empæctas egregie refutat & veritatem judicii extremi satis vindicat, 2 Petr. III, 5-12.

Incutit autem doctrina de extremo judicio peccatoribus magnum terrorem, ut Felici factum esse legimus, Act. XXIV, 25. Ipsi fideles non sine horrore in hac vita ejus meminisse possunt, quia æque ac alii homines peccato infecti sunt, læsamque conscientiam habent. Omnem hinc operam dare debemus, ut die judicii παῤῥησίαν ἔχωμεν πρὸς τὸν Θεὸν, h. e. *fiduciam & confidentiam habeamus in Deum*, 1 Joh. IV, 17. c. V, 14. ne aspectus judicis aliquando nobis terribilis sit, uti impiis, qui præ timore & anxietate cordis super illo, qui in tribunali sedebit, & super ira agni, fere animam exspirabunt, Luc. XXI, 26. 28. Apoc. VI, 16.

CAPUT II.

DE TEMPORE JUDICII EXTREMI.

Hoc erit *dies* mundi *ultimus s. novissimus*, quo *πάντων τὸ τέλος*, h. e. omnium rerum terrestrium finis & interitus fiet, 1 Petr. IV, 7.

Hic est ille *dies*, quem Deus ad judicium extremum constituit, Act. XVII, 31.

Dies hic hominibus *occultus* est, Matth. XXIV, 42. cap. XXV, 13. Marc. XIII, 33. ita, ut nec angelis, nec ipsi Christo, qua homini, in statu exinanitionis iste cognitus fuisse perhibeatur, Matth. XXIV, 36. Marc. XIII, 32.

Exemplum itaque temeritatis & stultitiæ præbent omnes, qui diem novissimum determinare, accurateque eum scire volunt.

Causæ autem, cur Deus hominibus diem hunc voluerit esse incognitum, eædem sunt, quas allegare solemus respectu incertæ mortis horæ. Si accurate præscirent homines diem & horam suæ mortis aut adventus Christi, vel in pessima securitate viverent, dicentes: *dominus meus venire cessat*, Matth. XXIV, 48. vel appropinquante die & hora nimium trepidarent.

Veniet autem dies novissimus *improviso* & *velociter*, Luc. XXI, 34. 1 Thess. V, 31. Veniet super homines sicut fur tempore noctis, 2 Petr. III, 10. 1 Thess. V, 2-4. Matth. XXIV, 43. & sicut laqueus & decipula, Luc. XXI, 35.

Vivent

Vivent tunc homines in summa securitate, uti temporibus Noachi ante diluvium, quod omnes, istud non animadvertentes, sustulit, Matth. XXIV, 37-39.

Interim adventus Christi perpetuo memores esse debemus. Quotidie vox hæc quasi in auribus nostris sonat: *ecce, judex ante fores est!* Jac. V, 9. Ipse judex nobis acclamat: *ecce venio cito*, Apoc. XXII, 7. 12. 20.

CAPUT III.

DE

SIGNIS JUDICII EXTREMI.

Vt homines a nimia securitate abstineant, Deus diem extremum gradatim appropinquare nos docet. Sicut ex ramis & foliis tenerioribus æstatem instare judicamus, ita ex certis signis appropinquatio diei novissimæ cognoscenda est, Matth. XXIV, 32. 33. Marc. XIII, 28. 29. Luc. XXI, 29. 30.

Signa hæc sunt vel remotiora vel propinquiora. Ad *signa remotiora* pertinent 1) manifestatio & lapsus Anti-Christi, 2 Thess. II, 3. 2) ecclesiæ ex Babylone eductæ nova morum & doctrinæ corruptio, & 3) ecclesiæ evangelicæ gravissimæ calamitates.

Signa propinquiora sunt vel antecedentia vel concomitantia. Inter *antecedentia* referuntur notabilis gentis Judaicæ conversio, insignior Antichristi manifestatio, pugna & cædes Gogi

 & Ma-

& Magogi, Apoc. XX, 8. Ezech. XXXVIII. & XXXIX. fummaque hominum fecuritas, Matth. XXIV, 37-39. 1 Theff. V, 3. malitia, 2 Tim. III, 1-5. Jud. v. 18. feductio, 1 Tim. IV, 1. 2. 2 Tim. III, 8. & incredulitas; 2 Petr III, 3. 4 Luc. XVIII, 8. *figna concomitantia* erunt fingulares fiderum mutationes & elementorum commotiones, Luc. XXI, 25. 26.

De *Judæorum converfione* multa in ecclefia difputantur. Plurimi ex Luc. XXI, 32. univerfalem, aut infignem ejusmodi converfionem ante diem extremum expectandam effe, prorfus negant.

Locus Rom. XI, 25. 26. converfionem Judæorum univerfalem magis impugnat, quam confirmat.

Particula ἄχρις ὂυ, h. e. *donec*, non terminum fixum, fed continuum fignificat, quamdiu fcilicet ex gentibus quidam ad ecclefiam fe aggregant, quod durabit usque ad interitum mundi. Hinc etiam Paulus c. l. dixit: *ne fitis elati*, cum alias potius dixiffet: *ne fitis triftes*. Verba: *& fic totus Ifrael falvabitur, ficut fcriptum eft* &c. non ad verficulum præcedentem, fed ad totam epiftolam, vel faltem ad id, de quo in antecedentibus dictum eft, fcilicet, quod *non nifi per & propter Chriftum falvemur*, Rom. X, 8-13. refpectum habet, dictumque Jefaiæ c. LIX, 20. confirmat. Per *Ifraelem* autem h. l. non is, qui fecundum carnem, fed qui fecundum fpiritum ita nominatur, intelligitur, alias fequeretur, ne

unicum

unicum quidem ex Jacobi posteris damnatum iri. Distinctio inter carnales & spirituales Judæos & Israelitas Rom. II, 28. 29. c. IX, 6-8. etiam hic locum habet. Sensus itaque verborum Pauli Rom. XI, 26. est, *totum Israelem* spiritualem f. totum Salvandorum hominum cœtum, sive sint Judæi, sive non Judæi, *per Christum salvari.*

CAPUT IV.

DE

JUDICE EJUSQUE ADVENTU.

Judex hominum, generaliter spectatus, est *Deus triunus*, Ps. VII, 9. Hebr. XII, 23. Act. XVII, 31. Rom. II, 2. 3. 5. 6. 16. Quia autem in judicio requiritur *judex visibilis*, judicium extremum *Filio Dei* commissum est. Hinc Christus expresse dixit: *Pater neminem judicat, sed omne judicium tradidit Filio*, Joh. V, 22. & postea: *Pater dedit potestatem Filio exercendi judicium, quatenus filius hominis est*, v. 27.

Tanquam *filius hominis* olim non modo *visibilis* fuit, sed etiam in servili & contumelioso statu inter homines ambulavit. Ut autem persona ejus in humana natura hominibus, quibus in mundo despectui fuit, in statu suo exaltato aliquando eo gloriosior appareat, Apoc. I, 7. is debebat esse vir ille, per quem Deus totum terrarum orbem judicaret cum justitia, Act. XVII, 31. Constitutus igitur esse dicitur

judex

judex vivorum & mortuorum, Act. X, 42. eique tribunal adscribitur, coram quo omnes homines se sistent, 2 Cor. V, 10.

Adventus hujus judicis erit 1) *repentinus* & *improvisus*, Matth. XXIV, 27. c. XXV, 13. 2) *piis acceptus*. Luc. XXI, 28. Tit. II, 13. 2 Tim. IV, 8. 3) *impiis horribilis*, Apoc. I, 7. c. VI, 10. 4) *visibilis*, Matth. XXIV, 30. Act. II, 11. Apoc. I, 7. & 5) *gloriosus*, Matth. XXIV, 30. c. XXV, 31. Luc. XXI, 27.

Gloria s. majestas, cum qua veniet, partim interna, partim externa erit. *Interna* erit gradus ille gloriæ, ad quem respectu humanæ suæ naturæ evectus est & qui per thronum gloriæ indicatur, in quo sedebit, Matth. XXI, 31. *Gloria externa* vero consistet 1) in κελεύσματι s. clamore excitatorio & sonitu tubæ Dei, s. potentissima & efficacissima ejus voce divina, 1 Cor. XV, 52. 1 Thess. IV, 16. jam in monte Sinai olim audita, Exod. XIX, 16. 19. Hebr. XII, 19. 2) in comitatu omnium angelorum, Matth. XVI, 27. c. XXV, 31. & 3) in frequentia sanctorum, ipsum stipantium, Jud. v. 14. Hæc omnia sunt *signum Filii hominis*, quod die extremo conspicietur, Matth. XXIV, 30. per quod signum quidem nonnulli iridem intelligunt, in qua Christus sedens aliquando appariturus creditur.

Angeli & *homines sancti* non otiosi comites Christi, ad judicium venientis, erunt.

Utetur

Utetur enim judex *ministerio angelorum* die judicii 1) in edendo tubæ sono, Matth. XXIV, 31. clamoreque excitatorio, 1 Theff. IV, 16. 2) in judicandorum congregatione, Matth. XIII, 41. c. XXIV, 31. 3) in congregatorum separatione, Matth. XIII. 49. c. XXV, 32. 4) in impiorum detrusione in locum supplicii, Matth. XIII, 42. & 5) in piorum translatione ad cœlum, 1 Theff. IV, 17. conf. Luc. XVI, 22.

Sancti, qui simul Christum comitabuntur, erunt testes judicii extremi. Ad hos inprimis referuntur, qui cum Christo ex sepulchris resurrexerunt, Matth. XXVII, 52. 53. & cum ipso in cœlum adscenderunt. Proprie non assessores dicendi sunt, quia nullum votum in judicio hoc habent. *Apostoli* quidem duodecim tribus Israel, Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. & *sancti* ipsum mundum, 1 Cor. VI, 2. 3. *judicari* dicuntur. At *judicare* h. l. nil aliud significat, quam 1) testem agere contra eos, qui non credere voluerunt, 2) applaudere judici, juste judicanti, & 3) approbare sententiam & ejus executionem. Ostendebatur hoc Johanni in visione, Apoc. XIX, 1-5.

Propter hunc judicandi modum pii & sancti prius resurgent, quam impii, ut supra docuimus.

CAPUT

CAPUT V.
DE
SUBJECTO ET LOCO JUDICII EXTREMI.

Subjectum judicii extremi sunt *omnes homines*, qui ab initio vixerunt & usque ad diem extremum vivent. Omnes comparere debent coram tribunali Christi, 2 Cor. V, 10. Rom. XIV, 10.

Christus propterea dicitur *judex omnis mundi*, Gen. XVIII, 25. *judex orbis terrarum*, Actor. XVII, 31. & *judex vivorum ac mortuorum*, Act. X, 42.

Judicabuntur *omnes*, Jud. v. 15. *senes* & *juvenes*, Apoc. XX, 12. *superiores* & *inferiores*, Apoc. VI, 15. 16. *Judæi* & *ethnici*, Matth. XI, 22. 24. c. XII, 41. 42. *vivi* & *mortui*, h. e. qui vel ex morte resuscitati sunt, vel quos dies extremus vivos inveniet, 2 Tim. IV, 1. 1 Petr. IV, 5. Act. X, 42. *pii* & *impii*, Eccl. III, 17. Matth. XXV, 32. 33.

Judicari interdum idem significat, ac *damnari*, Joh. III, 17. c. VII, 51. c. XII, 47. in quo sensu tandum de impiis usurpatur, Joh. III, 18. c. V, 24.

Pontificii *Mariam virginem* & *infantes non baptizatos* de judicio extremo falso absolvunt.

Ad subjectum judicii extremi omnino etiam pertinent *angeli mali s. spiritus lapsi*, quos Deus quidem catenis tenebrarum vinxit, ad ipsos tamen

tamen infernales cruciatus non prius, quam die judicii extremi, damnabit. Asservari hinc dicuntur ad judicium, 2 Petr. II, 4. Jud. v. 6.

Ipsi sancti tunc eos judicabunt, 1 Cor. VI, 3. eodem scilicet modo, quo impios homines aliquando judicaturi sunt.

Locus, in quo judicium extremum habebitur, incertus est. Multi perhibent, locum judicii fore in *aere* & *nubibus*, 1 Thess. IV, 17. Luc. XXI, 27. Alii ex Zach. XIV, 4. & Act. I, 11. 12. probare volunt, Christum in *monte olivarum* judicium habiturum esse. Judaei & certi Judaizantes interpretes ex Joel III, 17-21. demonstrare student, *vallem Josaphat* in terra Canaan fore locum judicii extremi. At h. l. tantum de judicio particulari super certos Israelis hostes agitur, 2 Chron. XX.

CAPUT VI.
DE
OBJECTO JUDICII EXTREMI.

D*uplex* datur *objectum* judicii extremi, personale & reale.

Personale objectum idem est ac subjectum judicii extremi, de quo jam in antecedenti capite egimus. *Objectum* vero *reale* id ipsum est, de quo hic agimus.

Objectum hoc sunt, quaecunque in homine dantur & cum Dei voluntate vel conveniunt vel disconveniunt, atque adeo vel ei placent, vel displicent.

Per

Per se nemo aliquid habet, quod Deo gratum & acceptum sit. Hinc *fides* requiritur, qua apprehenditur Christus, Filius Dei, *in quo εὐδόκησε* h. e. *oblectatur* Deus, Matth. III, 17. Sine hac fide impossibile est, Deo placere, Hebr. XI, 6. quia id, quod non ex fide fit, peccatum est, Rom. XIV, 23. Hinc etiam oculi Dei constanter ad fidem directi sunt, Jer. V, 3.

Status igitur cujuscunque hominis in judicio extremo aliquando ad fidei trutinam perpendetur. Si credidit homo in Christum, salvabitur, si autem non credidit, damnabitur, Marc. XVI, 16. Joh. III, 18. 36.

Objectum itaque *formale* & *reale* judicii extremi ex parte piorum erit *fides*, & ex parte impiorum *incredulitas*, quatenus nempe utraque per cogitationes, verba & facta erumpit.

Judicabuntur ideo aliquando homines non modo de suis *actionibus* & *factis*, Rom. II, 6. 2 Cor. V, 10. Jud. v. 15. Eccl. XII, 14. sed etiam de *dictis* & *verbis*, Matth. XII, 36. 37. Jud. v. 15. & de ipsis *cogitationibus* & *consiliis cordis*, 1 Cor. IV, 5. Rom. II, 16.

Non solum autem *opera commissionis*, sed etiam *opera omissionis* judicabuntur, Matth. XXV, 35. 36. 40. 41.

Excipiuntur hic *peccata fidelium* ante conversionem commissa, quæ non judicabuntur, quia eorum memoria apud Deum deletur, Jes. XLIII, 25. Ezech. XVIII, 22. eaque in profunditatem maris dejiciuntur, Mich. VII, 19.

Fideles

Fideles hinc coram tribunali judicis non pudefient, 1 Joh. II, 28. fed inculpati habebuntur, Jud. v. 24. imo publice laudabuntur, Matth. XXV, 40 fq. Chriftus enim non modo eorum judex, fed etiam eorum advocatus erit.

Errant *Pontificii*, quando ex Eccl. XII, 14. probare volunt, die judicii etiam peccata fidelium remiffa manifeftatum iri.

Modus, quo manifeftatio hæc aliquando fiet, non indicari poteft. Forfitan in cujuscunque confcientia ifta fiet, ita, ut quilibet impius ipfe fua facinora fatebitur, iisque ingemifcet.

CAPUT VII.
DE
NORMA ET PROCESSU JUDICII EXTREMI.

Norma judicii extremi erit in genere *lex*, evangelii luce colluftrata, Rom. II, 16. coll. cum Matth. XXV, 35 fq. 42 fq.

In fpecie *ethnici* judicabuntur juxta legem naturalem, Rom. II, 12. 14. 15. *Judæi* juxta legem Mofaicam, Joh. V, 45. & *mali Chriftiani* juxta verbum Chrifti & apoftolorum, Joh. XII, 48. ab iis contemtum, 2 Theff. I, 8.

Pii & *fideles* juxta folum evangelium judicabuntur, quatenus fecundum iftud fidem fuam per charitatem & bona opera efficacem præftiterunt, Matth. XXV, 35 feq. Rom. II, 6. 7. Peccatorum eorum non mentio fiet, bona opera

vero publice laudabuntur, Matth. XXV, 34 sq. 1 Cor. IV, 5. Rom. II, 7.

Non autem opera fidelium in judicio extremo tanquam propria merita a judice laudabuntur, sed tanquam testimonia fidei. Nam vita æterna est *χάρισμα τοῦ Θεοῦ*, h. e. donum Dei, ex sola gratia datum, Rom. VI, 23.

Apud *judicem* nec *προσωποληψία*, Rom. II, 11. Act. X, 34. nec dissimulatio, nec excusatio, Luc. XIV, 18-21. Matth. XXV, 44. 45. locum habebit, sed quilibet citra respectum personæ, ætatis, status, sexus & nationis accipiet mercedem operum suorum, Rom. II, 6. 2 Cor. V, 10. Apoc. XII, 18. Tribuitur hinc judici *summa justitia*, Act. XVII, 31. 2 Tim. IV, 8. quæ judicii extremi *norma interna* dici solet.

Quilibet coram hoc judicio *tres* contra se habebit *testes*, scilicet omniscientiam divinam, verbum Dei & propriam conscientiam. Erunt hæc tria quasi *tres libri*, qui die extremo aperientur, Apoc. XX, 12. nempe *liber omniscientiæ*, Mal. III, 16. *liber Scripturæ S.* tam legis, quam evangelii, & *liber conscientiæ.*

Ipsum judicium extremum distingui solet in *judicium discussionis* & *retributionis.*

Judicium discussionis vocatur illud, quo judex omnium opera tam occulta quam manifesta in lucem protrahet, ita, ut quilibet non modo, quæ ad se pertinent, accurate intelligat, sed etiam sibi non fieri injuriam, si condemnaretur, cognoscat.

Judi-

Judicium retributionis consistet in pronunciatione sententiæ, quæ cujuscunque causæ conveniens erit, ita, ut aliis vitam, aliis damnationem æternam adjudicaturus sit judex.

Processus judicii extremi tres comprehendit actus, qui θεοπρεπῶς intelligendi sunt. *Primus actus* est causæ cognitio, quæ autem non prolixa nec operosa erit 1) propter judicis omniscientiam & 2) propter conscientiæ lumen. Ad hanc causæ cognitionem, quam supra judicium discussionis nominavimus, pertinet separatio ovium ab hircis.

Alter actus est cognitæ causæ decisio, quæ fit per publicationem sententiæ definitivæ. Hæc erit vel absolutoria, vel condemnatoria. Alias hic actus *judicium retributionis* vocatur.

Tertius actus est publicatæ sententiæ executio, quæ statim sequetur publicationem sententiæ, Matth. XXV, 46.

CAPUT VIII.

DE INTERITU MUNDI.

Sicut mundus initium cepit, ita etiam finem habebit.

Interitus mundi plerumque a Theologis nominatur *consummatio seculi* ex Matth. XIII, 39. 40. 49. c. XXIV, 3. & c. XXVIII, 20. Hebr. IX, 26. ubi in textu Græco vox συντέλεια τοῦ αἰῶνος & τῶν αἰώνων occurrit.

Non autem intelligibilis, sed *sensibilis mundus* hic intelligitur, qui cœlum & terram, omnesque creaturas corporales & quæcunque ex elementis materialibus composita sunt, comprehendit. Hic mundus interiturus est, ut ex Ps. CII, 27. Jes. LI, 6. Matth. V, 18. Luc. XXI, 33. 1 Cor. VII, 31. 1 Joh. II, 17. Hebr. I, 11. 12. 1 Petr. IV, 7. 2 Petr. III, 7. 10. 11. Apoc. XII, 11. probatur. In hisce enim locis expresse mundus perire, interire, præterire & igne consumi dicitur.

Quæritur autem: *num mundus quoad substantiam; an tantum quoad accidentia interiturus sit?* Prius plurimi statuunt Theologi & ex iis præcipue *Joh. Gerhardus*, *Brochmannus*, *Joh. Meisnerus*, *Buddeus* & *Jo. Wilh. Baierus*; posterius quidem pauciores contendunt, at ex illis tamen *Brentius*, *Phil. Nicolai*, *Schertzerus*, *Walchius*, *Jo. Joachimus Langius* & præ cæteris B. *Lutherus*, qui omnes ad Ps. CII, 27. & Hebr. I, 11. 12. provocant, ubi de cœlo & terra hæc dicuntur: *veterascent sicut vestimentum; mutabuntur sicut pallium.* Provocant etiam ad 1 Cor. VII, 31. ubi autem non *οὐσία*, sed *σχῆμα* mundi interiturum esse legitur. Provocant quoque ad ea loca, ubi *novi cœli* & *novæ terræ* mentio fit, e. g. Jes. LXV, 17. c. LXVI, 22. 2 Petr. III, 13. Apoc. XXI, 1. Allegant etiam ad tuendam suam hypothesin loca Ps. CIV, 5. & Rom. VIII, 19 sq.

Qui annihilationem mundi quoad substantiam defendunt, provocant in primis ad 2 Petr. III, 10.

III, 10. ubi apostolus de die novissimo ita scribit: *cœli cum impetu prætcribunt, elementa inflammata solventur & terra omniaque opera, quæ in ea sunt, exurentur*; item v, 12. ubi de eodem die hæc occurrunt verba: *cœli combusti solventur & elementa inflammata liquescent.* Ex his locis probant, omnia aliquando annihilatum iri. Cum enim ipsa elementa & prima principia, ex quibus omnia composita sint, igne solvantur & liquescant, *omnia*, inquiunt, *ita abolebuntur, ut locus eorum non inveniatur, nec tempus ultra sit futurum,* Apoc. X, 6. c. XX, 11.

Non autem *mundus* ita obsolebit, ut naturaliter quasi ad interitum vergat, & tandem per se intereat, Gen. VIII, 22. Ps. CIV, 5. sed Deus qui mundum ex nihilo condidit, eum quoque constanter in suo vigore conservabit, usque dum in nihilum iterum redacturus sit. Hoc faciet partim subtrahendo potentiam verbi sui, qua omnia sustentat, Ps. CIV, 29. coll. Hebr. I, 3. partim destruendo omnia per ignem singularem, 2 Petr. III, 7. 10.

JOH. HEYNIUS, qui per *cometam* diluvium exortum esse credidit, simul finxit, per eundem aliquando etiam mundum interiturum esse.

Interitu mundi s. consummatio seculi statim peracto judicio extremo fiet, quanquam aliqui dentur, qui ante judicium eam fieri contendant. Interim adveniente Christo jam omnia ad interitum mundi vergent.

Causa consummationis seculi *finalis primaria* est gloria Dei, omnia in omnibus tunc futuri, 1 Cor. XV, 28. *secundaria* verò totius creaturæ irrationalis plena liberatio a servitute corruptionis, Rom. VIII, 21. 22.

CAPUT IX.

DE CHILIASMO.

Chiliasmus nomen habet ἀπὸ τῆς χιλιάδος s. a *numero millenario*, quia Chiliastæ ex Apoc. XX, 1-16. probare volunt, Christum ante judicium extremum mille annos inter fideles suos regnaturum esse.

Ortus est hic error apud *Judæos*, qui credebant, Messiam tanquam regem temporalem in mundum venturum, solium Davidis regium occupaturum, regnum felicissimum inter Judæos erecturum & omnes gentes sub suam potestatem redacturum esse.

Hæc opinio animos Judæorum ita pervaserat, ut etiam multi ex Judaico populo ad Jesum Christum conversi, eam non ex animo exstirpare potuerint, semper Jesum de regno ejus interrogantes, Matth. XX, 21. cap. XVIII, 1. Act. I, 6. qui tamen eos satis de isto erudivit, Joh. XVIII, 36. Matth. XX, 25-28. Interim opinio hæc de futuro regno Christi a Judæis transiit ad Christianos, inter quos præcipue *Cerinthus* multos motus excitavit & regnum chiliasticum in ecclesia quasi fundavit. Postea

cum

cum Apocalypsis Johannis in christianorum manus veniret, multa in hoc libro prophetico ii, qui jam erroribus chiliasticis infecti erant, deprehendebant, quæ in eorum rem esse videbantur. In primis caput XX. occasionem dabat, tempus, quamdiu regnum Christi in terra duraturum sit, determinandi. Inde ortum est nomen *chiliasmi*, cujus defensores *chiliastæ* vocabantur, inter quos etiam *Irenæus*, *Justinus*, *Apollinaris*, *Tertullianus*, *Lactantius* aliique patres primitivæ ecclesiæ numerandi sunt, etsi dicto errori non tam crasse, uti *Papias*, adhæserint.

Posteris temporibus altum de chiliasmo silentium fuit usque ad Seculum XVI. quo *Anabaptistæ* ex orco quasi errorem hunc revocarunt. Ansam hoc dedit *Pontificiis*, B. Lutherum, qui tunc temporis de reformatione ecclesiæ occupatus fuit, hujus erroris insimulandi. Ejus asseclæ hinc necesse habuerunt, in Augustana confessione Art. XVII. publice declarare, se omnes ejusmodi opiniones Judaicas damnare.

Nihilominus nostris temporibus non defuerunt inter nostrates, qui non erubuerunt, errorem hunc iterum defendere, inter quos Jo. WILHELMUS PETERSEN cum sua *uxore* primum locum meretur, cujus vestigiis fere omnes insistunt, qui posthæc chiliasmo adhæserunt.

At pugnat *chiliasmus* non modo cum præsenti statu regnorum mundanorum, sed etiam cum circumstantiis ultimorum temporum, de quibus agitur Matth. XXIV, 37. 38. Luc. XXI, 27.

Joh. V, 28. 29. Matth. XIII, 3. 1 Theff. IV, 16-18. Luc. XVIII, 8. 2 Petr. III, 10. Hæc dicta biblica ad adventum Chriſti ultimum, reſurrectionem mortuorum & conſummationem ſeculi reſpectum habent, quorum unum tam cito ſequetur alterum, ut chiliaſtico regno non tempus remanſurum ſit.

Locus Scripturæ S. primarius eſt Apoc. XX, 1-10. ubi *regni Chriſti* mentio ſit, quod *mille annos* duraturum ſit. Verum nil aliud per iſtud prophetico more indicatur, quam felicior in eccleſia ſtatus, poſt duras chriſtianorum perſecutiones expectandus. Cætera loca biblica, quæ Chiliaſtæ ad tuendam ſuam hypotheſin allegare ſolent, facile refutari poſſunt, ſi fidei doctrinas de regno Chriſti ejusque adventu in mundum, de reſurrectione mortuorum, & de conſummatione ſeculi nec non de vita & morte æterna κατ' ἀναλογίαν Scripturæ S. recte explicamus.

LIBER

LIBER XIX.

DE BEATITUDINE ÆTERNA.

CAPUT I.

DE BEATITUDINE ÆTERNA IN GENERE.

Beatitudo æterna est ſtatus ille glorioſus, in quo *Deus* in excellentiſſimo gradu verſatur, 1 Tim. I, 11. c. VI, 15.

Hujus glorioſi ſtatus Deus etiam *homines* participes reddere vult; 1 Theſſ. IV, 9. 2 Theſſ. II, 13. quia in hunc finem iſtos creavit, Sap. II, 13.

Hæc beatitudo æterna eſt cauſa noſtræ redemptionis, Joh. III, 16. 17. Hebr. V, 9. & ſcopus totius chriſtianiſmi, 1 Cor. XV, 19. nec non finis fidei noſtræ, 1 Petr. I, 9.

Dari autem beatitudinem æternam, ipſi *ethnici* cognoſcunt, ac credunt, uti ex eorum ſcriptis patet, in quibus multa de campis elyſiis fabulati ſunt.

Etiamſi vero ſtatus beatitudinis poſt hanc vitam nobis ex ſacris literis non innoteſceret, non tamen nobis iſte plane incognitus foret, quia ex inſtinctu naturali, juſtitia divina &

 conſen-

consensu omnium gentium necessitatem ejus satis cognoscere possumus.

Christiani præ omnibus hominibus de gloriosissimo hoc statu certi esse queunt, quia Scriptura S. in eorum manibus versatur, quæ non modo de beatitudine æterna multifariam agit, sed etiam proximam ad eam perveniendi viam monstrat. Ita autem hanc beatitudinem Spiritus S. nobis ante oculos ponit, ut sit *inenarrabilis* habenda, 1 Cor. II, 9.

Interim non desunt *imagines*, quibus Scriptura S. statum beatitudinis depingit & nobis jucundum reddit, quales sunt *patria*, Hebr. XI, 14. 2 Cor. V, 8. *paradisus*, Luc. XXIII, 43. Apoc. II, 7. *convivium*, Luc. XXII. 30. Matth. VIII, 11. *nuptiæ*, Matth. XXV, 10. Apoc. XIX, 7. *cœna*, Apoc. III, 20. *hæreditas incorruptibilis*, 1 Petr. I, 4. Rom. VIII, 17. *civitas Dei*, Hebr. XII, 22. c. XI, 10. Apoc. XXII, 19. *βραβεῖον*, Phil. III, 14. *corona justitiæ*, *vitæ* & *gloriæ*, 2 Tim. IV, 8. 1 Petr. V, 4. Jac. I, 12. 1 Cor. IX, 25. Apoc. II, 10. *domus patris cœlestis*, Joh. XIV, 2. *tabernacula æterna*, Luc. XVI, 9. 2 Cor. V, 1. *regnum Dei cœleste*, 2 Tim. IV, 18. *regnum Jesu Christi æternum*, 2 Petr. I, 11. *sessio in solio Christi*, Apoc. III, 21. *Hierosolyma cœlestis*, Gal. IV, 26. Hebr. XII, 22. *sinus Abrahæ*, Luc. XVI, 22. *gloria filiorum Dei*, Rom. VIII, 21. *æterna gloria*, 1 Petr. V, 10. *tempus refectionis*, Act. III, 20. *æternum pondus gloriæ*, 2 Cor. IV, 17. *divitiæ gloriæ hæreditatis Dei inter sanctos*, Eph. I, 18. *gaudium ineffabi-*

effabile, 1 Petr. I, 8. ἄῤῥητα ῥήματα, *quæ homo non potest eloqui*, 2 Cor. XII, 4. αἰὼν μέλλον & ἐρχόμενον h. e. *seculum futurum*, Marc. X, 30. Luc. XX, 35. 1 Tim. IV, 8. Hebr. VI, 5. & σωτηρία s. *salus*, quam vocem B. Lutherus plerumque in versione germanica per verbum Seligkeit transtulit, 1 Thess. V, 9. 2 Thess. II, 13. 1 Petr. I, 9. Phil. II, 12. Hebr. I, 14. c. II, 10. Rom. I, 16. 2 Cor. VII, 10.

Inprimis beatitudo æterna in sacris literis *vita* nuncupatur, Matth. VII, 14. c. XVIII, 8. 9. c. XIX, 17. Joh. III, 36. c. V, 29. c. XX, 31. Act. XI, 18. quia homines nil nobilius quam vitam habent, Hiob II, 4. Dicitur plerumque etiam *vita æterna*, Dan. XII, 47. Matth. XXV, 46. Joh. III, 16. c. VI, 47. c. X, 28. Rom. VI, 23. Tit. III, 7. 1 Joh. V, 11. &c. quia non habebit finem.

Distinguendum autem est inter *statum* beatitudinis & ipsa *præmia* beatitudinis. Ille promiscue promissus est omnibus, qui beate moriuntur, hæc vero consistit in diversis gradibus beatitudinis æternæ, de quibus infra pluribus agemus.

Distingui etiam potest inter *beatitudinem* ipsam & ejus *fruitionem*. Ad priorem quælibet anima beate defuncti statim post mortem, ad posteriorem vero totus homo demum post resurrectionem a morte pervenit.

Definitio *beatitudinis æternæ* ita sonat: Est status gloriæ cœlestis, ad quem omnes homines, qui

qui in fide moriuntur, a Deo ex gratia post hanc vitam evehuntur, ut in æternum omnibus bonis, quæ Deus fidelibus propter meritum Christi fide apprehensum paravit, fruantur.

CAPUT II.

DE AUCTORE BEATITUDINIS ÆTERNÆ.

Auctor beatitudinis hominum æternæ est ipse *Deus*, qui ab æterno eam paravit. Dicet enim aliquando Judex mundi ad omnes, qui ad ejus dextram constituti sunt: *Venite benedicti Patris mei, hæreditate accipite regnum*, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου h. e. *ante jactum mundi fundamentum* s. ab æterno, *vobis paratum*. Matth. XXV, 34.

Deus homines non alia de causa creavit, quam ut beatitudinem æternam nanciscantur, Sap. II. 1 Thess. V, 9. 23. Dicuntur propterea ab initio ad eam electi esse, 2 Thess. II, 13.

Voluntas benignissimi Creatoris eo quidem intendebat, ut per certum tempus deliciis mundi sancte & sobrie fruerentur; at tempore hoc præterlapso vivos in beatitudinem æternam transtulisset, nisi per lapsum a Deo defecissent & mortis pœnam sibi contraxissent.

In æternum igitur ab hac beatitudine exclusi mansissent homines, si non ipse Deus ex ineffabili amore medium invenisset, nos ex morte eruen-

eruendi & iterum beatitudinis ſuæ participes reddendi.

Hoc factum eſt per *redemptionem Filii ſui* unigeniti, quem in mundum miſit, Joh. III, 16. 1 Tim. I, 15. ut humanam naturam aſſumeret & in ſua carne non modo mortis pœnam lueret, ſed etiam Deo per obedientiam ſuam perfectiſſimam pro nobis ſatisfaceret, adeoque ipſum nobis ita reconciliaret, ut ejus virtute aliquando ad vitam & beatitudinem æternam, quam per ſuum meritum reſtituit, reſurgere queamus.

Jure meritoque hinc Chriſtus dicitur ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, h. e. *princeps & dux ſalutis*, Hebr. II, 10. item ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, ſ. *dux & princeps vitæ*, Act. III, 15. nec non ἄιτιος σωτηρίας αἰωνίου, h. e. *auctor æternæ ſalutis*, Hebr. V, 9. quatenus ſcilicet ei obedimus, & τοῦ ἐυαγγελίου αὐτοῦ ἀξίως πολιτεύομεν, ſ. ita vivimus & nos gerimus, prout evangelium Chriſti poſtulat & vera eccleſiæ chriſtianæ membra decet, Phil. I, 27. alias terribiliſſimam ejus vindictam metuendam habemus, 2 Theſſ. I, 8.

Id, quod evangelium Chriſti ab omnibus, qui ad beatitudinem æternam pervenire volunt, poſtulat, eſt *fides*, qua meritum Chriſti apprehendimus, Joh. III, 16. Sine hac fide nemo ſalvabitur, Marc. XVI, 16. Act. XVI, 31. 1 Petr. I, 9.

Hac fide enim regeneramur, juſtificamur & ſanctificamur, uti ſuo loco pluribus jam demonſtravi-

ſtravimus. Cum autem nemo ad ſalutem æternam pervenire queat, qui non regeneratus, Tit. III, 5. Rom. VIII, 17. juſtificatus, Matth. XXV, 46. c. XIII, 43. Tit. III, 7. & ſanctificatus ſit, Hebr. XII, 14. ſequitur, fidem omnino ad ſalutem æternam maxime neceſſariam eſſe.

Interim eſt & manet noſtra æterna ſalus *effectus divinæ gratiæ*, Eph. II, 5. 8. & *miſericordiæ*, Tit. III, 5. 1 Petr. I, 3. 4. quia per opera noſtra nil apud Deum mereri poſſumus, alias gratia non gratia foret, Rom. IX, 6. Rectiſſime hinc vita æterna vocari poteſt χάρισμα τοῦ Θεοῦ, h. e. *donum gratuitum Dei*, Rom. VI, 23. Eph. II, 8.

Actus, qui propterea Deo adſcribitur, dicitur *ſalvificatio* & *glorificatio*. Non modo Filio tribuitur, Matth. I, 21. c. XVIII, 11. Luc. XIX, 20. Hebr. VII, 25. 1 Tim. I, 15. 2 Tim. IV, 8. ſed etiam *Patri*, Rom. VIII, 30. Joh. III, 16. 17. 1 Cor. I, 21. Tit. III, 5. & *Spiritui S.* 1 Petr. IV, 14.

Quid *Pontificiis*, multa de merito operum loquentibus, reſpondendum ſit, alibi jam oſtendimus.

CAPUT III.

DE SUBJECTO BEATITUDINIS ÆTERNÆ.

Hoc ſunt *omnes ac ſinguli homines*, qui in vera fide moriuntur, Joh. III, 16. 36.

Beati-

Beatitudo æterna itaque non incipit in hac vita, sed demum post hanc vitam, Rom. VIII, 24. 1 Joh. III, 2. Phil. III, 12-14. Col. III, 3. 4. 1 Cor. XIII, 9. 10. 12. Homines enim antea mori, ideoque a peccato purificari debent, Rom. VI, 7. si ad beatitudinem æternam pervenire volunt.

Datur quidem *prægustus* beatitudinis æternæ in hac vita, de quo fideles gloriantur, sed consistit ille tantum in certissima spe futuræ beatitudinis & fruitione bonorum spiritualium.

Mors beata est quasi transitus in vitam æternam, Joh. V, 24. 2 Cor. V, 1. Phil. I, 21. 23. 2 Tim. II, 11. Hinc Johannes vocem hanc de cœlo audivit: *beati sunt, qui in Domino* s. in fide in Dominum, *mortui sunt* ἀπάρτι h. e. *statim ab ipso hoc momento*, Apoc. XIV, 13.

Scriptura S. tales in fide morientes *electos* vocare solet, Rom. VIII, 30. quia Deus beatam eorum mortem prævidet, ideoque eos ad vitam æternam destinat, ut suo loco pluribus docuimus.

Non igitur fideles per se ad beatitudinem æternam perveniunt, sed quatenus usque ad vitæ finem in fide constanter manent, Matth. X, 22. c. XXIV, 13. Quicunque enim coronam vitæ habere vult, usque ad mortem fidelis esse debet, Apoc. II, 10.

Cæterum apud Deum non est προσωποληψία, sed ex omni populo, qui ipsum timet & justificatus est, Act. X, 35. salvabitur.

Salva-

Salvabuntur itaque Judaei & ethnici, nobiles & ignobiles, liberi & servi, mares & foeminae, adulti & infantes, Gal. III, 28. 1 Cor. XII, 13. Eph. III, 6. 1 Petr. III, 7. si modo in vera fide moriuntur. Omnes enim homines Deus θέλει σωθῆναι, h. e. salvos fieri vult, 1 Tim. II, 4.

Ad eandem pervenient beatitudinem homines, quam *electi angeli* jam habent, quorum consortes evadent, Matth. XXII, 30. Luc. XV, 10. & quidem non solum *quoad animam* statim post obitum, Act. VII, 58. Ps. XXXI, 6. Luc. XXIII, 46. Sap. III, 1. c. IV, 14. sed etiam *quoad corpus* in resurrectione mortuorum, Rom. VIII, 11. Phil. III, 21.

CAPUT IV.
DE
LOCO ET STATU BEATITUDINIS AETERNAE.

Non negandum est, Scripturam S. beatitudinem aeternam tanquam *locum* describere, quando eam modo *caelum tertium*, 2 Cor. XII, 2. modo *paradisum*, Luc. XXIII, 43. 2 Cor. XII, 4. Apoc. II, 7. modo *sinum Abrahami*, Luc. XVI, 22. modo *civitatem vivi Dei* & *caelestem Hierosolymam*, Hebr. XII, 22. Apoc. XXI, 2. Gal. IV, 26. nominat. Ipse Christus in coelum adscendisse dicitur, Marc. XVI, 19. Luc. XXIV, 51. nec non Elias, 2 Reg. II, 11. Sed omnia haec loca

loca caute intelligenda sunt, quia cœlum & terra peribunt, Luc. XXI, 33.

Jesaias quidem de *novo cœlo* & *nova terra* vaticinatus est, Jes. LXV, 17. c. LXVI, 22. quod *cœlum* quoque & quam *terram* Johannes in visione jam vidisse gloriatur, Apoc. XXI, 1. At uterque nil aliud per novum hoc cœlum & novam hanc terram intelligit, quam ipsam beatitudinem æternam, sicut ipse Petrus id satis clare indicat, 2 Petr. III, 13-15.

Deus, cum cœlestem beatitudinem per certum πoῦ s. locum descripserit, se accommodavit ad humanæ mentis imbecillitatem, quia nemo sibi imaginari potest statum sine loco. Saltem non ejusmodi locus existere potest in æternitate, sicut nobis in hac vita animo concipere solemus.

Plurimi Theologi, qui locum beatitudinis æternæ statuunt, malunt illum τὸ πoῦ nominare, quod tamen unam eandemque cum loco significationem habet. Describunt autem nonnulli cum Joh. Frimelio *in Diss. de cœlo beatorum* τὸ πoῦ *beatorum* per *cœlum increatum, illocale* & *æternum*, at non accurate, quia nil *increatum* dici potest, quod non sit ipse Deus.

B. Phil. Lud. Hannekenius, Theologus Wittebergensis, *in Diss. de vita æterna c. 2. §. 8* docuit, vitam æternam esse intra ipsum Deum. At hypothesis hæc ad periculosas conclusiones occasionem dare potest.

Optime facimus, si beatitudinem æternam per *statum gloriæ æternæ* describimus, in quo Deus in eminentissimo gradu existit, angeli vero & electi in minori gradu versantur.

Non autem inter hanc & æternam vitam *status* datur *intermedius*, ut Pontificii somniant, quem modo *purgatorium*, modo *limbum Patrum* & *infantum* nominant. Refutatur hic status intermedius 1) ex Apoc. XIV, 13. ubi in Domino morientes ἀπάρτι beati dicuntur; 2) ex Luc. XXIII, 43. ubi Christus latroni pœnitenti eo ipso die, quo moriturus erat, introitum in paradisum promittit & 3) ex Luc. XVI, 22. 23. ubi de Lazaro & divite helluone narratur, eos statim post obitum partim in sinum Lazari, partim in gehennam venisse.

CAPUT V.
DE
FORMA BEATITUDINIS ÆTERNÆ.

Hæc consistit in *sempiterna fruitione* omnium *bonorum*, quæ Deus in statu gloriæ suæ electis angelis & hominibus ex singulari gratia paravit.

Hæc *bona* sunt vel *privativa* vel *positiva*.

Bona privativa sunt, quæ in absentia omnium malorum, & *positiva*, quæ in præsentia verorum bonorum consistunt.

Quicquid in homine est & ad ejus personam naturamque pertinet, beatitudinis æternæ particeps

ticeps redditur. Totus enim homo non solum ad imaginem Dei conditus, sed postea etiam a Christo redemptus, a Spiritu S. vero regenitus & sanctificatus est. Hinc etiam totus homo vel salvabitur vel damnabitur.

Homo constat ex *duabus partibus*, quæ ejus essentiam constituunt, scilicet *anima* & *corpore.*

Utraque pars ad beatitudinis æternæ s. status gloriosissimi fruitionem post hanc vitam evehetur, ejusque bonorum pro ratione utriusque naturæ particeps reddetur, si nempe homo in fide moritur.

Corpus cum suis membris spirituales perfectasque accipiet qualitates, de quibus infra speciatim acturi sumus.

Anima duas facultates habet, quæ ejus excellentiam & præstantiám constituunt. Hæ sunt *intellectus* & *voluntas.*

Intellectus est facultas intelligendi, cogitandi, sciendi & judicandi, *voluntas* vero facultas appetendi & aversandi.

Utraque facultas fruitionem æternæ beatitudinis participat, quantum scilicet per uniuscujusque naturam licebit.

Agemus hinc in sequentibus capitibus, 1) de beatitudine æterna quoad intellectum, 2) de beatitudine æterna quoad voluntatem, & 3) de beatitudine æterna quoad corpus.

Consistet autem omnis beatitudinis æternæ forma in ejusdem *fruitione sempiterna*, ad quam

vero electi non prius pervenient, quam post resurrectionem a mortuis.

Hanc fruitionem Scriptura S. describit per *æternam gloriam* 1 Petr. IV, 10. 2 Cor. IV, 17. Eph. I, 18. Rom. VIII, 21. per *gaudium ineffabile*, 1 Petr. I, 8. c. IV, 13. Ps. XVI, 11. 2 Cor. XII, 4. & per *epulas nuptiasque*, in quibus multifaria dari solet animi & corporis oblectatio. Erit autem æterna oblectatio multo major, quam nobis in hac vita imaginari possumus, 1 Cor. II, 9.

Infra de fruitione æternæ beatitudinis plura dicemus.

CAPUT VI.
DE
BEATITUDINE ÆTERNA QUOAD INTELLECTUM.

Intellectus ea animæ facultas est, qua aliquid cognoscimus. Hoc fit per *ideas*, quæ in intellectu ex repræsentatione objecti oriuntur. Quo excellentius autem objectum est, & quo perfectius istud cognoscere possumus, eo major etiam est oblectatio animi, quam ex objecti cognitione capimus.

Facile inde colligi licet, quali & quanta beatitudine aliquando electi perfundantur, quando eorum intellectus non solum Deum & Christum, imo omnes angelos, amicos & propinquos, nec non omnes res cœlestes pro objecto habe-

habebit, sed etiam omnia hæc perfectissime cognoscet & in ejus contemplatione in æternum occupatus erit.

Scriptura S. cognitionem hanc nominat *visionem.* Est vox metaphorica, qua significatur, nos aliquando omnia tam distincte & clare cognituros esse, quam clare & distincte cognoscere solemus res, quæ ob oculos versantur.

Præcipuum *objectum*, quod intellectui nostro in statu beatitudinis per actum cognoscendi perfectissimum præsens redditur, est *Deus unitrinus*, in luce inaccessibili habitans, 1 Tim. VI, 16.

Hunc in hac vita nemo videre, Exod. XXXIII, 20. nec perfecte cognoscere potest, 1 Cor. XIII, 12. Tunc autem perfectissime & quasi a facie ad faciem istum cognoscemus, 1 Joh. III, 2. 1 Cor. XIII, 12. Matth. V, 8. Hebr. XII, 14.

Dicitur hæc visio *cognitio intuitiva*, quia actu simplici & sine speciebus intelligibilibus, a rebus creatis desumtis, ista fiet, nec non *cognitio comprehensiva*, quia non modo nil eorum, quæ in Deo formaliter sunt, intellectum nostrum latebit, sed etiam cum apprehensione cœlestium bonorum, ad quæ tanquam ad βραβεῖον quasi hic currimus, conjuncta erit, 1 Cor. IX, 24. Phil. III, 13. 14. Alias etiam nuncupatur *visio beatifica*, quia ad formam beatitudinis æternæ pertinet.

Si *Deum* perfectiſſime cogerituri ſumus, etiam ejus *attributa eſſentialia, decreta*, *opera* & *judicia* imperſcrutabilia, nec non *occultos divinæ ſapientiæ theſauros* in Chriſto, *myſterium Trinitatis, œconomiam ſalutis* noſtræ & omnia *regni divini myſteria*, quæ hic tantum per ſpeculum in ænigmate cernimus, 1 Cor. XIII, 12. cognoſcemus & intelligemus.

Ad objectum beatificæ viſionis pertinet inprimis etiam *Chriſtus*, quem aliquando videbimus, ſicut eſt, 1 Joh. III, 2. Hebr. XII, 14. Cognoſcemus tunc perfectiſſime omnia, quæ nobis de eo in hac vita incomprehenſibilia fuerunt, e. g. ejus incarnationem, duarum naturarum in ejus perſona unionem, dilectionis hominum magnitudinem, mortis & reſurrectionis ejus genuinam rationem, opus redemptionis & ſalvificationis, myſterium ſacræ cœnæ & reſurrectionis carnis, & id genus alia, quæ ad fundamentum ſalutis noſtræ, per Chriſtum acquiſitæ, pertinent & a nobis credi debent, etſi in hac vita non intelligere queamus.

Creat autem omnis veritatis cognitio voluptatem, uti in *eruditis* animadvertimus, qui diu noctuque libris affixi ſedent & in literarum ſtudio omnes animi & corporis vires conſumunt, ut veritatem inveniant, in cujus aucupio ſummam ſentiunt oblectationem. Quidni electi maxima voluptate perfundantur in contemplatione Dei, ſummi boni, cujus eſſentiam, attributa, opera & decreta ſecundum eorum

veram

veram indolem & naturam tunc perfectissime cognoscent? Recte hinc *videre* & *gaudere* conjunguntur, Jes. LXVI, 14. Joh. XVI, 22. Ps. XVII, 15. Ps. XVI, 11.

CAPUT VII.

DE BEATITUDINE ÆTERNA QUOAD VOLUNTATEM.

Ad beatitudinem beatorum *quoad voluntatem* pertinent 1) intensissimus amor erga Deum, 2) præstantissima libertas circa diversa bona & 3) summa impeccabilitas. Omnia hæc oriuntur ex visione s. cognitione & contemplatione Dei, tanquam summi boni.

Quo magis præstantia alicujus boni cognoscitur, eo major etiam est *amor* & *dilectio*, qua voluntas ad istud trahitur. Et hic voluntatis tractus s. animi inclinatio est fundamentum omnis amoris. Facile inde judicari licet, quam magnus aliquando electorum amor erga Deum in vita æterna sit!

Scriptura S. ideo cognitionem Dei cum amore Dei arctissime connectit, 1 Joh. IV, 7. 8. Certum igitur est, beatos eo magis Deum amaturos esse, quo perfectius eum cognoscent. Paulus hinc *charitatem* nunquam cessaturam, adeoque in ipsa vita æterna locum habituram & propterea fide præstantiorem esse asserit, 1 Cor. XIII, 8. Sicut autem *Deus* præcipuum

charitatis objectum eſt, ita etiam Deum intenſiſſimo amore proſequentur electi & in eodem acquieſcent.

Altera voluntatis beatorum *perfectio* conſiſtet in *præſtantiſſima libertate*. Hæc quidem non abſoluta, at ita tamen determinata erit, ut beati non poſſint non verum bonum appetere & ab omni vero malo averſari. Perfectiſſima veritatis cognitio eos impediet, quo minus voluntas illorum ad apparens bonum flectat, aut a Dei voluntate deflectat. Non enim libertas voluntatis eorum circa aliud objectum verſabitur, quam quod vere bonum eſt. Poterunt igitur beati liberrime hoc vel illud bonum aut agere, aut non agere. Quicquid autem circa diverſa bona particularia agent, ad Dei gloriam ſpectabit. Et talis libertas ea ipſa eſt, qua non modo angeli, ſed etiam ipſe Deus in excellentiſſimo gradu gaudet.

Tertia voluntatis beatorum *perfectio* eſt *impeccabilitas*, quæ ex pleniſſima Dei inhæſione exiſtit. Voluntas enim, cum intellectum ab intuitiva viſione Dei non avertere queat, ab intellectu, in Deum defixo, ſemper ita movebitur & regetur, ut nullo modo ab eo deficere, nec contra ipſum peccare poſſit. Non ſolum Satanæ inſidiis, mundique ſcandalis & lenociniis non amplius expoſiti erunt electi, ſed aberit etiam omnis carnis tentatio & lucta, ipſaque peccati originalis radix & fomes. Et hæc eſt illa ἀναμαρτησία ſ. impeccabilitas, quæ beatis

tis in vita æterna adscribi solet. Comparatur ea cum bysso munda & splendida, quia induti dicuntur electi, insidentes albis equis, Apoc. XIX, 14. Erunt in bono confirmati, sicut angeli, qui nunquam a Deo deflectere possunt.

CAPUT VIII.
DE
BEATITUDINE ÆTERNA
QUOAD CORPUS.

Corpora beatorum erunt *spiritualia*, ut expresse Paulus docet, 1 Cor. XV, 44. Caro enim & sanguis naturalis non in regnum cœlorum introire possunt, v. 50. Neutiquam autem *corpora* in spiritus, qui per essentiam suam immateriales sunt, permutabuntur, uti *Sociniani* perhibent, qui resurrectionem corporum in dubium vocant.

Beati omnino *vera corpora* habebunt, & quidem non aliena, sed ea ipsa, quæ in hac vita habuerunt, alias homo non dici posset, mercedem operum suorum quoad corpus consecuturus esse.

Paulus testatur, corpora beatorum *glorificato corpori Salvatoris nostri* σύμμορφα fore, Phil. III, 21. Sicuti itaque Jesus cum suo glorificato corpore post resurrectionem clausas fores penetrare, se conspiciendum præbere, manibus discipulorum contrectari & in eadem statura & forma, quam ante mortem habuit, ap-

parere potuit, Joh. XX, 19. 26. Luc. XXIV, 37. 39. ita etiam nostra corpora in statu glorificationis visibilia quidem, contrectabilia & pristinam figuram & staturam habentia, sed simul summe subtilia, agilia, illæsibilia & incorruptibilia erunt.

Ut hæc eo melius cognoscamus, in corporibus electorum glorificatis *sequentes* perpendemus *proprietates*, scilicet 1) subtilitatem, 2) agilitatem, 3) illæsibilitatem, 4) incorruptibilitatem & 5) claritatem.

Prima corporum glorificatorum *proprietas* erit *subtilitas*. Tam subtilia enim ista in statu beatitudinis æternæ erunt, ut absque ulla mutatione aut læsione aliud solidum corpus, si modo adesset, penetrare possent. Probatur exemplo glorificati corporis Christi, cui nostra corpora similia erunt, Phil. III, 21.

Altera proprietas erit *agilitas*, cujus virtute corpora facillime & celerrime moveri poterunt. Hinc corpora piorum, quæ in infirmitate seruntur, resurrectura esse dicuntur ἐν δυνάμει s. *in potentia*, 1 Cor. XV, 43. Hoc ita intelligendum est, ut corpora eorum, quæ in hac vita gravia, tarda, lenta & pigra fuerunt, in resurrectione peculiarem potentiam & agilitatem, celerrime se movendi, acceptura sint. Rapientur ideo Domino obviam in aera, 1 Thess. IV, 17.

Tertia corporum glorificatorum *proprietas* erit *illæsibilitas*, secundum quam nulli dolori, nec læsio-

læsioni, nec passioni obnoxia erunt, Apoc. XXI, 4. Nec æstu, nec frigore affici poterunt, ideoque nec vestibus, quibus adversus injurias aeris & tempestatis muniantur, opus habebunt. Nec fame, nec siti affligentur, atque adeo neque cibo, neque potu indigebunt, Apoc. VII, 16.

Quarta proprietas erit *incorruptibilitas* & *immortalitas*, 1 Cor. XV, 42. 50. 52-54. Hæc autem multo aliter comparata erit, quam ea fuit, qua in statu integritatis gavisi sunt primi parentes, quibus possibile fuit mori, quod vero beatis per naturam suam prorsus impossibile erit.

Quinta proprietas erit *claritas s. splendor*, quo lucebunt instar solis & stellarum, Matth. XIII, 43. Dan. XII, 3. 1 Cor. XV, 41, 42. Talem claritatem habent angeli, Luc. II, 9. c. XXIV, 4. Matth XXVIII, 3. quibus homines similes evadent, Matth. XXII, 30. Claritas hæc est splendor illius gloriæ, qua circumdatus est Deus, & quam participant omnes, qui ad Deum appropinquant, Exod. XXXIV, 29. 30. 33. 35. Matth. XVII, 2.

Hisce proprietatibus addi potest 1) quod *corpora beatorum non aliam speciem & formam habitura sint, quam in hac vita habuerunt.* Resurgent igitur in eadem statura, & flore ætatis, in quo mortui sunt, alias non cogniti forent iis, quibuscum in mundo versati sunt. Infantes non majora, & gigantes non minora habebunt corpora, utrisque autem non deerit perfectio

fectio qualitatum animæ & corporis, ad eorum glorificationem spectans, qua de causa etiam nec nævus, nec vitium nec deformitas in corporibus electorum locum habebit, sed excellenti proportione & pulchritudine gaudebunt.

Ad proprietates glorificatorum corporum referri potest, 2) quod *visibilia & palpanda* forent. Alias non vera essent corpora extensa, nec certam speciem haberent. Quod enim sensibus non percipi, ideoque nec cerni nec palpari potest, simplex spiritus est. Hinc Christus post resurrectionem glorificatum suum corpus non modo discipulis videndum & palpandum dedit hisce verbis: *contrectate me & videte: nam spiritus non carnem & ossa habet, uti me habere videtis*, Luc. XXIV, 39. sed quoque sensibus eorum iterum subducere potuit, Luc. XXIV, 31. Act. X, 41. Utrumque etiam de glorificatis electorum corporibus dici potest, ut exempla non modo Mosis & Eliæ, Matth. XVII, 3. sed illorum quoque docent, qui cum Christo resurrexerunt, Matth. XXVII, 53.

Accedit 3) quod *sensuum usu gavisuri sint electi.* Habebunt enim vera corpora: hinc etiam non sensuum organis destituti erunt. His autem si præditi sunt, cur iisdem non etiam utantur? Non dubium igitur est, electos aliquando in vita æterna oculis visuros, auribus audituros, manibus contrectaturos, pedibus ambulaturos & lingua oreque locuturos esse. Alias nesci-

nesciretur, cur electi organis & membris corporis in vita æterna prædit forent. *Objectum* autem, quod oculis suis glorificatis videbunt, erunt *Filius Deus incarnatus*, Hiob XIX, 25-27. & *beati homines*, nec non omne, quod in statu beatitudinis in sensus incurret; Deum ipsum vero & angelos, qui per se invisibiles sunt, non nisi intellectualiter cognoscent. Idem fiet cum cæteris sensibus. Etsi glorificati sint, non tamen aliud quid nec audire nec percipere poterunt, quam quod per naturam audiri & sensibus percipi potest. Audient igitur verba Christi aliorumque electorum, nec non hymnos, quibus laudabitur Deus & Christus in vita æterna, Apoc. VII, 10-12. c. XI, 15-17. c. XII, 10-12. &c.

Respectu convenientiæ corporum electorum cum corpore glorificato Christi distinguendum est inter Christi corporalia propria & ejus *αὐχήματα*. Illa spectant ad glorificatum *Christi corpus*, & hæc ad glorificatam ejus *humanam naturam*. Respectu prioris glorificationis beati Christo similes erunt, non vero respectu posterioris.

Christus ipse propterea distinguit inter *thronum suum* & *thronum Patris sui*. Non in hujus, sed in illius consortium venient electi, Apoc. III, 21.

CAPUT

CAPUT IX.

DE IPSA FRUITIONE BEATITUDINIS ÆTERNÆ.

Supra jam audivimus, beatitudinem ab ejus fruitione distinguendam esse. Beatitudo æterna est status ille felix & gloriosus, in quem statim post mortem animæ beate defunctorum transferuntur, ad ejus fruitionem vero non prius pervenient electi, quam post resurrectionem suorum corporum.

Quæritur nunc: *Qua in re consistat ipsa fruitio beatitudinis æternæ?* Consistet in dulcissima perceptione summæ voluptatis, ineffabilique gaudio & oblectamento, quod electi capient ex intuitiva contemplatione Dei & Christi, nec non in accurata cognitione mysteriorum fidei, familiari consortio angelorum, jucundissima conversatione cum beatis amicis & propinquis, triumpho super victos hostes, Apoc. XII, 11. 12. sessione in throno Christi, splendore gloriæ cœlestis, liberatione ab omni malo, perpetua celebratione nominis divini, restitutione imaginis Dei, æterna mansione in domo Patris cœlestis & aliis bonis cœlestibus.

Hæc dulcissima voluptatis gaudiique perceptio erit 1) *perfectissima.* Non modo nihil boni ei addi poterit, quia tunc veniet, quod perfectum est, 1 Cor. XIII, 10. sed etiam nil mali

ei

ei admixtum erit. Absterget enim Deus omnes lacrymas ex oculis beatorum, neque mors amplius extabit, neque luctus, neque clamor, neque labor amplius erit, quia præcedentia abierunt, Apoc. XXI, 4. c. VII, 16. c. XXII, 5. Deus erit tunc omnia in omnibus, 1 Cor. XV, 28.

Erit voluptas lætitiaque electorum 2) *ineffabiliter magna*, 1 Cor. II, 9. 2 Cor. XII, 4. 1 Petr. I, 8. Psalm XXXVI, 9. Huc spect nt omnes similitudines & imagines, sub quibus Scriptura S. magnitudinem cœlestis gaudii repræsentat. Desumtæ sunt e. g. a *nuptiis*, Matth. XXV, 10. Apoc. XIX, 7. *convivio*, Luc. XXII, 30. Matth. VIII, 11. Apoc. III, 20. Luc. XVI, 22. *paradiso*, Luc. XXIII, 43. Apoc. II, 7. *brabeo & corona*, Phil. III, 14. 2 Tim. IV, 8. 1 Petr. V, 4. *hæreditate*, 1 Petr. I, 4. Eph. I, 18. *summa gloria*, 2 Cor. IV, 17. *summa refectione*, Act. III, 20. *summa pace & securitate*, Jes. XXXII, 18.

Erit cœleste gaudium 3) *continuo durans & nunquam interrumpendum.* In hac vita gaudium & tristitia plerumque se invicem sequuntur, Prov. XIV, 13. Eccl. III, 4. in vita vero æterna lætitia & voluptas electorum nunquam interrumpetur, sed perpetuo continuabit, quia omnia cessabunt, quæ gaudia turbare statumque beatitudinis variare possunt, Apoc. XXI, 4. Nec nauseam creabunt cœlestia gaudia electis, uti plerumque in hac vita fieri solet, sed quo diutius durabunt, eo major erit oblectatio

Gloriæ

Gloriæ & gaudii non ſaturi fient, etſi conſtanter quaſi a torrente deliciarum inebrientur, Pſ. XXXVI, 9.

Erit denique cœleſtis voluptas & lætitia 4) *nunquam finienda, ſed in æternum permanſura.* Vocatur beatitudo cœleſtis propterea *vita æterna*, Matth. XXV, 46. *corona non marceſcens*, 1 Petr. V, 4. *regnum non finem habens*, Luc. I, 33. Jeſ. IX, 7. *ſempiterna gloria*, 2 Cor. IV, 17. & *hæreditas, quæ nec corrumpi, nec contaminari, nec marceſcere poteſt*, 1 Petr. I, 4. beati autem dicuntur *ſemper apud Dominum eſſe*, 1 Theſſ. IV, 17.

Eſt autem *æternitas beatorum* ab æternitate Dei diſtinguenda. Hæc eſt abſoluta & habet neque principium neque finem, beatorum vero æternitas a voluntate & benignitate Dei dependet, qui ex ſingulari gratia fideles homines perinde ac angelos ad vitam æternam creavit. Num autem in hac æternitate *ſucceſſio momentorum* locum habeat, ut a quibusdam Philoſophis hodiernis ſtatuitur, in medio relinquimus. Interim meretur de hac re JOH. AUG. KOESELITII *Diſputatio* legi, quam anno 1726. Lipſiæ in cathedra philoſophica habuit.

CAPUT X.
DE
GRADIBUS BEATITUDINIS ÆTERNÆ.

In vita æterna omnino dabuntur *gradus* beatitudinis & gloriæ. Dicitur iſta propterea

retri-

retributio secundum opera, Rom. II, 6. Prov. XXIV, 12. Matth. XVI, 27. *secundum justitiam*, 1 Sam. XXVI, 23. & *secundum labores*, 1 Cor. III, 8.

Deus exercebit jus talionis, Luc. VI, 38. Qui parce serit, parce quoque metet, 2 Cor. IX, 6. Erimus ἰσάγγελοι, Matth. XXII, 30. Ut vero angelorum varii dantur ordines, Col. I, 16, ita etiam electorum hominum.

Sicut alia claritas est solis, alia lunæ, alia stellarum: ita etiam diversa dabitur claritas inter beatos, 1 Cor. XV, 41. 42. Exempla doctorum veritatis & justitiæ hoc probant, Dan. XII, 3.

Si pœnæ infernales suos habebunt gradus, Matth. XI, 22. 24. ita etiam beatitudo æterna. Postulat hoc Dei justitia retributiva, ejusque officium judicis, nec non natura mercedis, quam quilibet homo secundum mensuram fidei & operum suorum accipiet, Apoc. XXII, 12. 1 Cor. III, 8. Matth. XX, 4.

Distingui itaque debet *beatitudo æterna* ab *æternis præmiis*.

Beatitudo æterna per se considerata f. *vita* & *salus æterna* omnibus electis communis est, Matth. XX, 8-10. Quicunque enim credit, salvabitur, Matth. XVI, 16. Actor. XVI, 31. Apoc. XIV, 13.

Præmia vero *æterna* diversa sunt pro diversitate fidei, pietatis, charitatis & operum fidelium, quibus se præ cæteris in hac vita distinxerunt.

xerunt. Quidam enim in fide & pietate sunt infantes, 1 Cor. III, 1. 2. 1 Joh. II, 13. alii juvenes, 1 Joh. II, 13. 14. alii viri, Eph. IV, 13. & alii patres, 1 Joh. II, 13. 14.

Quo major igitur alicujus hominis in hac vita fides, pietas, patientia, abnegatio sui ipsius, dilectio Dei & proximi, martyrium, exemplum probitatis & studium bonorum operum est, eo majus etiam in vita æterna præmium erit, quo Deus ex gratia eum aliquando donabit.

Erunt autem hæc *cœlestia præmia* partim essentialia, partim accidentalia. *Essentialia* erunt, quæ ad ipsam beatitudinis æternæ formam spectant; e. g. cœlestis gloria, honor, lætitia, voluptas, cognitio &c. *accidentalia* vero, quæ non ad beatitudinis formam spectant, sed a speciali gratia Dei dependent. Huc pertinent sessio in solio Christi, Matth. XIX, 28. sessio ad Christi dextram & sinistram, Matth. XX, 23. publica laus coram angelis, Luc. XII, 8. & speciales illæ prærogativæ, quæ septem Asiaticis episcopis Apoc. II. & III promittuntur, item diversæ electorum coronæ; quarum in Scriptura S. mentio fit.

Præmia electorum essentialia gradu inter se differunt. Quidam electi præ cæteris majorem splendorem, 1 Cor. XV, 43. 44. quidam vero majorem honorem ad exemplum duodecim seniorum, Apoc. IV, 10. habebunt. Nonnulli propinquiorem ad Deum & Christum aditum

acci-

accipient, alii vero majus gaudium percipient. Aliqui majorem ex visione Dei voluptatem capient, aliis vero superior in regno Dei locus dabitur, qui modo per sinum Abrahami, Luc. XVI, 22. modo per sessionem ad latus patriarcharum, Matth. VIII, 11. indicatur. Quidam vivent in intimiori communione cum Christo &c.

Optime de hisce præmiis cœlestibus egit Cl. Jo. Frid. Frischius in Tractatu, quem sub titulo Abhandlung von den Belohnungen in den ewigen Hütten, Lipsiæ an. 1749. in lucem edidit.

Non autem *invidiam* apud cæteros creabit major beatitudinis æternæ gradus, ad quem certi electi præ aliis aliquando evehentur. Talis peccaminosus animi affectus tunc non amplius locum habebit. Omnes quoque electi cognoscent, se plus beatitudinis in vita æterna consecutos esse, quam meruerunt & unquam crediderunt.

LIBER XX.

DE DAMNATIONE ÆTERNA.

CAPUT I.

DE DAMNATIONE ÆTERNA IN GENERE.

Damnatio æterna est ſtatus ille infeliciſſimus, qui proprie lapſis ſpiritibus ſ. *diabolis* paratus eſſe dicitur, Matth. XXV, 41.

Homines, cum a Deo defecerint & diabolo ejusque dominio ſeſe dederint, ad eundem ſtatum condemnati ſunt.

Vocatur hic ſtatus plerumque *infernus*, qui complexum omnium malorum, quibus anima & corpus in æternum afficientur, indicat.

Gravitas dolorum infernalium, quibus damnati cruciabuntur, ex ſequentibus deſcriptionibus biblicis judicanda eſt. Nominat enim Scriptura S. damnationem æternam 1) *ignem inextinguibilem* & *vermem non moriturum*, Jeſ. LXVI, 24. Marc. IX, 44. 2) *ὠδῖνας*, ſ. *dolores parturientis mulieris*, Luc. XVI, 24. 25. 3) *βασάνους* ſ. *cruciatus*, quales dantur in quæſtione per tormenta, Apoc. XIV, 10. c. XX, 10. 4) *mortem æternam*, Joh. VIII, 51. 52. 5) *mortem*

tem secundam, Apoc. II, 11. c. XX, 6. 6) ἀπώλειαν, s. *exitium* & *interitum*, Matth. VII, 13. c. X, 28. Joh. XVII, 12. Rom. IX, 22. 7) ὄλεθρον αἰώνιον s. exitium æternum, 1 Tim. VI, 9. 8) *lacum sine aqua*, Zach. IX, 11. 9) *carcerem*, Matth. V, 25. 26. 1 Petr. III, 19. 10) κάμινον τοῦ πυρὸς s. fornacem igneum, Matth. XIII, 42. 50. Apoc. IX, 2. 11) *paludem igneam, urentem sulphure*, Apoc. XIV, 10. c. XIX, 20. c. XX, 10. c. XXI, 8. 12) διχοτομίαν s. *dissectionem*, genus crudelissimæ mortis, Matth. XXIV, 51. Luc. X, 46. 13) γέενναν τοῦ πυρὸς s. *ignem gehennæ*, Matth. V, 22. 14) *tenebras extremas*, ubi datur fletus & stridor dentium, Matth. VIII, 12. c. XXII, 13. c. XXV, 30. & 15) *caliginem tenebrarum in æternum durantem*, 2 Petr. II, 17. Jud. v. 13.

Damnatio æterna optime definiri potest per complexum omnium malorum animæ & corporis, quibus ex justitia Dei vindicativa omnes impii & increduli homines cum spiritibus malis in statu æternitatis sine fine & spe redemptionis cumulabuntur.

CAPUT II.

DE

AUCTORE DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Auctor damnationis æternæ non alius est, quam ipse *Deus omnipotens*, qui ex justitia vindi-

vindicativa non potest non omnes, qui contra eum peccant & media gratiæ rejiciunt, ab æterna beatitudine excludere eosque æternis pœnis affligere.

Deus quidem amat omnes creaturas, Sap. XI, 25. & inprimis homines, Joh. III, 16. nec vult, ullum ex iis perire, 2 Petr. III, 9. sed potius omnes salvos facere, Matth. XVIII, 11. Joh. III, 17. At cum secundum suam sanctitatem, justitiam & veracitatem neminem suæ æternæ gloriæ participem reddere nec impunitum dimittere possit, qui malitiose ipsum offendit, neutiquam cum bonitate Dei pugnat, si ejusmodi peccatorem æternis pœnis afficit. Fit hoc ad satisfaciendum læsæ ejus majestati.

Dantur aliqui ex nostratibus Theologis, qui Deum *decreti damnationis conditorem & executorem* dicere malunt, quam ipsius damnationis auctorem. At quis non idem hoc dictum esse putet, quam, Deum ipsum esse causam efficientem & auctorem damnationis, cum decretum damnationis a non alio, quam ab ipso Deo proficiscatur.

Deus omnino is est, qui 1) infernum paravit, Matth. XXV, 41. 2) qui animam & corpus hominum in gehenna perdet, Matth. X, 28. 3) qui diem constituit, quo per Christum cum justitia judicabitur totus terrarum orbis, Act. XVII, 31. 4) qui retribuet cuilibet pro ratione operum ejus, Rom. III, 6. 2 Cor. V, 10.

5) qui

5) qui cum incendio flammæ ultionem infliget impiis & incredulis, 2 Theff. I, 8. 9. & 6) qui omnos impios tanquam maledictos a se in ignem æternum discedere jubebit, Matth. XXV, 41. 46.

Non autem Deus homines condemnabit ex absoluto decreto, sed ex voluntate consequente & quasi cum dolore, quia per se omnium salutem vult & ut ad cognitionem veritatis perveniant, 1 Tim. II, 4. Joh. III, 16. Non igitur vult mortem impii, sed ut se convertat & vivat, Ezech. XXXIII, 11. Hoc autem si intermittit peccator, sibi ipsi culpam tribuere debet, quando ad æternos cruciatus damnatur.

Recte hinc Paulus scripsit: *Justum est apud Deum, reddere impiis afflictionem & infligere ultionem iis, qui Deum nesciunt, neque auscultant evangelio Domini nostri Jesu Christi*, 2 Theff. I, 6. 8. 9. item: *Pro duritie tua & corde resipiscere nescis, ipse tibi tanquam thesaurum colligis iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*, Rom. II, 5.

Quæritur autem: *annon injuste agat Deus, si temporalia peccata æternis pœnis puniat?* Respondetur negando, quia 1) peccatur contra Deum infinitum, 2) contemnitur meritum Filii Dei, quod infiniti valoris & pretii est, 3) gratia Dei ab impiis spernitur, etsi tempus gratiæ in æternum duraret, 4) impossibilitas resipiscendi in inferno remissionem peccatorum impossi-

bisem reddit, & 5) Deus alias etiam injuste ageret, si peccatores propter fidem finalem æternis gaudiis afficeret.

CAPUT III.
DE
SUBJECTO DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Hoc sunt inprimis *diaboli* & *mali spiritus*, qui maximi hostes Dei & auctores peccati omnisque mali sunt, & qui primum a Deo defecerunt hominumque genus seduxerunt & in suum regnum traxerunt. Hinc Christus expresse dixit, quod infernus & ignis æternus paratus sit diabolo & angelis ejus, Matth. XXV, 41.

Hoc testantur etiam Petrus & Judas, dicentes, Deum angelos peccantes in tartarum detrusisse catenisque tenebrarum vinctos ad judicium & damnationem tradidisse, 2 Petr. II, 4. Jud. v. 6.

Præter diabolos etiam *homines impii* & *finaliter increduli* subjectum damnationis æternæ sunt.

Qui non credit, dixit Christus, *damnabitur*, Marc. XVI, 16. Joh. III, 18. 36. Talis enim homo non particeps est Filii Dei, 1 Joh. V, 12. sine quo nulla datur salus æterna, Act. IV, 12. c. XVI, 31.

Deus

Deus non respectum personarum habet. Sicut inter omnes gentes ii tantum, qui ipsum timent & juste vivunt, accepti sunt, Act. X, 34. 35. ita etiam Deus omnes odit & damnat, qui male vivunt & non in Filium ejus credunt, sive sint reges & principes, sive subditi & servi; sive sint divites sive pauperes, sive sint mares sive fœminæ, sive sint senes sive juvenes, sive sint hujus, sive illius nationis aut gentis.

Quicunque non norunt verum Deum, nec obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi, pœnam æternam pendent, 2 Thess. I, 8. 9.

Catalogum damnandorum vide Rom. I, 29-32. 1 Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19-21. Eph. V, 3-5. Col. III, 5. 6. 1 Tim. III, 2-5. Apoc. XXI, 8. c. XXII, 15.

Facile inde judicari potest, numerum damnandorum multo majorem esse, quam numerum hæredum beatitudinis, Matth. VII, 13. 14. Luc. XIII, 23. 24.

Præcipui inter damnandos homines sunt 1) omnes *Athei*, *Deistæ* & *Naturalistæ*, qui Deum negant & Christum rejiciunt, 2) omnes *ethnici*, qui verum Deum ignorant & contra conscientiam agendo se inexculpabiles reddunt, Rom. I, 20 sq. 3) omnes *Muhamedani*, qui Scripturam S. rejiciunt, mendaci prophetæ Mahometho credunt, & Christum respuunt; 4) omnes *moderni Judæi*, qui Scripturam S. N. T. con-

 tem-

temnunt & in Jesum Nazaraenum, tanquam verum Messiam & Salvatorem mundi non credunt; 5) omnes *Sociniani*, qui mysterium Trinitatis & satisfactionem Christi negant; 6) omnes *haeretici*, qui malitiose & contra fundamentum fidei errant, & 7) omnes in orthodoxa ecclesia viventes qui impie vivunt & fidem per proaeretica peccata abnegant.

Interim hi omnes, quamdiu in hac vita versantur, non omni spe salutis destituti sunt, quia incredulitatem, malitiam, errores, blasphemationes, peccata proaeretica, & quicquid damnationis aeternae reos istos facit, poenitenti animo ante obitum agnoscere, in Christum credere & beate mori possunt, uti exempla Manassis, latronis ad dextram Jesu crucifixi, aliorumque, qui ante mortem se converterunt, docent.

Incipit quidem damnatio statim post mortem, Luc. XVI, 22. 23. at distinguendum tamen est inter damnationem secundum quid consummatam & damnationem absolute consummatam.

Distingui etiam potest inter damnationis statum & ejus plenam sensionem. Prior incipit statim post mortem, posterior vero post judicium extremum. Dicet enim tunc judex ad impios; *abite a me maledicti in ignem aeternum*, quo dicto statim εἰς κόλασιν αἰώνιον s. ad aeternum supplicium ibunt, Matth. XXV, 31. 46.

CAPUT IV.
DE
CAUSIS DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Genuina damnationis æternæ caufa eft *incredulitas finalis*, quæ propterea maximum vocari poteft peccatum.

Peccatorum quidem *ftipendium*, *merces* & *pœna* eft *mors* tam fpiritualis & corporalis, quam æterna, Rom. VI, 23. c. VIII, 13. Jac. I, 15. fed proprie loquendo peccata per fe non funt caufa damnationis hominum, quia a culpa eorum per Chriftum redempti funt omnes, qui fide apprehendunt meritum ejus. Non ideo tam atrox committi poteft peccatum, quod non remittatur in hac vita, fi fidei in Chriftum locus datur, Matth. XII, 31. Marc. III, 28.

Sicut fides unicum eft medium confequendæ gratiæ divinæ & vitæ æternæ, ut fupra audivimus: ita etiam fola incredulitas damnationis æternæ caufa eft. Chriftus hinc non dixit: qui atrociter peccat, *damnabitur*, fed *qui non credit*, Marc. XVI, 16.

Omnes homines per fe funt peccatores fine difcrimine, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, h. e. *deficiunt imagine Dei*. Hinc etiam non aliter, quam ex gratia Dei, per redemptionem Chri-

sti fide apprehensi, quatenus peccata iis remittuntur, justificantur, Rom. III, 23-25.

Peccata itaque per se considerata non sunt adæquata damnationis causa, sed tantum *incredulitas.* Hinc etiam B. LUTHERUS *in Lib. de Libert. Christ.* dixit: *nullum malum opus, sed sola incredulitas hominem reddit malum & damnatum.*

Distingui alias solet inter *causam* damnationis *formalem* & *meritoriam.* Causam formalem nominant Theologi incredulitatem, meritoriam autem peccata. B. GERHARDUS hinc in *Lib. de Inferno p. 563.* ita loquitur: *Quamvis sola incredulitas sit causa damnationis formalis & adæquata, tamen propterea a damnationis causa non debent excludi peccata reliqua, tum quia damnant meritorie, tum quia sunt fructus & effectus incredulitatis.* Idem c. l. pag. 681. hæc addit: *Incredulitas, per quam Christi meritum repellitur, est peccatorum omnium maximum & est causa, propter quam reliqua peccata non dimittuntur: ea manente manent etiam reliqua peccata.*

Ipsum *peccatum originis* homines damnat, quatenus cum incredulitate conjunctum est, quapropter B. MUSÆUS in der ausführlichen Erklärung *Lib. VII. p. 368.* fatetur, quod *illi, qui actu damnentur, si absque incredulitate fuissent, propter peccatum originis solum non fuissent damnati; si enim abfuisset incredulitas, credidissent in Christum*

Christum & propter Christi meritum, fide apprehensum, fuissent salvati, non obstante peccato originis, quod in ipsis adhuc erat reliquum. Vide B. BAIERI *Compend. p. 349.*

CAPUT V.

DE FORMA DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Hæc consistit in statu illo infelicissimo, in quo omnes finaliter increduli peccatores cum malis spiritibus non modo beatifica Dei visione in æternum carebunt; sed etiam æternis cruciatibus quoad corpus & animam afficientur.

Duplici itaque *pœna* afficientur damnati, scilicet *pœna damni* & *pœna sensus.*

Pœna damni consistit in privatione illius gloriæ & beatitudinis, qua gaudebunt electi in vita æterna. Ejus quidem testes erunt, sed sine ulla participatione ejus. Sibi ipsis autem jacturam hujus beatitudinis tribuent. Reminiscentur enim, se sprevisse media gratiæ, quæ Deus ad consequendam vitam æternam iis largiter suppeditavit. Valde tunc eos pœnitebit contempsisse Dei consilium; hoc vero acerbissimos conscientiæ ictus efficiet, quos indesinenter sentient.

Promul-

Promulgabit autem Chriſtus hanc damni pœnam, dicendo ad damnatos: *diſcedite a me maledicti*, Matth. VII, 23. c. XXV, 41. Indicatur etiam hæc pœna, quando impii dicuntur, non videre vitam, Joh. III, 36. in æternum non fruituri eſſe luce, Pſalm XLIX, 20. nec non projectum iri in tenebras, Matth. VIII, 12. c. XXII, 13.

Hanc jacturam æternis gemitibus deplorabunt, quia nunquam dabitur locus & occaſio eam reſarciendi. Carebunt itaque viſione Dei beatifica, lumine gloriæ, æternis gaudiis & omnibus aliis bonis, quibus electi aliquando afficientur.

Pœna ſenſus comprehendit pœnas poſitivas, quæ in ſenſu omnium dolorum conſiſtunt, quibus damnati cumulabuntur. Horum reſpectu comparantur pœnæ infernales cum *igne inextinguibili*, Jeſ. LXVI, 24. Marc. IX, 44. Matth. III, 10. 12. c. V, 22. c. XIII, 42. 50. cap. XVIII, 8. 9. Luc. XVI, 24. Jud. v. 7. Apoc. IX, 2. c. XIX, 20. c. XX, 10. c. XXI, 8. quia ignis maximos parit dolores.

Sunt, qui per *ignem infernalem* proprium ignem intelligunt, qui tamen a communi igne culinari diverſus ſit. At pœna infernalis tantum metaphorice *ignis* vocatur, quia 1) iræ divinæ imago eſt, 2) maximos dolores infert, & 3) tamdiu ſævit, quamdiu materiam combuſtibilem habet.

Huc

Huc ſpectant etiam *ὠδῖναι* ſ. *dolores parturientium* & *βασάνοι* ſ. *cruciatus* & *tormenta*, quibus malefici coguntur quippam confiteri. Hiſce damnatos affligendos eſſe teſtantur ſacræ literæ, Luc. XVI, 24. 25. Apoc. XIV, 10. cap. XX, 10. ut inde diſcatur, pœnam eorum fore doloroſiſſimam.

Hac pœna ſenſus afficietur non modo *corpus*, ſed etiam *anima*, Matth. X, 28. uti nunc pluribus docebimus.

CAPUT VI.
DE DAMNATIONE ÆTERNA QUOAD ANIMAM.

Animam æternæ damnationi omnino obnoxiam eſſe, teſtatur Chriſtus, Matth. X, 28.

Præcipuæ ejus *facultates* ſunt *intellectus* & *voluntas*, quarum utraque ſentiet pœnas infernales, quia ad committenda peccata multum in hac vita tribuunt.

Intellectus eſt facultas cognoſcendi, quam per ſe quidem damnati retinebunt, ſed ita exercebunt, ſicut in ſtatu damnationis licebit.

Cognoſcent itaque *Deum*, ſed 1) ut dominum ſuum graviſſime offenſum, 2) ut juſtiſſimum judicem acerrimumque ultorem peccatorum ſuorum, & 3) ut patrem benigniſſimum,

mum, cujus amore autem ſeſe per mala opera indignos reddiderunt.

Videbunt & cognoſcent etiam *Chriſtum*, ſed tanquam iratiſſimum vindicem ſui ſanguinis, ſuæque innocentiſſimæ mortis, quippe cujus autores fuerunt, Act. I, 7. c. VI, 16. 17. nec non tanquam ſeveriſſimum punitorem malitioſæ ejus rejectionis & contemtus perſonæ ejus, 2 Theſſ. I, 8. 9. Luc. XIX, 2.

Cognoſcent etiam *ſtatum beatorum*, ſed triſti & ingemiſcente corde, quia eos, quos deſpexerunt & omnis felicitatis indignos habuerunt, jam æternis gaudiis & præmiis præditos videbunt, ut auctor libri Sapientiæ cap. V, 1-14. & exemplum divitis helluonis, Luc. XVI, 23 ſq. docent.

Cognoſcent damnati *peccatorum ſuorum multitudinem* & *magnitudinem*, *pœnarumque*, quibus affliguntur, *juſtitiam*, *acerbitatem* & *perennitatem*. Accuſabunt tunc ſuam ſtultitiam, ſeque erraviſſe in via veritatis & perambulaſſe avia deſerta confitebuntur, nec non ſuperbiæ, opulentiæ & gloriationis ſuæ vanitatem deplorabunt.

Omnis hæc cognitio ad pœnas infernales pertinet, quibus damnatorum intellectus afficitur.

Afficietur etiam pœnis infernalibus *damnatorum voluntas*.

Volun-

Voluntas eſt facultas appetendi & averſandi, adeoque fons omnium cupiditatum, deſideriorum & affectuum.

Hanc facultatem damnati omnino quoque habebunt, ſed valde turbatam & a Deo prorſus abalienatam. Pleni enim erunt 1) *odio Dei*, infenſi ſui & implacabilis Domini, 2) *invidia*, ex adſpectu beatitudinis electorum oriente, Sap. V, 5. 3) *triſtitia* & *anxietate* ſuper malorum cumulo, Rom. II, 9. Sap. V, 3. 4) *impatientia* & 4) *deſperatione continua*, fruſtra quærentes mortem, Apoc. IX, 6.

B. Gerhardus *in Lib. de Inferno p. 617.* damnatis propterea *magnum furorem* tribuit, quo adverſus Deum & omnes creaturas, adeoque adverſus ſe ipſos pugnaturi forent. Ita enim inquit: *Deo iraſcentur, eumque blaſphemabunt ob magnitudinem dolorum & pœnarum, quas ab ipſo ſibi inflictas ſentient. Iraſcentur omnibus creaturis, quod omni earum ſolatio deſtituti in æternis tenebris maneant. Sibi ipſis mortem & exitium optabunt ob tormentorum atrocitatem ac dolorum acerbitatem, cum alias natura a morte abhorreat ac ſui conſervationem quærat.* Verum vix credi poteſt, Deum damnatis licentiam blaſphemandi daturum eſſe.

Interim ejusmodi ſtatus damnatorum jure meritoque *vermis non interiturus* dici poteſt,

Jes. LXVI, 24. Marc. IX, 46. 48. quia conscientiæ morsus & cruciatus non finem habebunt.

CAPUT VII.

DE DAMNATIONE ÆTERNA QUOAD CORPUS.

Corpus ad subjectum peccati pertinet, quare etiam pœnis infernalibus afficietur.

Pœnæ infernales, quibus corpora damnatorum cruciabuntur, vocantur *ignis* & quidem *inextinguibilis*, Matth. III, 12. & *æternus*, Matth. XXV, 41. Non autem proprie talis intelligitur, uti inter Theologos aliqui id statuunt, sed improprie talis, quia ignis maximos parit dolores.

Hoc sunt *cruciatus*, de quibus dives helluo in inferno queritur, Luc. XVI, 24. Christus has pœnas alias *fletum & stridorem dentium* nominat, Matth. VIII, 12. c. XXII, 13. c. XXV, 30. Sentient autem damnati omnia genera dolorum sine ulla intermissione in summo gradu in corporibus suis, quæ quidem spiritualia, non vero glorificata erunt.

Non solum omnia membra corporis, sed etiam omnia sensuum organa certis doloribus affi-

afficientur, & quidem ejusmodi doloribus, qui respectum habent ad antegressa peccata & crimina. Per quod quis præcipue in hac vita peccavit, per istud etiam maxime punietur.

Exemplo nobis est *dives helluo*, qui quotidie λαμπρῶς h. e. splendide & in summo luxu & affluentia vixerat. Hic postea in inferno tantam sitim sentiebat, ut enixissime rogitaret Abrahamum ad refrigerandam linguam suam unica aquæ guttula, quæ in extrema parte digiti, in aquam intincti, hæreat, Luc. XVI, 24.

Sitient itaque damnati, & esurient indesinenter, sentientque in omnibus corporis membris & artubus vehementissimos dolores, nempe dolores parturientium, vulneratorum, passionibus colicis arthriticisque laborantium, in tortoris equuleum conjectorum & summo æstu aut frigore afflictorum.

Oculis suis videbunt horrendissima dæmonum in variis speciebus apparentium spectacula; *auribus* audient lamentabiles gemitus ob magnitudinem dolorum ejulantium & dentibus stridentium damnatorum; *linguis* percipient fœdissimos sapores, sentientque famem & sitim inextinguibilem, & *naribus* quasi olfacient fœtorem ignis sulphurei, aliasque res putidissimum odorem spirantes.

Sunt, qui ipsos *malos spiritus*, etsi æternæ damnationis consortes sint, damnatorum hominum *tortores* nominant. Provocant ad Matth. XVIII, 35. ubi Christus parabolæ de servo obærato, tortoribus tradito, hæc addit verba: *sic etiam Pater cælestis vobis faciet.*

CAPUT VIII.

DE GRADIBUS DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Damnatio æterna non unius ejusdemque generis & magnitudinis est, sed pro diversitate scelerum & peccatorum diversos habebit gradus.

Dependet hæc graduum diversitas a justitia divina, quæ accuratam inter culpam & pœnam proportionem observat. Sicut beatitudo æterna diversos habet gradus: ita etiam damnatio æterna. Quo major hominum incredulitas & malitia fuit, eo gravior etiam aliquando eorum erit pœna.

Probatur hoc ex verbis *Christi*, quibus Judæis suo tempore viventibus & speciatim incolis urbium Chorazim, Bethsaida & Capernaum, graviores pœnas dictitat, quam civibus urbium Sodomæ, Gomorrhæ, Tyri & Sidonis.

donis paratæ sint, Matth. X, 15. c. XI, 22. 24. Luc. X, 12-15.

Huc spectat etiam locus Luc. XII, 47. 48. ubi Christus de servis, qui domini sui voluntatem sciverunt & tamen non fecerunt, contendit, eos multo pluribus plagis, quam qui voluntatem nesciverint, cæsum iri.

Non dabitur autem quoad mala privativa diversitas pœnarum, sed tantum quoad mala positiva. *Mala privativa* in privatione beatificæ visionis aliorumque vitæ æternæ bonorum, *mala positiva* vero in ipsis cruciatibus infernalibus consistunt.

Visione beatifica carebunt omnes damnati sine discrimine, *cruciatuum* vero dabuntur varii gradus pro qualitate & quantitate incredulitatis & malitiæ.

Qui veritatem evangelicam malitiose abnegavit, gravius omnino punietur, quam qui eam nondum agnovit; & qui aliis viam salutis monstravit & ipse malum exemplum præbuit, majores dolores in inferno sentiet, quam qui ex numero auditorum est. Christianorum impiorum damnatio omnino quoque major erit, quam ethnicorum; & qui crimina clamantia commiserunt, durius judicium accipient, quam qui levioribus peccatis Deum offenderunt.

Inprimis summis torquebuntur doloribus blasphematores, sodomitæ, apostatæ, athei, perjuri, homicidæ, persecutores testium veritatis, & omnes, qui erga innocenter patientes & summe miserabiles personas se injustos & immisericordes præbuerunt, & ante obitum non veram pœnitentiam egerunt.

Omnes hujus generis peccatores non modo quoad animam vehementiores conscientiæ morsus sentient, sed etiam quoad corpus gravioribus doloribus afficientur.

Qui de *salute infantum ethnicorum* dubitant, quærere solent: *num Deus in inferno etiam istos veris doloribus afflicturus sit?* Quid ad quæstionem hanc respondeant, nesciunt. Plurimi adstipulantur B. Hülsemanno, qui *in Prælect Form. Conc. p. 444.* judicavit, *de infantibus gentilium hoc quidem pronunciare nos posse, quod juxta normam verbi revelati partem in æterna beatitudine non habeant, Job III, 36. 2 Thess. I, 8. de qualitate autem & quantitate supplicii nihil determinare.* At ejusmodi infantes plane non damnandos esse, suo loco pluribus demonstravimus.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

LOCO DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Proprie in æternitate non datur *locus*, qualis ad præsentem mundum pertinet, qui aliquando peribit. Melius hinc damnatio æterna per *statum* describitur, quem autem homines sine certo loco non cogitatione sua fingere possunt.

Ut igitur veritatem damnationis æternæ eo magis capiant & timeant, placuit Deo, in verbo suo eam sub imagine *horrendi loci*, Luc. XVI, 28. proponere, qui terrorem incutere potest omnibus hominibus, in peccatis suis secure viventibus.

Dictus locus plerumque in sacris literis dicitur שאול & ἅδης, quod latine *infernus* vocatur. Proprie sepulchrum vel statum post mortem significat, ut ex Gen. XXXVII, 35. Hiob VII, 9. Psalm XVI, 10. Act II, 27. 31. patet. Postea de gravi tristitia & afflictione, e. g. 1 Sam. II, 6. & Psalm LXXXVI, 13. usurpatur. Tandem quoque statum damnationis denotat, e. g. Psalm CXVI, 3. Luc. XVI, 22. 23. Matth. XI, 23. c. XVI, 18.

Alias hic locus in Scriptura S. etiam γέεννα s. *gehenna* appellatur, Matth. V, 22. c. XXIII, 15. Nomen habet a *valle Hinnom*, haud procul ab

 Hiero-

Hierosolyma sita, Jos. XVIII, 16. in qua Israelitæ idololatrici simulacro Molechi ignito, imaginem bovis repræsentanti, liberos suos inter tympanorum sonum offerebant & brachiis ejus extensis imponebant, ita, ut infantes miserrime a flamma consumerentur, 2 Reg. XXIII, 10. Locum hunc Judæi postea ita abominati sunt, ut per metonymiam locum æternorum cruciatuum hoc vocabulo insigniverint.

Nominatur infernus etiam *tartarus*, 2 Petr. II, 4. *carcer*, 1 Petr. III, 19. *fornax igneus*, Matth. XIII, 42. 50. & *palus ignea*, Apoc. XIV, 19.

Ex hisce damnationis æternæ nominibus multi concludunt, omnino dari certum locum inferni, quem modo in centro terræ, modo in sole, ex Apoc. XVI, 8. 9. quærunt, non perpendentes, solem & terram cum tota mundi machina aliquando interituros esse.

Est temeraria curiositas, locum inferni quærere aut definire. Studeamus potius, eum effugere.

Si omnino crederemus, infernum certum locum habere, creditu facilius est, eum extra hunc mundum, quam in hoc mundo existere. Foret saltem locus, inter quem & locum electorum tam magnus hiatus constitutus esset, ut de uno loco ad alterum nemo pervenire queat, Luc. XVI, 26.

CAPUT

CAPUT X.

DE
PERENNITATE DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

Terribilissimum in damnatione æterna est *perennitas pœnarum infernalium.* Nunquam enim finem habebunt, sed durabunt εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, h. e. *in secula seculorum*, Apoc. XIV, 11. c. XX, 10. quapropter etiam nomen *æternæ damnationis* acceperunt.

In Scriptura S. pœnæ infernales hac de causa vocantur *æternum opprobrium*, Dan. XII, 2. *æternum supplicium*, Matth. XXV, 42. *æternus ignis*, Matth. XXV, 41. *æternus interitus*, 2 Theſſ. I, 9. & *caligo tenebrarum, quæ impiis in æternum reservata est*, Jud. v. 13. 2 Petr. II, 17.

Huc spectant etiam loca de *igne inextinguibili* & *verme nunquam morituro*, Jes. LXVI, 24. Marc. IX, 44. 48. item de *carcere*, ex quo non liberatio speranda sit, usque dum ultimus quadrans solutus sit, Matth. V, 25. 26. c. XVIII, 34. item de *ira*, quæ super incredulos mansura dicitur, Joh. III, 36.

Sociniani statuunt, damnatos in inferno annihilari. At ex Scriptura S. hoc non probari potest, quippe quæ potius contrarium docet.

Permansuri sunt in inferno, ut pœnas æternas luant. Accipient propterea in resurrectione immortalia corpora, quæ non interitura sunt.

Negant etiam æternitatem pœnarum infernalium ex patribus primitivæ ecclesiæ *Origines* cum suis asseclis, & ex Scholasticis *Johannes Duns* s. *Scotus*, nec non omnes illi *Fanatici*, qui ex nimia misericordia errorem de *ἀποκαταστάσει τῶν πάντων*, Act. III, 21. defendunt, per quam falso liberationem ex inferno intelligunt.

Horum præcipui sunt *Jo. Wilh. Petersen* cum uxore sua, *Ludovicus Gerhardus*, *Jo. Conradus Dippelius*, *Ferd. Helffreich Lichtscheid* & *Georgius Klein-Nicolai*.

Provocant isti 1) ad *meritum Christi*, quod sic non pro impiis præstitum sit, cum tamen universale dicatur 1 Tim. II, 6. 2 Petr. II, 1. Hebr. X, 29. Joh. III, 16. 1 Joh. II, 2. Rom. V, 18. 19. At damnatio æterna non tollit universalitatem meriti Christi, per quod omnibus hominibus media salutis acquisita sunt, etsi a plurimis eorum spernantur.

Provocant 2) ad summam *Dei misericordiam*, quæ non permittat, ut homines propter temporalia crimina æternis pœnis afficiantur. At misericordia Dei cum ejus justitia conjuncta est, & ad præsens tantum tempus spectat, quo homi-

hominibus ad salutem in Christo consequendam via patet. Dicitur propterea *tempus gratiæ*, quod post mortem cessat.

Provocant 3) ad *καιροὺς ἀναψύξεως* & *ἀποκαταστάσεως*, s. *tempora recreationis* & *restitutionis*, Actor. III, 20. 21. quæ interpretantur de liberatione ex inferno. At Petrus per illa intelligit tempora felicia N. T. in V. T. promissa, quibus Deus hominum mentes evangelio recreat, & omnia, quæ ad salutem hominum & rem christianam pertinent, in bonum ordinem redegit.

Contra omnes, qui de *damnatorum redemptione* varia somniant, observandum est, 1) extra tempus non dari vicissitudinem rerum, 2) virtutem meriti Christi tantum in hac vita valere, 3) post hanc vitam damnatis non locum resipiscentiæ, adeoque nec misericordiæ divinæ relictum esse, quapropter in agenda pœnitentia hominibus *hodie* acclamatur, Hebr. III, 7. cap. IV, 7. Psalm XCV, 7. 4) æternitatem pœnarum infernalium opponi æternitati beatitudinis, Dan. XII, 2. Matth. XXV, 46. 5) inter beatos & damnatos magnum dari hiatum, Luc. XVI, 26. 6) damnatos homines eandem sortem habere, quam diabolos, qui deficiente redemptore in æternum punientur, Matth. XXV, 41. Hebr. II, 17. 7) peccatorem in Spiritum S. æterni judicii reum

reum dici, ejusque crimen nunquam remissum iri, Marc. III, 29. si itaque datur æterna culpa, datur etiam æterna pœna; & 8) pœnam divinam delicto æqualem esse debere: hinc etiam peccatum contra infinitum Deum ab ipso etiam infinita pœna puniendum esse.

Quis itaque dubitet, pœnarum infernalium æque ac beatitudinis cœlestis nunquam dari *finem*?

SOLI DEO GLORIA!

INDEX

INDEX RERUM
PARTIS POSTERIORIS HUJUS OPERIS.

A.

valorem

INDEX.

Dilectio,

quid

Habe-

Legis-

Lutheri

Miniſterium

P.

Q.

R.

DICTA BIBLICA EXPLICATA ET VINDICATA.

Eph. IV.

INDEX.

Errata

Errata præcipua.

Pag. 10.	lin. 10.	*lege*	typus.
42.	12.		Mal. I. 23.
60.	16.	*dele*	quidem
70.	20.	26. *lege*	Luc. II. 32.
77.	15.		motus
129.	28 sq.		vita fidei est ipsa forma fidei, &
			vita credentis est Christus per
			Spiritum S. apprehensus.
144.	14.		Merito
176.	19.		cogitationes
185.	5.	*lege pro: dicitur*,	spectat.
292.	18.	*dele*	1)
299.	17.	*lege pro: &*,	ei
301.	8.	*adde*	repræsentat,
334.	20.	*lege*	commemoratio
344.	25.		pugnat,
347.	20.		Super
362.	1.		internam
ib.	2.		externam
386.	23.	*dele*	ea
400.	28.	*lege*	quæ
438.	ult.		æque
454.	16.		desponsatorum
ib.	21.		mutua
463.	20.		utrisque
477.	6.		Apoc. XX.
493.	19.		judicaturi
535.	20.		nescio.
543.	3.		quippiam